Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

urn:nbn:de:bsz:31-96282

Visual Library

25.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

c-/9

Bernus 211

87. B 76211

5/14

Alexander von Bernus
Schloss Donaumünster
bei Donauwörth
(Baiern)

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

10

JOHANNIS SEGERI WEIDENFELD
DE
SECRETIS ADEPTORUM,
Sive
De Usu Spiritus Vini Lulliani
LIBRI IV.

Opus Practicum

Per concordantias Philosophorum inter se discrepantium, tam ex antiquis, quàm modernis Philosophiæ adeptæ Patribus mutuò conciliatis summo studio collectum, & novissimâ concinnè methodo ita digestum, ut vel tyrones possint discernere, vegetabilium, animalium, mineralium præparationes supposititias sophisticásve à veris, sive pro re medica, sive metallicâ, atque sic cavere sibi à vagabundis deceptoribus, imaginariis processibus & suarum pecuniarum dilapidatione.

ISAACUS HOLLANDUS.

2.Oper.miner. Cap.3.pag.420. Vol.3.Theat. Chym.

Verbis apertis te allocutus sum, nullis parabolis usus, si tibi verba facerem de selbach, kalcabria, manessi ac de quadam re rubra, sive de cæruleo muerach, illabar & calsaria seu hujusmodi, haud facilè caperes, sed tibi viam aperui atque omne obstaculum removi, ne quid erres.

Londini, apud *H. Hills* Jun. Et venales prostant apud *Marcum Pardoe*, sub signo Corvi Nigri è regione Palatii *Bedfordiensis* in viâ Regiâ vulgo dictâ *The Strand*. M. DC. LXXXIV.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

87 B 76 211

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

C. R.

CHARLES the Second by the Grace of God, King of *England*, *Scotland*, *France*, and *Ireland*, Defender of the Faith, *&c.* To all to whom these presents shall come Greeting. Whereas *JOHANNES SEGERUS WEIDENFELD Gent.* hath by his humble Petition represented unto us, That with much Study, and great Expence he hath composed a Tract *De Secretis Adeptorum*, which he is desirous to print in our Dominions, and hath therefore humbly besought us to grant unto him our Royal Licence and Privilege for the sole printing and publishing thereof: We having received good testimony of the Usefulness of the said Tract, and being willing to give all fitting encouragement to such commendable works; have thought fit to condescend to that his request; and we do accordingly hereby grant our Royal Licence and Privilege unto him the said *JOHANNES SEGERUS WEIDENFELD* his Executors, Administrators, and Assigns, for the sole Printing and Publishing the said Tract, for, and during the space of fourteen Years, to be computed from the day of the first setting forth of the same; And our Royal will and pleasure is, and we do hereby require and Command, that during the said term of fourteen Years, no Printer Publisher or other person whatsoever, being our Subjects, do presume to Imprint, or cause to be Imprinted

printed without the knowledge and consent of him, the said *JOHANNES SEGERUS WEIDENFELD* his Executors, Administrators, or Assigns, the aforesaid Tract or any part thereof, or to sell the same, or to import into our Kingdom of *England* any Copyes thereof, imprinted in any parts beyond the Seas, upon pain of the loss and forfeiture of all Copies so Imprinted Sold or Imported; contrary to the Tenor of this our Royal Licence, and of such other Penalties, as the Laws and Statutes of this our Realm will inflict: And of this our pleasure, the Master, Wardens and Assistants of the Company of Stationers are to take notice, that the same may be Entred in their Register, and due Obedience be yielded thereunto. Given at our Court at *Windsor*, the 18. day of *August* 1684. in the Six and Thirtieth Year of our Reign.

By his Majesties *Command*,

SUNDERLAND.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

ERRATA.

In Carminibus lin. 7. lege Labyrinthus.
In Præfatione pag. 4. lin. 26. adde & incitent, *post deterreant.* pag. 5. lin. 9. lege tegumentum. lin. 17. lege ceu. lin. 34. lege caratorum. lin. 35. lege coloris.
In Prolegom. pag. 7. lin. 14. lege soluto.

Pag.	lin.	
2.	6.	lege colore
3.	19.	dele ut
5.	31.	lege inæquales
6.	1.	lege silicum
7.	4.	lege 52.
8.	27.	l. canonibus
9.	26.	l. carminata
14.	8.	l. declaratur
16.	3.	l. dividit
23.	23.	l. alcali
	26.	l. quinto
25.	9.	pro hinc lege etiamsi
28.	16.	l. quinto
36.	19.	dele *t*
37.	29.	l. antenotorium
39.	5.	dele ibi
40.	25.	pro conficere l. redigi in oleum
50.	8.	l. sit *post volatile*
55.	23.	l. confectio *post phil.*
67.	23.	l. has
	24.	pro ceu l. uti
70.	1.	lege VI.
77.	31.	dele in sublimationem
89.	34.	adde in cucurbita *post duas*
100.	17.	dele alias
102.	23.	l. reservatum
107.	21.	dele generis
	22.	dele sua similiter
114.	7.	adde methodi *post cognitæ*

Pag.	lin.	
ibid.	21.	l. præpositum
119.	30.	dele parenthesin
124.	31.	l. pretiosorum
128.	33.	dele ubi dicit
130.	2.	lege quinto
132.	25.	dele qui
136.	16.	adde ad eundem redit effectum *post phil.*
ibid.	25.	pro sit invertendo l. est, invertit
137.	28.	pro & lege aut
138.	7.	l. combustibile & corruptibile
139.	2.	l. quinto
146.	11.	l. aliumque
155.	14.	pro dissolvitur lege conficitur
173.	39.	l. delitescit
180.	19	l. occultum
184.	36	l. acuta
185.	4.	l. sufficere
193.	28.	l. & *post Virginis*
196.	1.	dele &
198.	26.	l. subitus
199.	3.	adde Lullii
205.	30.	adde à *post scilicet.*
215.	13.	l. penitius
275.	21.	l. ita
276.	33.	l. quantum
301.	33.	l. circulatorium
310.	32.	l. viride æris

BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK KARLSRUHE

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

bis Seite 130 übersetzt.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

Authori Sacrum.

Quod nemo est ausus citior, quod nemo Sophorum
Præstitit, id calamo claret in orbe tuo.
Hactenus in sophicis sparsim tumulata tenebris
Ars jacuit, dubiis inveterata strophis.
Fabula nasutis; avidisque Tarantula stultis;
Oedipus ignaris; & sabyrinthus avis.
Hic asinum fingebat equum, mox certior alter
Ponè aures leporem se tenuisse putat.
Sic inhians Lapidi, Lapidis vice volvere saxum,
Conatur chymici nescia turba gregis.
Hoc quantum tua nunc removendo industria saxo
Contribuat, sophiæ judicat ipse tyro.
Semisophique tuos psallent sine fraude labores,
Veri candoris propria signa tui.
Et cinistona cohors, exspes, prostrata, resumptis
Viribus, antiquum (macte!) subibit onus.
Ne verò sine re sis inselicior ipsis,
Perge laborantem continuare manum,
Participesque Sacro digitos carbone notare,
Ut videant sibi Te reddere nolle parem.

Quò tua ſedulitas tibi nomen & omen Adepti
Aſpirante Dei conciliabit ope.
Poſteráque emeritas cantabit natio laudes
Et referet grates ubere dote pias.

Sic Amico ſuo cecinit

ALBERTUS OTHO FABER.

Reg. Maj. Britannicæ Med. Ordinar.

Illustrissimo

ROBERTO BOYLEO

E

SOCIETATE REGIA

Longævum Vivere & Valere.

ARcana Paracelsi tot & tantis encomiis, minùs tamen sufficientibus, à multis commendata, fuêre causa, quòd abhinc decennio ipsum Paracelsum de suis medicamentis consulere cœperim. Biennium inde effluxerat, quo libros ipsius diurna nocturnáque versarem manu, indefesso atque invicto quasi animo, cum inæquali tamen & nullius ferè beneficii successu. In libris enim paracelsicis, præter communem Adeptis consuetam arcanorum occultationem, aliam superadditam inveni minùs

nùs quidem apud Adeptos uſitatam, ſed longè majorem difficultatem, dum inibi non modò diſcipulos (ſeu incipientes ſeu inſipientes) ſed imò ſcientes & ſecretioris Chymiæ Magiſtros de ſuis Arcanis inſtruere ſibi propoſuiſſet Adeptorum corrector Paracelſus. Hinc etiam Recepta ejus miris accurtationibus abbreviata, doctis quidem reverà docta, nobis verò quaſi mutilata videntur & imperfecta, atque inſuper ſecretiſſimis Chymiæ Adeptæ terminis ita ſunt larvata, ut illudant non duræ cervicis ſolùm, ſed ſubtilioris acuminis ingenia. Quam intelligendi impoſſibilitatem (penè dixerim) adaugent Recepta communia ſecretis paracelſicis intermixta, quæ ab invicem diſtinguere non diſcipuli eſt, ſed magiſtri exercitatiſſimi.

Tandem quod ſimul mihi erat & primum & maximum in hiſce difficultatibus obſtaculum, propria mea fuit de quòdam Alkaheſt infœlix præconceptio. Nam hujus liquoris diſcere præparationem ex aliorum libris, quin ipſius Paracelſi libro de viribus membrorum jam exſpes, circulati minoris, & ſpecifici corroſivi (utpote ſynonyma Alkaheſti apud alios) revolvi locos; quibus Aquam ſive Oleum Salis, Aquam Comedentem, Aquam Regis, Circulatum majus & alia (unicum enim per omnia perſuaſus intelligi menſtruum aliquod univerſale) ſucceſſivè addidi, ut quàm non in ſingulis, in omnibus inter ſe collatis locis invenirem hujus liquoris præparandi methodum. Sed multiplices, & vix credibiles, omninò tamen vanos & improbos, inde ſuſtinui labo-

labores, quibus tandem victus, omnique spe frustratus, Chymiam & Medicinam, ceu artes ingenio meo altiores, relinquere proposueram. En! inexpectatò mentis meæ oculi mihi fuêre aperti, & vidi hæc omnia differre non tantùm nomine, sed etiam materiâ, præparatione, usu. Sic loco unius, quem quærebam liquorem Alkahest, inveni in Paracelso menstrua plura, eorúmque omnium multiplicem usum medicum, jam juxta Paracelsum & præparare, & distinguere noveram in Essentias, Magisteria, Astra, Arcana, & ea quæ ab ipso minora dicuntur Medicamina. Sic quod aliis in Paracelso fuit intellectu difficillimum, hoc mihi factum est præ cæteris clariùs, adeóque finem citiùs obtinui, quàm principium. Gaudium tamen, quod inde succrevit fuit expectatione brevius, variis enim Experimentis frustrà tentatis edoctus fui, menstrua hæc paracelsica aliquid secreti & incogniti in se continere, quod minimè secundum literam esset intelligendum, propterea ea exactiùs examinare cœpi, & dum horum qualitates cum liquoris Alkahestici natura compararem, maximam inter hunc & illa inveni differentiam.

Liquor enim Alkahest unicus dicitur & universalis: Paracelsi verò menstrua sunt multa. Ille indestructibilis; Hæc destructibilia. Ille corporum spernens connubium; Hæc permanentia. Ille rerum vires conservat; Hæc alterant. Ille ascendit destillando post rerum Essentias; Hæc ante dissoluta sua, &c. Diu hæsi, utrinam parti ascriberem. Modò unum optabam mihi liquorem

rem indeſtructibilem potiùs quàm menſtrua multa deſtructibilia, unicum credens pluribus meliorem: Modò mutato animo menſtrua ad multiplicem & mihi modò cognitum uſum ſufficientia.

Tandem vicit veritas, quæ jam me inſtruxerat, plurima, ſi non omnia medicamenta paracelſica me poſſe demonſtrare in Guidone & Baſilio; è contrario Arcana Paracelſi vulgò proſtituta, quaſi præparata liquore iſto Alkaheſt, ſimilive liquore, magis atque magis vidi ab authenticis variantia, imò iiſdem contrariari. Quamobrem cœpi quoad medicamentorum præparationem abſtinere, imò deſtiti ulteriùs inquirere in iſtius liquoris Alkaheſt obſcuram materiam, præparationem & uſum, utpote quem in unico tantùm loco Paracelſi deſcriptum invenio ceu medicamentum, minimè verò ceu menſtruum. Amoto igitur tanto obſtaculo facilis mihi fuit tranſitus de Paracelſo ad Lullium, Baſilium, alióſque ejuſdem qualitatis Philoſophos, quos omnes ſpirare vidi in unum cornu pro confirmatione Menſtruorum paracelſicorum; imò lux luci lucem addens tanta apparuit, ut ipſorum ſimul præparatio, varietas, ſimplex & literalis ſenſus accederet, unico tantùm verbo remanente incognito, ſed quod omnium univerſalem baſin, Adeptorum termino exprimit, eſtque *Spiritus Vini non communis, ſed philoſophici*, quo cognito & habito patebunt poſſidenti maxima Chymiæ ſecretioris myſteria philoſophica, medica, alchymica & magica. In nullis mihi hucuſque cognitis Adeptorum libris in-

inveni aliquid rari, quod ſuum huic Spiritui non debeat eſſe & ortum, ita ut auſim aſſerere, quòd quicquid Spiritus chymici, inferi & ſuperi, fixi & volatiles præſtabunt, id præſtiturus ſit idem hic noſter.

Quæ cauſa fuit, ut impenderem omnem operam & oleum, nullúmque non moverem lapidem hujus Vini Spiritus acquirendi ſeu adipiſcendi gratiâ, dúmque animo volverem atque revolverem abſtruſos, variegatos, larvatos iſtos terminos, quibus obnubilarent ipſum, ceu totius Philoſophiæ clavem, ecce magni tui nominis fama me ſalutabat Vilnæ, Lithuaniæ metropoli. Cúmque obſervarem, Te, in exponendo Philoſophiam naturalem, abſtinuiſſe ab omni larvati ſermonis ſimulacro, ſed primum quidem & ſolum, uſum fuiſſe planâ & candidâ verborum ſerie in vulgaribus Chymiæ vulgaris exemplis, gratulabar mihi, cogitanti, quid vir hic illuſtris non præſtaret, ſi illi ad manus eſſet Chymiæ ſecretioris apparatus? Conſtitui igitur mecum Tui vel ſolius cauſa proficiſci in Angliam, ut tecum de Paracelſicis tam menſtruis quàm medicinis, aliiſque ſecretis communicarem, à quo etiam maximum mihi promitterem auxilium in reliquis nondum cognitis. Nec ſanè ſpes mea me fefellit, præter enim communem omnibus peregrinis facilem, mihi faciliorem præbuiſti acceſſum, me excepiſti benignè, meáque collaudaſti ſtudia; eóque ad

 ma-

majora meum erexisti animum. Meritò igitur hoc opusculum meum consecrare Tibi debui, quod ut humaniter accipias, obnixè obtestatum venio, eòque nomine me addictissimum tibi amare pergas, qui sum eróque

Nominis tui

Observantissimus

JOHANNES SEGERUS WEIDENFELD.

AD

Liber Primus

DE

MENSTRUIS.

RIPLEUS.

Cap. 2. Medullæ Philos. Chym.

Quomodo Menstrua illa obtineri possint, quæ sint unctuosa, humida; sulphurea, & mercurialia, bene convenientia cum natura metallorum; cum quibus corpora nostra dissolvenda sunt artificialiter; hic Demonstrabimus claram Practicam.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

Catalogus Menſtruorum.

I.

Menſtrua Vegetabilia ſimplicia ex Vino phil. tantùm.

1. *Cœlum, Eſſentia, ſive ſpiritus Vini Lullii.* 1.
2. *Eſſentia, anima, ſeu ſpiritus Vini Rupeſciſſæ.* 8.
3. *Spiritus Vini Paracelſi.* 10.
4. *Eſſentia Vini Guidonis.* 11.

II.

Menſtrua Vegetabilia ſimplicia ex ſpiritu Vini phil. & Vegetabilibus Oleoſis.

5. *Anima metallica Lullii.* 15.
6. *Aqua Vitæ Paracelſi.* 19.
7. *Alia ejuſdem authoris.* 20.
8. *Aqua Vitæ Riplei.* 21.
9. *Aqua Vitæ compoſita Riplei.* 22.

III.

Menſtrua Vegetabilia ſimplicia ex ſpir. Vini phil. & ſalibus oleoſis.

10. *Cœlum melliſluum Pariſini.* 29.
11. *Spiritus Mellis Lullii.* 32.
12. *Spiritus Tartari crudi Guidonis.* 33.
13. *Spiritus Tartari crudi Paracelſi.* 34.

IV.

Menſt. Vegetabilia ſimplicia ex ſpir. Vini phil. & ſalibus volatilibus.

14. *Spiritus ſalis armoniaci Triſmoſini.* 36.
15. *Aqua ſalis armoniaci alia Triſmoſini.* 38.
16. *Sulphur Gelativum Lullii.* 38.

V.

Menſtrua Vegetabilia ſimplicia ex ſpir. Vini phil. & ſalibus fixis.

17. *Cœlum Vegetabile Lullii.* 44.
Sal Tartari volatile Lullii. 46.
18. *Spiritus Vini Baſilii.* 50.
19. *Spiritus Vini igneus Baſilii.* 51.
20. *Spiritus Calcis vivæ Baſilii.* 53.
21. *Spiritus Calcis vivæ ſimplex Baſilii.* 54.
22. *Spiritus Vini Tartariſatus Baſilii.* 56.
23. *Acetum acerrimum Veg. Riplei.* 57.
24. *Aqua fortiſſima de Rupeſciſſa.* 58.
25. *Mercurius Vegetabilis acuatus ſale Tartari Lullii.* 58.
26. *Menſtrua Veget. de 3. individuis Lullii.* 60.

27. *Circulatum minus Paracelſi.* 63.
28. *Spiritus ſalis dulcis Baſilii.* 68.

VI.

Menſtrua Veg. ſimplicia ex ſpiritu Vini phil. & Tartaro Vini phil.

29. *Cœlum Vinoſum Pariſini.* 70.
30. *Cœlum Vinoſum Lullii.* 73.
Sal harmoniacum Vegetabile Pariſini. 75.
Sal harmoniacum Veget. Lullii. 77.
Aliud Lullii. 78.
Sal harmoniacum animale Lullii. 81.
Sal harmon. Vegetabile per accurt. Lullii. 86.
Aliud Lullii. 87.
31. *Cœlum Vegetabile circulatum Lullii.* 88.
32. *Menſtruum Vegetabile minus Lullii.* 89.
33. *Menſtruum Veget. per deliquium Lullii.* 91.
34. *Mercurius Vegetabilis Lullii.* 92.
35. *Aqua Vitæ rectificata Lullii.* 93.
36. *Circulatum minus Guidonis.* 94.
37. *Cœlum animale Pariſini.* 95.

VII.

Menſtrua Veg. compoſita ex Menſtruis Vegetabilibus ſimplicibus.

38. *Circulatum majus Guidonis.* 100.
39. *Menſtruum acutum Guidonis.* 101.
40. *Cœlum majus Pariſini.* 101.

VIII.

Menſtrua Vegetabilia compoſita ex Menſtruis Vegetabilibus ſimplicibus & Mercurio vel reliquis metallis.

41. *Ignis Gehennæ Triſmoſini.* 106.
42. *Mercurius alchymicus Riplei.* 109.
43. *Aqua Mercurii exaltata Riplei.* 110.
44. *Aqua glorioſa Argenti vivi Lullii.* 111.
45. *Menſtruum incalcinatum Lullii.* Ibid.
46. *Aqua mercurialis per tria vaſa Lullii.* 112.
Sal harmoniacum mercuriale Lullii. 115.
47. *Menſtruum pro Lapidibus pretioſis Lullii.* 118.
48. *Menſtruum lunare Lullii.* 119.
49. *Circulatum majus Lullii.* 120.
50. *Circulatum majus Pariſini.* 122.

IX.

Menſtrua Vegetabilia compoſita ex Menſtruis Vegetabilibus ſimplicibus & rebus tingentibus priùs fixatis.

51. *Circulatum majus Paracelſi.* 134.

Men-

X.

Menſtrua Vegetabilia compoſita ex Menſtruis Vegetabilibus compoſitis & corporibus metallicis.

52. *Menſtruum Neapolitanum Lullii.* 141.
53. *Menſtruum pretioſum pro perlis Lullii.* 143.
54. *Menſtruum mercuriale compoſitum Lullii.* 144.
55. *Spiritus Mercurii dulcis Baſilii.* 145.
56. *Menſtruum incalcinatum Pariſini.* 146.

XI.

Menſtrua Vegetabilia compoſita graduata, ex Menſt. Vegetabilibus compoſitis, Cœli & Terræ influentiis, imprægnatis.

57. *Aquæ æthereæ & terreſtres Lullii.* 151.

XII.

Menſtrua Vegetabilia compoſita ſummè graduata ex Menſtruis Vegetabilibus compoſitis graduatis.

58. *Limi ætherei & Terreſtres Lullii.* 160.

XIII.

Menſtrua mineralia ſimplicia ex materia Vini phil. tantùm.

59. *Leo viridis Riplei.* 169.
60. *Menſtruum ex Gummi Adrop Riplei.* 171.
61. *Menſtruum ex Plumbo rubeo Riplei.* 176.
62. *Menſtruum fætens ſimplex Riplei.* 178.
63. *Menſtruum ſericonis Riplei.* 179.
64. *Leo viridis Rogerii Baconis.* 189.
65. *Leo viridis Paracelſi.* 195.
66. *Menſtruum fætens ex Atrop & Vitriolo Riplei.* 195.
67. *Menſtruum fætens ex Vitriolo azoqueo & Nitro Lullii.* 196.
68. *Aqua calcinans omnia corpora Lullii.* 198.
69. *Menſtruum fætens ad metalla in Argentum vivum Lullii.* 199.
70. *Menſtruum fætens ex vitriolo azoqueo vitriolo com. & Nitro Rip.* 199.

XIV.

Menſtrua mineralia ſimplicia ex acidis vel ſalſis ſalium Eſſentiis.

71. *Aqua vel Oleum ſalis Paracelſi.* 208.
72. *Alia ejuſdem authoris.* 211.
Viride ſalis Baſilii. 212.

XV.

Menſtrua mineralia ſimplicia ex ſpir. Vini phil. & ſpiritibus acidis.

73. *Aqua fortis cum ſpiritu Vini mixta Paracelſi.* 218.
74. *Alia Trithemii.* 219.
75. *Acetum cum ſpiritu Vini mixtum Baſilii.* 219.

76. Spi-

76. *Spiritus ſalis Baſilii.* 221
77. *Spiritus ſalis Guidonis.* 221.
78. *Aqua fortis cum ſpiritu vini mixta Lullii.* 222.
79. *Alia Anonymi.* 222.

XVI.

Menſtrua mineralia ſimplicia ex Aceto phil. & ſalibus volatilibus.

80. *Oleum ſalis armoniaci Guidonis.* 226.
81. *Aqua ſalis armoniaci Iſaaci.* 227.

XVII.

Menſtrua mineralia ſimplicia ex Aceto phil. & ſalibus fixis non tingentibus.

82. *Aqua Comedens Paracelſi.* 230.
83. *Aqua fixativa Trithemii.* 231.
84. *Aqua mirabilis Iſaaci.* 232.
85. *Aqua Reſuſcitativa Baſilii.* 232.
86. *Aqua ſallabri Paracelſi.* 233.

XVIII.

Menſtrua mineralia ſimplicia ex ſale harmoniaco Vegetab. & Acidis non tingentibus.

87. *Aqua fortis Iſaaci.* 237.
88. *Aqua Regis Riplei.* 241.
89. *Balneum Regis Baſilii.* ibid.
90. *Aqua philoſophica Baſilii.* 242.
91. *Aqua fortis fortiſſima Paracelſi.* 243.
92. *Aqua Regis Guidonis.* 244.
93. *Aqua Regis Lullii.* 245.

XIX.

Menſt. mineralia compoſita ex ſpir. Vini phil. & Acidis tingentibus.

94. *Spiritus Vitrioli cum ſpiritu vini phil. mixtus Lullii.* 247.
95. *Butyrum Antimonii cum ſpiritu vini phil. mixtum Baſilii.* 249.
96. *Aqua quartæ Gradationis Paracelſi.* 249.
97. *Aqua ſexta Gradationis Paracelſi.* 250.

XX.

Menſtrua mineralia compoſita ex ſpiritu Vini phil. & ſalibus & aliis rebus tingentibus.

98. *Oleum vitrioli Baſilii.* 256.
99. *Menſtruum ex vitriolo Baſilii.* 259.
100. *Menſtruum minerale Iſaaci.* 260.
101. *Menſtruum fætens ex vitriolo & cinabrio Lullii.* 261.
102. *Aliud ejuſdem Authoris.* 261.
103. *Menſtruum fætens ex vitriolo cinabrio & Nitro Lullii.* 262.
104. *Menſtruum fætens ex Vitriolo Nitro, Alumine, Tartaro, Antim. Lul.* 262.

105. *Aqua*

105. *Aqua ſolvens ad rubeum Iſaaci.* 264.
106. *Alia.* 264.
107. *Alia.* 265.
108. *Aqua ſolvens ad album Iſaaci.* 265.
109. *Alia.* 266.
110. *Aqua rubra lucens Iſaaci.* 266.
111. *Aqua rubra noctu lumen emittens.* 268.
112. *Aqua fortis rubra & lucens.* 269.

XXI.

Menſtrua mineralia compoſita ex Menſtruis mineralibus ſimplicibus & Mercurio, vel reliquis metallis.

113. *Spiritus Veneris Baſilii.* 272.
114. *Aqua Paradiſi Iſaaci.* 275.
115. *Acetum mercuriale Triſmoſini.* 277.
116. *Aqua mercurialis ejuſdem.* 278.
117. *Aqua mercurialis Alberti magni.* 278.
118. *Aqua mercurialis Paracelſi.* 280.
119. *Menſtruum fætens mercuriale Lullii.* 281.
120. *Leo viridis mercurialis Riplei.* 281.
121. *Menſtruum fætens Lunare Lullii.* 282.
122. *Menſtruum fætens Solare Lullii.* 282.
123. *Acetum Philoſophorum ex Mercurio argenti Iſaaci.* 283.

XXII.

Menſtrua mineralia compoſita ex Menſtruis mineralibus ſimplicibus & rebus tingentibus priùs fixatis.

124. *Menſtruum Veneris Iſaaci.* 287.
125. *Menſtruum Vitrioli Iſaaci.* 289.
126. *Circulatum majus Iſaaci.* 295.
127. *Oleum Vitrioli noctu lucens Triſmoſini.* 299.
128. *Circulatum majus Riplei.* 300.
129. *Acetum acerrimum metallicum Riplei.* 301.
130. *Circulatum majus è ſulphure Iſaaci.* 302.

XXIII.

Menſtrua mineralia compoſita ex Menſtruis mineralibus compoſitis, & corporibus metallicis.

131. *Oleum Martis & Veneris Baſilii.* 309.
132. *Spiritus Mercurii univerſalis ex Vitriolo Baſilii.* 310.
133. *Oleum Martis & Veneris ſulphure & ſale ſolis acuatum Baſilii.* 313.
134. *Spiritus mercurii univerſalis ſulphure & ſale Lunæ acuatus Baſ.* 315.
135. *Spiritus mercurii univerſalis ſulphure Solis & Lunæ acuatus Baſ.* 316.
136. *Spiritus mercurii univerſalis ſulphure Solis & Martis acuatus Baſ.* Ibid.
137. *Spir. merc. univerſalis ſulphure Solis, Martis & Antim. acuatus Baſ.* 317.

138. *Spi-*

138. *Sp.merc.univerſalis ſulphure Martis, Jovis, & Saturni acuatus Baſ.* 317.
139. *Aqua mercurialis ad rubeum compoſita Iſaaci.* 318.
140. *Aqua Philoſophorum ex tribus ſpiritibus Iſaaci.* 319.
141. *Aqua compoſita Argenti Lullii.* 320.
142. *Menſtruum fætens Lunare Eſſentiâ Solis acuatum Lullii.* 322.

XXIV.

Menſtrua mineralia compoſita ex Menſtruis mineralibus & Menſtruis Vegetabilibus invicem commixtis.

143. *Ignis Vegetabilis ſolutus in Aquâ calcinativâ Lullii.* 324.
144. *Cœlum Vegetabile ſolutum in Menſtruo minerali Lullii.* 325.
145. *Glacies ex menſtruo Vegetabili & minerali compoſita Lullii.* 325.
146. *Aqua mirabilis Riplei.* 326.
147. *Menſtruum fætens ſale harmoniaco Vegetabili acuatum Lullii.* 327.
148. *Menſtruum fætens lunare ſale harmoniaco veget. acuatum Lullii.* Ibid.
149. *Spiritus Mercurii univerſalis cum ſpiritu Vini igneo mixtus Baſ.* Ibid.
150. *Menſtruum mixtum Paracelſi.* 328.

Adeptorum ſcripta nondum impreſſa, ab Artis Mæcenatibus, Fautoribus & Amicis in commune bonum mihi impertita.

Liber de materia Vegetabili Lullii.
De Magiſterio ſive de inveſtigatione ſecreti occulti Lullii: ab illuſtri Domino Roberto Boyleo.
Liber ſecretus, ſive **An Epitome of the Treaſure of Health** Edoardi Generoſi *innominati Angli à* D. D. Dickenſon R. M. Britan. Archiatro.
Epiſtolæ Michaelis Sendivogii à D. D. Fabro R. M. Brit. *Medico ordinario.*
Tractatus Cornelii Hic à D. D. Roſino, *Medico* Ipſwichenſi.
Apertorium alphabetale Chriſtophori *Pariſini alias Pariſienſis.*
Summetta Ejuſdem.
Summettæ pars poſterior, alias Cithara vel Violetta ejuſdem authoris, tàm prece quàm pretio ab Amico quodam impetrata.

Prolego-

Seite 10 der Übersetzung n. ff

Prolegomenon.

NE procaci avarorum libidini nuda proſtituatur *Diana*, irrideatur, & proſtibulæ inſtar contemptui habeatur ab ignorantibus, ideò vario induta fuit amictu, & ferè tota obvelata ab Adeptis. Ad ejuſmodi apparatum referre quidem placuit Antiquitati, minus tamen concinnè, Allegoriam de Procreatione Hominis, ob antiquitùs receptam ſeminis Analogiam, ut ut malè in regno minerali applicatam.

Primò ponunt coitum, ſecundò conceptionem, tertiò imprægnationem, quartò ortum, quintò nutrimentum: Quod ſi igitur defuerit coitus, nullam conceptionem, & deficiente conceptione nullam imprægnationem, quâ negatâ ortum non ſequi.

Quam diſpoſitionem ſibi ab Antiquis traditam fuiſſe, ipſe antiquus, faſſus eſt Morienus. Hermes, quem Adeptorum dixêre Patrem, in Tabula ſua ſmaragdina infantis chymici nobis depinxit Patrem, Matrem, Nutricem. Non mirum ergò, quòd Doctrina ejuſmodi antiqua & facilis tam facilem apud poſteros invenerit acceſſum. Præter intentionem & ſcopum foret proferre, quæ contra hanc ſeminis analogiam nobis dicenda eſſent; hîc ſaltem meminiſſe ſufficiat, quòd Adeptorum pôtiores & antiquiores, magiſterium chymicum comparantes generationi hominis hujus allegoriæ notione ſua Diſſolventia appellaverint menſtrua ſive ſemen fæmininum; Diſſolvenda verò ſemen maſculinum. *Fili*, inquit Lullius, *Menſtruum vegetabile habet naturam ſicut menſtruum mulierum, ex quo quod in ventre ejus evenit menſtruum minerale per diſſolutionem* (mineralium & metallorum) *& componitur artificialiter ſicut na-*

tura vult. Nam habet in se proprietatem spiritûs incorruptibilis, qui est tanquam anima, & habet in se conditiones corporis, quoniam generat & producit ex se semen tanquam fæmina, ideò nominamus ipsum D. (Dissolvens) *sanguinem menstrualem sive menstruum, quoniam ipsum est generativum & nutritivum, & crescere facit dicta C. &* (*C.*) (metalla) *usque quò convertantur in M.* (sulphur naturæ sive mercurium Philosophorum) *vel in Q.* (Tincturam vel lapidem Philosoph.) *quemadmodum enim sanguis menstrualis Embrionem perficit nutriendo, & alterando quodlibet principium in alterum & quamlibet quantitatem in alteram, & quamlibet formam in alteram, principiis tamen & quantitatibus existentibus in qualibet alteratione, sub diversis formis, à primis formis ipsis existentibus & differentibus, quousque oriatur quoddam Ens in quantitate continua, constitutum per plures quantitates discretas, quod est corpus à spiritu & anima redactum in actum. Et sic est de nostro Infante* (lapide phil.) Lullius distinct. 3. canon. 4. libri de Essentia. *Postquam oritur K. croceum* (color croceus) *tunc artista intelligat, quòd corpus nostri infantis est formatum & compositum & completè organizatum, & incipit præparari, ut spiritus vegetabilis ingrediatur in ipsum, & durat natura in ista præparatione donec K. croceum evanescat, & oriatur R. rubeum, & tunc artista debet intelligere dictum Infantem esse in fine terminationis corporis & animæ. Tum dimittat ignem, usque quo frigescat, quo frigefacto inveniet artista infantem nostrum rotundum ad modum ovi, quem extrahet & mundet,* (Est enim lapis durus existens in medio multarum superfluitatum, sicut fœtus mulierum apparet post partum. Can. 11. distinct. 3. libri Essentiæ) *& accipiat ipsum & ponat in quodam vase vitreo bene mundo, &c.* 3. distinct. 2. partis libri de Essentia.

A Lullio chymicorum philosophorum facilè Antesignano hanc seminis Analogiam didicerunt sui Discipuli Parisinus, Ripleus Espanietus & alii recentiores Adepti. De hoc Cœlo vivo, ait Parisinus: *Raymundus in tertio libro quintæ Essentiæ capite, Cœlum & mercurius noster*, inquit. *Nam Cœlum nostrum habet proprietatem spiritûs incorruptibilis, qui est tanquam ejus anima, & habet in se conditiones corporis, generans & producens semen tanquam fœmina, & in hoc differt ab aliis Principiis* (artis.) *Etiam est sensuale quia per sensum attingitur, nempe*

nempe per visum, gustum & odoratum, ut dictum est in prima distinctione in capite, quod incipit: Præterea est principium movendi scilicet corpus sive forma; & paulò infra, ubi prædictum Cœlum vivum prosequitur, dicens: Et in isto passu cognoscit intellectus noster, D. (cœlum vivum sive Dissolvens suum) habere proprietatem vegetabilem, cujus similitudinem transmittit R. & S. (Aurum & Argentum) in sulphuris Naturam, quod est spiritus metallorum, sive lapis, aut venenum transformans, secundùm significationem Raymundi, quam significationem Alphabeti figuræ arboris philosophicæ tribuit, & in illa, de figura quintæ Essentiæ, profert hanc sequentem sententiam: Sicut vegetativa matris vel nutricis transmittit suam similitudinem in filium, quem generat, quam proprietatem filius retinet, sic noster Mercurius. Intentio Philosophi (Lullii) *est demonstrare, quod sulphur aut lapis Philosophorum aut venenum suum transformans accipit totum suum beneficium per excitationem Vegetativæ virtutis, quæ est in hoc divino Cœlo vegetabili.*

Idem author in continuatione suæ doctrinæ inquit: *Et etiam cognoscit intellectus, quòd metalla dicta R. & S. (aurum & argentum) menstrui proprietatem retinent, cum qua extendunt similitudines suas in substantias extraneas, transmutando dictas substantias in suam speciem, ratione cujus, ipsum nominamus mercurium vegetabilem, & etiam quia ex vegetabilibus est extractus.* Idem in fine dicti capitis, *de novo inquit: Et etiam cognoscit intellectus, istud principium esse tanquam mulierem concipientem masculum semen, & parientem in eàdem forma & virtute, quam erat in initio. Unde necessariò concludimus, quòd elementa hujus lapidis, auri videlicet, debent moveri per virtutem quintæ Essentiæ vivæ, & Cœlum vegetabile supradictum, quam rationem satis probavimus & demonstravimus.* Parisinus in libr. 1. Elucidarii, pag. 221. Volum. 6. Th. Chym.

Ripleus Parisini condiscipulus hanc doctrinam breviùs ita exponit: *Quemadmodum infans in utero matris mediante coctione temperati caloris, convertit menstrua in naturam suam & genus suum, hoc est; in carnem, sanguinem, ossa, imò vitam cum cæteris corporis viventis proprietatibus; ita si Aquam solis & lunæ habueris, attrahet ad suum genus alia corpora, & hu-*

mores illorum, mediante virtute & calore solis & lunæ faciet perfectos. Ripl. libr. de merc. phil.

Nos, inquit Espanietus, *ut sublatis insidiis candidè & bona fide agamus, duobus solis corporibus, sole nempe & luna, ritè præparatis integrum opus perfici contendimus. Hæc enim generatio est, quæ per naturam fit arte ministrante, in qua maris & fæminæ copula intercedit, unde proles.* §. Arcan. Herm. *Sol masculus est, activum quippe & informans semen emittit; Luna est fæmina, quæ matrix & vas naturæ dicitur, quia utero suo masculi semen excipit, ac menstruo suo fovet.* §. 22. *Arcan. phil. Sed lunæ nomine lunam vulgarem philosophi non intelligunt, quæ etiam in opere suo (nimirum albo) masculi partes agit, duorum itaque masculorum nefariam & contra Naturam conjunctionem tentare nemo præsumat, neque ex tali copula ullam prolis spem concipiat sed Gabritium Bejæ, fratrem sorori,*

Conjugio junget stabili, propriámque dicabit,

Ut generosum inde solis filium suscipiat. §. 23. Arcan. Herm. phil. *Lectorem admonitum velim*, inquit Sendivogius, *duplicem esse solutionem, licèt multæ aliæ sint dissolutiones, at inutiles: una est tantùm vera naturalis, secunda est violenta, sub qua aliæ comprehenduntur omnes. Naturalis ejusmodi est, ut pori corporis aperiantur in Aqua nostra, quo digestum emittatur semen & matrici suæ imponatur. Aqua verò nostra est cœlestis, non madefaciens manus, non vulgi, sed ferè pluvialis. Corpus est Aurum quod semen dat, luna nostra est, non Argentum vulgi, quæ recipit semen auri.* Tract. X. Novi lumin. chym. *Saturnus accepto vase hauriebat aquæ partes X, & statim de fructu arboris solaris accepit & imposuit, & vidi fructum arboris consumi & resolvi instar glaciei in aqua calida. Hæc Aqua est huic fructui instar fæminæ. In re nulla possunt arboris hujus fructus putrefieri, nisi in hac Aqua, nulla etiam alia Aqua potest penetrare poros hujus pomi, nisi hæc, & scito arborem solarem etiam ex hac aqua ortam, quæ ex radiis solis & lunæ vi magnetis extracta est, propterea inter se magnam habent concordantiam.* In Dialogo de mercurio.

De hoc fæmineo semine sive Adeptorum Aquis dissolventibus, in præsentia vobiscum agere decrevimus. Magnus sanè est & ingens Thesaurus hic chymicus, at omnibus est & singulis, hasce

hujus

hujus Gazophylacei Claves (sine quibus nec ipsi Adepti corpora vel solvere vel coagulare potuerunt) non possidentibus, prorsus inaccessibilis. Si nostri corporis dissolutionem ignoraveris, non est quod opereris, monet Dionysius Zacharias, *pag.*798.*Vol.*1. *Th. Chym. Qui verò novit Artem & secretum Dissolutionis, pervenit ad Artis secretum*, testante Bernhardo, pag.40. suæ Epist. *Hinc est*, inquit Parisinus, *quòd sapientes dicunt, Aquam Cœlestem novisse, quæ corpus nostrum in spiritum redigit, summum Artis esse mysterium.* in Eluc. pag.212. Vol.1. Th.Chym. Etenim absque menstruis hisce perfecta nunquam fieri potest rerum heterogenearum commixtio. Corallia subtilissimè licèt pulverisata, commisceri tamen nequeunt tenuissimo perlarum pulveri. Imò Aurum non coit cum Argento (multò minùs cum corporibus minùs perfectis) etiamsi ambo fusorio confundantur igne. Singulæ particulæ sese tangunt quidem circa extremitates in massa vel cumulo ex rebus heterogeneis confecto: Sunt tamen & manent omnes distinctæ, illæsæ & inalteratæ in suis figuris & proprietatibus instar granorum acervi ex hordeo & avena compositi. Verum in Chymia secretiori nullum datur corpus, nulla heterogeneitas, quæ proprium suum & adæquatum non habeat menstruum, & quo-cum ceu suo homogeneo in unum non colliquescat compositum, inseparabilibus amborum gaudens proprietatibus. Quamdiu igitur absque menstruis Dianæ, metalla metallis, vel arida aridis conjungere intenditis, tamdiu (*ut Espanieti utar phrasi*) masculorum nefariam & contra naturam conjunctionem tentare præsumitis. Auscultate igitur Bernhardum *pag.*757. *Vol.* 1. *Th.Chym.* suadentem; ut lapides & mineralia quæque relinquatis, pariter & metalla SOLA, quanquam ex ipsis sit introitus & materia nostra. Metalla lapidis non tantùm sunt materia, sed ejus dicuntur etiam forma apud Lullium, attamen sine menstruis hisce nihil prosunt. *Forma*, inquit, *quæ existit efficiens, principium ac formans & transmutans omnes alias formas minoris virtutis & potentiæ designatur per C. vel* (*C.*) (metalla) *Et in hoc passu cognoscit intellectus quod dictorum C. &* (*C.*) (metallorum) *potestas tantummodo per se majoris operis magisterium existere nequit, &c. Valdè utile est istud principium ad cognoscendum, quoniam de ipso Intellectus cognoscit, ipsum esse de duabus substantiis unum, ex quibus noster Infans gignitur, habens sub se masculi conditionem, à quo sperma oritur in ventre nostri D.*

(men-

(menstrui sive dissolventis) Lull. dist. 3. libr. Essæ. *Cœlum seu mercurius* (menstruum) *est quartum principium significatum per D. Est causa & principium movens C.& (C.) in potentia ad actum, regens prædicta & gubernans in Ventre suo, sicut mulier infantem, quem procreat in matrice. Et in hoc passu cognoscit intellectus Artistæ, quod D. (menstruum) actionem habet super C. & (C.) regens & gubernans & reducens in actum, quemadmodum Cœlum, illud quod existit in rebus elementaribus motu proprio deducit in actum, &c. Et potest artista intelligere quod de duabus substantiis, ex quibus noster lapis componitur & per quas est genitus, hoc, scilicet D. (Dissolvens) est principalius.* Ibidem. *Scias,* pergit libr. de medicinis secretis pag. 336. *Quod hucusque non diximus tibi rem secretissimam & materiam totius magisterii, quæ est quinta Essentia nostra incorruptibilis, extracta à Vino albo vel rubeo, quam Coronam cœlicam vocamus, & menstruum, post ipsius sublimationes, putrefactiones, & finalem depurationem. Quæ quidem quinta Essentia est fundamentum,& principalis materia,& magisterium omnium rerum medicinalium. Fili mi, si habebis ipsam, habebis magisterium totius rei, sine qua nihil potest fieri.*

Sed vos consodales scitis, quid sibi velint *Dianæ Menstrua*, scitis inquam, ea esse summa secretioris chymiæ Arcana, mulierum menstruis multò secretiora. Eadem etiam nunquam nisi ab Adepto fuisse quàm ingeniosissimè elaborata, cautissimè descripta, & nobis ut claves Artis quàm maximè commendata, vos facilè creditis Lullio, dicenti, *quod sine hisce menstruis nihil fieri possit in magisterio Artis.* Mag. Nat. pag. 329. vel Christophoro Parisino: *Quod magnum secretum sit in istis menstruis, in tantum, ut si ignorentur nihil possit fieri in opere Transmutationis metallorum.* Elucid.pag.222. Vol.6. Th. Chym. Hinc paucis etiam vos alloqui satis esse duxi: Nimirum menstrua hæc, quæ hactenus tanto studio quæsivistis frustrà in Adeptorum libris theoreticis, vobis jam à me offerri in libris practicis inventa, non amplius variis velaminibus tecta & obscura, sed nudè detecta, visui & omnium intellectui exposita. At in omnibus, quem animadvertetis Vini philosophici spiritum, non est, quod timeatis, familiaris est & mitissimus, quia philosophicus. Nec multis opus habetis conjurationibus, ut se vobis sistat, in omnibus enim Theoreticorum Adeptorum librorum paginis sese offert spontè & vos expectat, modò exoretis Deum, ut vestros aperire oculos gratio-

se

se dignetur, nam absque ejus Nutu, vel speciali jussu, idem sese vobis manifestare non audet. Nolite itaque per Adeptorum Menstrua intelligere vestra, etiamsi vobis sint secretissima; quia vereor, ne sint adhùc vulgaria, quæ dissolvendo aridum transmutantur cum eo in sal sive vitriolum, non verâ sed fictâ coalitione & mixturâ, quam facilè explorator detegit ignis, eadem hæc iterum mox separans heterogenea. Contrariè unctuosus Vini phil. spiritus variè pro varietate rerum temperatus, unctuositate sua emollit aridum, non in sal vel vitriolum, sed in oleum transmutat: Æquali suo temperamento diversa facilè conjungit heterogenea: Homogeneitate verò sua suis facilè jungitur homogeneis, quibus & augmentatur, juxta istud Bernhardi: *Corpora non dissolvit Aqua, nisi illa, quæ fuerit suæ speciei & quæ in corporibus poterit inspissari. Solvens enim à solvente differre debet proportione & digestione, non materia* .pag. 43. suæ Epist. *Natura enim non emendatur nisi in sua natura, non potest igitur nostra materia aliter, quàm in sua propria emendari materia.* Parmenides idem loquitur, &c. *libr. de Alchym. pag. 768. Vol. 1. Th. Chym.* verbo: Hic Vini phil. spiritus omnibus uniri & omnia unire potest inseparabiliter. Qui verò aliam Aquam arbitrantur, ignari & insipientes sunt, & nunquam venient ad effectum, *ait Parisinus in Eluc. pag. 222. Vol. 6. Th. Chym.* De quibus *Morienus pag. 52.* ita: *Sine stultos circa hoc magisterium alia quærere, & quærendo errare, quoniam ad ejus effectum non pervenient usque dum sol & luna in unum corpus redigantur, quod ante Dei præceptum evenire non potest.* Quod Arnoldus, ni fallor, ita exprimit: *Citius solem cum luna commiscebitis in cœlis, quàm Aurum & Argentum in Terris absque nostris menstruis.*

Vos verò, qui unicum hactenus desideraſtis universale menstruum, immortale, indestructibile, *viz.* Liquorem quendam Alkahest, vel Ignisaqua, verbum indeclinabile, adeste: Loco unius, cujus hucusque nesciviſtis Nomen, materiam, præparationem, & usum; plura, imò plurima, vobis offero menstruorum universalium genera, hoc Alkahesto in descriptionibus suis clariora, viribus verò æquipollentia, si non præstantiora.

Quæ de hoc liquore Alkahesto vel obscurè vel impertinentèr ab aliis dicta & scripta fuêre ceu opiniones & conjecturas parùm curamus. Nos per Adeptorum menstrua non volumus dissolventia qualiacunque etiam, absque Vini phil. spiritu præparata;

&

& corpora in minutiores tantummodò particulas corrodentia, minimè verò alterantia: Nec intelligimus liquorem quendam immortalem solutis suis non permanentem: Sed per Menstruum volumus liquorem volatilem ex spiritu Vini phil. rebúsque variis variè confectum, corpora non tantùm separantem, sed etiam iis permanentem, eáque sui additione alterantem, ita ut ambo non sint ampliùs, nec iterum esse possunt, quod fuere olim. Ex hac enim dissolutione (corporis & menstrui conjugio solemni, indissolubili unione & combinatione) oritur novum quid, rei dissolutæ & dissolventis proprietates illæsas continens per artem & naturam minimè separabiles.

Hæc Menstrua distinxi in vegetabilia & mineralia; non quatenus vegetabilia ex vegetabilibus, & mineralia ex mineralibus tantùm essent componenda, sed omne menstruum, quod caret acido manifesto, absque ebullitione & motu agens, id vegetabile dicitur, licet mediante Vini phil. spiritu ex meris animalibus vel mineralibus componatur. Contrà Menstruum fit minerale, quam-primùm acidum manifestum vel spiritui Vini philosophici, vel menstruo vegetabili fuerit commixtum, jam enim ratione aciditatis superadditæ corpora violenter & cum effervescentia dissolvit. Ambo genera subdivisi in simplicia & composita, ne verò ac si simplicia ex paucioribus ingredientibus essent composita, sed quia simplicioris vel minoris sunt virtutis. Menstrua simplicia minùs, composita verò magis corpora tingunt in iis dissoluta.

I. Genus.

DE
Menſtruis Vegetabilibus.

I. GENUS.

Menſtrua Vegetabilia Simplicia ex Vino Philoſophico tantùm.

1. *Cœlum, Eſſentia ſive Spiritus Vini Lullii, deſcriptum can.1.diſt.1.libr.de quintâ Eſſentiâ.*

℞. VINUM rubeum vel album, & ſit de meliori, quod poterit reperiri, vel ſaltem capias vinum, quod non ſit acetoſum quovis modo; hujus neque parùm neque nimiùm, & deſtilla aquam ardentem, ſicut conſuetum eſt per cannas brachiales æneas, & poſteà rectifica illam quater ad majorem rectificationem. Sed dico tibi, quòd ter ſufficit rectificari, & benè claudere, ut ſpiritus comburens non exhalet, quia in hoc quàm plures erraverunt uſque ad ſepties arbitrantes rectificari. Eſt autem tibi, fili mi, ſignum infallibile, poſtquam videris, quòd Saccharum madefactum in illâ, poſitum ad flammam, comburatur, ut aqua ardens. Poſtquam autem ſic habueris aquam præparatam, tu habes materiam, de quâ quinta Eſſentia trahitur ad actum, quæ eſt una principalis, de quâ intendimus in libro hoc. Accipe igitur illam, & pone in vaſe quod circulationis appellatur, vel in pellicano, quod dicitur vas Hermetis, & claude fortiſſimè foramen cum olibano vel maſtiche molli vel vivâ calce, mixtâ cum ovorum albumine, & ponas in ſimo calidiſſimo per ſui naturam, aut in Vinaciâ, quibus nullus calor per accidens diminuitur, quod fili facere potes, ſi in quantitate

magnâ posueris de quâlibet istarum rerum ad angulum domûs, quæ quantitas sit xxx onera. Hoc esse oportet, ut calor non deficiat vasis, quia si calor deficeret, corrumperetur Aquæ circulatio, & quod quærimus non fieret, sed si calor continuus ei administratus fuerit per continuas circulationes, nostra quinta Essentia separaretur in calore cœli, quod videri potest per diametralem lineam, quæ partem superiorem, scilicet quintam Essentiam dividit ab inferiori, scilicet à fæcibus, quæ sunt in colore turbido. Factâ per multos dies in vase Circulationis aut in vase Hermetis continuatione Circulationis, aperies foramen, quod cum dicto clausore obstruxisti, & si odor mirabilis exeat, ita ut nulla mundi fragrantia ei comparari valeat, in tantum, ut vas positum ad angulum domûs, miraculo invisibili trahat omnes intrantes ad se, aut vase posito supra turrim trahat omnes aves, quibus odor nares attigerit, ita ut circà se stare faciat. Tum habebis, fili, nostram quintam Essentiam, quæ aliter dicitur Mercurius Vegetabilis, ad tuum libitum, ut applices in Magisterio Metallorum transmutationis. Quod si non inveneris influxum attractionis, reclude vas, ut priùs, & pone in loco priùs assignato, & stet ibi donec consequaris signum prædictum. Hæc verò quinta Essentia sic glorificata non habebit illum odorem, nisi corpus sit dissolutum in eâ, nec habebit illum ardorem in ore tuo sicut aqua ardens; hæc quidem vocatur à philosophis Clavis totius artis philosophiæ & tàm Cœlum, quàm nostra quinta Essentia, quæ pervenit ad tantam sublimitatem, ut cum eâ per se solùm, vel cum stellis terrenis faciat operator hujus operis miracula supra terram.

Annotationes.

INter Adeptorum Dissolventia nullum, absque Mercurio Vegetabili, sive Vini philosophici spiritu confectum esse, probabunt sequentia 24 Menstruorum genera. est enim eorum omnium basis, initium & finis: Imò ipse est juxtà varios & distinctos Virium suarum gradus modò menstruorum minimum, modò omnium maximum. Minimum & debilissimum est, quatenus simplici unctuositate suà unctuosas tantummodò dissolvat Vegetabilium partes, residuas verò minùs oleosas sibique heterogeneas vel respuat, vel relinquat intactas: fortissimum fit, quò magis atque magis rebus aridis temperamus

peramus ejus unctuositatem, ita enim rebus etiam arido-oleosis, aridisque puris redditur homogeneum. Ob quam homogeneitatem Adeptorum Menstrua differunt à Communibus, eò quòd ratione dictæ homogeneitatis permaneant cum rebus dissolutis, & non separentur; imò augmententur ab eis, minime verò saturentur; transmutentur & colliquescant in tertium quid; adeòque non recedant immutata absque virium suarum diminutione; vel illæsa in pristinis viribus. Menstruorum permanens homogeneitas cum rebus dissolvendis in causa est, quòd cum menstruis Vegetabilibus simplicibus Essentiæ, iisdem verò compositis Magisteria fiant; adeòque hæc fortiùs operantur, illa debiliùs. Hæc ipsa est; ut verbo comprehendam omnia, quæ varia tam variis gradibus inter se distincta nobis exhibet Menstruorum genera, jam describenda, nostrisque illustranda Annotationibus.

Verùm ut faciliùs Recepta sequentia & me ipsum quoque intelligatis, præmonere quædam de hujus spiritus Vini Natura & proprietate necessarium existimavi, ne de re non satis intellecta sinistrè judicetis.

Imprimis admonendi sumus, ut ne Spiritum Vini communis, utcunque rectificatissimum, accipiatis pro Vini phil. spiritu, ita enim sequentia omnium Menstruorum Recepta erronea fierent & seducentia. Opus erat nobis (*inquit Zacharias,*) excellentissimâ Aquâ vitæ pro dissolutione marcæ aut libræ semis auri; generosissimi Vini vas magnum emimus, ex quo per pellicanum, ingentem copiam ejus Aquæ Vitæ sæpiùs rectificatæ, pluribus vitreis vasis ad hoc emptis paravimus. Post modum auri nostri, priùs integro mense calcinati, marcam unam; & quatuor marcas Aquæ Vitæ posuimus in duo vasa vitrea, retorto uno in aliud intrante, signatis & ambobus collocatis, in duabus magnis fornacibus rotundis. Emimus etiam carbones pretio triginta coronatorum unicâ vicé, ad ignem subtùs continuandum integro quidem anno. Construxissemus ignem ad infinitos annos, priusquàm (ut Receptum pollicebatur) congelatio facta fuisset in fundo vasorum, non præcedente solutione. Non enim operabamur in debitâ materiâ, nec erat ista solutionis Aquà vera, quæ aurum nostrum dissolvere debet, ut ab experientiâ patuit. pag. 783. Volum. 1. Theat. Chym. *Ripleus de eodem vos admonet, qui*, aliqui arbitrantur, *inquit*, quòd hic ignis (*igneus hic Vini Philosophici spiritus*) extrahitur à Vino juxtà

modum communem, & quòd rectificetur per crebras destillationes, quousque ejus phlegma aqueum, quod impedit potentiam igneitatis ejus, prorsus ab eo auferatur. Verumtamen quando ejusmodi Aqua, quam fatui spiritum purum vocant, etiamsi centesies rectificata projiciatur super calces cujuscunque corporis, quantumvis bene præparati, nihilominus videmus, quòd reperitur debilis & insufficiens ad actum dissolutionis corporis cum conservatione suæ formæ & speciei. *Cap. 2. suæ Medullæ phil.* Vinum est calidum, (*pergit paulò infertus*) sed est aliud multò calidius, cujus tota substantia propter abundantiam suæ aëritatis facillimè inflammatur ab igne, & Tartarus hujus unctuosi humoris crassus est, nam ita dicit Raymundus: ille Tartarus est nigrior, quàm Tartarus ex nigris uvis Cataloniæ, quocircà vocatur Nigrum nigrius nigro, & propterea quòd hæc humiditas est unctuosa, ideò meliùs convenit cum unctuositate metallorum, quàm spiritus ex Vino extractus, quia ejus virtute liquefactivâ metalla in aquam liquefiunt, quam quidem operationem spiritus Vini (*Communis*) perficere non potest, qui quantumcunque fortis fuerit, nihil aliud est quàm aqua clara cum aquâ quadam phlegmaticâ admixta; ubi contrario modo in hoc nostro spiritu unctuoso destillato, non reperitur omninò ulla aquositas phlegmatica. Cæterùm quia hæc res rarò reperitur in partibus nostris, aliisque regionibus, ideò Guido Montanor Græcus Philosophus invenit aliam humiditatem unctuosam, quæ natat super alios liquores, quæ quidem humiditas oritur à Vino; ad hujus cognitionem Raymundus & Arnoldus & quidam Philosophi alii pervenerunt, sed quomodo obtineri posset, tacuerunt.

O tortas adeò mentes! assuetaque falli
Artificum vario rerum per inania ductu
Pectora! cum duris quid mollia vina metallis?
Apta epulis, atque apta bibi suavissima vina?
Hic tamen expressam prœlis torquentibus uvam
Accipit, & phialæ postrema in parte reponit,
Cujus in extremo rostrum connectitur ore, *&c.*

Ita satis facetè Poeta & adeptus Augurellus canit libr. 2. Chrys. pag. 206. Vol. 3. Th. Chym.

2. *Ne*

2. *Ne loco Vini phil. spiritùs accipiatis oleum aliquod etiamsi centesies rectificatum. Omnia enim Oleosa, sive destillata sive expressa, naturalia vel artificialia per se, magis tamen rebus aliis, utpote alcalibus, acidis, &c. permixtis, destillando, digerendo, &c. in balneo, fimo, vapore, &c. fiunt crassa, picea, imò tandem arida, insipida, carbonis instar nigra, & interdum, lateris instar, ignis excandescentiam sustinentia; quod vobis signum est manifestum, ea indigere potiùs solvente quàm esse solventia.*

3. *Necessarium est, ut observetis, Vini phil. spiritum apparere in forma duplici: Vel olei instar super omnes natantis liquores. Vel spiritùs Vini communis instar (ad cujus naturam aliquando proximiùs accedit, unde etiam ob analogiam suum mutuatur nomen) aquosis liquoribus, minimè quidem innatantis, sed his & phlegmati proprio commiscibilis, separabilis tamen simplici destillatione, quatenus facilè hoc modo sua post se relinquat phlegmata: is verò sic rectificatus, flammâque accensus, si totus comburatur, commune cum communi spiritu nobis administrat perfectæ rectificationis signum; attamen non duo sed unus tantùm est, subtilitate differens, & seipso purior spiritus. Quæ ut probem, necesse non est, eò quòd nobis occurrent exempla in singulis ferè descriptionibus Menstruorum Vegetabilium.*

4. *Tandem distinguendum est, inter Vini Philosophici spiritum primarium & secundarium, Patrem & Filium. Primarius in sui præparatione requisivit Laborem Sophiæ, opus totius Chymiæ adeptæ secretissimum, difficillimum, periculosissimum, &c. Secundarius cum priori spiritu facilè conficitur juxtà Chymiæ adeptæ regulam: Essentia Essentiam, & Magisterium Magisterium conficit. Differunt ordine non naturâ; Ambo sunt unius Virtutis, licèt diversæ præparationis, hic enim, ut modò dictum est, facilioris est; ille difficilioris; Ambo Essentiæ sunt, prior artificialis, alter naturalis, inde in Medicinis inæqualis, licèt in Chymia ùt menstrua sunt, consimiles, at facilè distinguuntur ab invicem per sua epitheta. Primus nomina hæc generaliora habet,* Essentia Vini, Alcool Vini, Mercurius Vini, Vinum Vitæ, Vinum salutis, Aqua Vitæ, Aqua ardens, Vinum adustum, Vinum sublimatum, &c. *cujus Exempla habebitis in hisce & ejuscemodi Receptis.* ℞. Auri laminas ac per Essentiam Vini resolvantur in liquorem. *Paracels. in descript. Auri diaphoretici. Libro 3. de malè curatis.* ℞. Silices, & illos solve in Essentia

Vini,

Vini, velut sal in aqua, &c. *Par. in descript. Essentiæ salicum cap.* 18. *de morbis Tartar. pag.* 327. ℞. Croci solis, Alcool vini correcti, &c. *Par. in descript. Tinct. croci solis, libr. de præparat. pag.* 81. Alcool vini exsiccati vel correcti est, *inquit Paracelsus*, quando superfluitas vini secedit, & Vinum ardens superest siccum, exustum, sine adipe aut pinguedine nullos fæces in vase relinquens, *pag.* 507. *Sed de hoc plurima habebitis exempla præsertim libro sequenti de Medicamentis.*

Secundarius Vini phil. spiritus his nominibus generalioribus sua annexa habet cognomina, originis suæ radicem indicantia cujus sequentia sint vobis pro Exemplis Recepta. ℞. Solis foliati scrupulos quatuor, Alcool Vini de pino, de melissa ana, &c. Parac. in descript. Balsami solis, pag. 90. chyr. major. *Extractio Mumiæ fit per commixtionem ejus cum Essentia Vini ex chelidonia sumpti, &c.* Parac. in descript. Tincturæ Mumiæ, cap. x. libr. 3. de vita long. pag. 65. ℞. *Essentiam Vini ex chelidonia, Mercurium saturninum, &c.* Parac. libro 8. cap. 10. *de* Tumoribus, pustulis, pag. 138. chyr. Major *in hisce & ejusmodi Receptis per Alcool vini de pino, melissa, chelidonia, &c. secundarium intelligit Vini phil. spiritum, sive earum rerum Essentiam, spiritu priori confectam, quod & probatur* ex cap. 5. libri. 3. de vita longa pag. 63. *ubi Paracelsus herbarum Essentias nuncupat Elixir Vitæ vel Vinum Salutis ex hac vel ista herba confectum, quod, inquit, exemplo melissæ innotescet.* Digere Melissam (*cum primario vini phil. spiritu*) Philosophico mense in Athanar, deinde ita separa, ut duplata elementa seorsim appareant, & continuò elucescet quinta Essentia quæ Elixir vitæ est, in Nepitha acerba, in Lolio lutea, in Tincio nigricans, in Lupulo tenuis & alba, in Cuscuta austera, in aliis similiter, judicandum juxta experientiæ præscriptum. Porrò extracto spiritu isto & ab altero separato; ecce Vinum salutis (*Essentiam Melissæ*) in quo Pseudo-philosophi aliquot secula obnixè laboraverunt, nihil tamen unquam sunt assequuti. Et bona pars eorum qui Raymundum sunt secuti (*sequi voluerunt secundùm literam intelligentes Vinum rubeum vel album*) aliquot dolia Vini relevârunt dum elicerent quintam Essentiam Vini, nihil prorsus deprehenderunt præter Vinum adustum, quo perperam pro spiritu Vini usi sunt, ita sufficit admonuisse. spagyrum, qua ratione herbis quinta Essentia insit.

Non

Non ex Vegetabili tantùm, sed animali etiam Regno hic duplex tam primarius quàm secundarius confici potest Vini spiritus. Ita legitur de Aqua vitæ & phlegmate Vini Lotii in experimento XVI. Lullii & in Paramiro Paracelsi pag. 57. Multi sedulò laborarunt, ut in homine reperirent ejus sanitatem, Aquam Vitæ, Lapidem Philosophorum, Arcanum, Balsamum, Aurum potabile & similia. Quod rectè fecerunt, nam ista omnia in isto latent, ac in externo mundo quoque consistunt. *Ita etiam apud eum extat Liquoris Carnium descriptio, pag.* 505. ℞. Liquoris de Carne uncias sex, Mumiæ, &c. *Hic per liquorem intelligit Vinum Carnis, quod ex ipso probatur Paracelso, dicente:* Ubi & juxtà hoc notandum est, quòd Vinum Melissæ in asthmate secretum existat, observandum hîc etiam est, hoc per pulmonariam non herbam sed liquorem, hoc est, Vinum, in hac cura locum habere. *Quibus in verbis Liquor & Vinum Pulmonariæ synonyma sunt. Ita* in libro 8. de Tumoribus cap. 3. *per liquorem Hermodactilorum,* & cap. 9. *per liquorem Melissæ.* Et libr. 9. cap. 4. *per liquorem Parthenionis,* Et cap. 5. *per liquorem Bdellii, &c. eorum omnium Vina sive Essentiæ intelligi debent. Quanquam ex arido mineralium Regno neque primarius neque secundarius produci possit spiritus, (sunt quidem quædam purè oleosa, ut oleum Petræ, Naphthæ, Carbonum fossilium, succini, Agathis, &c. Quæ pro hujus Regni reputantur indigenis, quorum tamen oleositas tam parùm à Vegetabilium & Animalium unctuositate differt, ut metallicum haud dici mereatur) nihilominus eandem ob causam, quà Vegetabilium Essentiæ & liquores dicuntur Vina, Essentia Regni Mineralis quoque aliquando dicitur liquor & Vinum Mineralium, ita liquor sive Essentia Vitrioli sive Cupri dicitur Vinum Metalli primi,* cap. XII. libri 3. de vita longa pag. 65.

Nunc præmissorum horum lumine instructi propiùs accedamus ad vini Lulliani spiritum; quem inveniemus olei instar super phlegmata sua natantem, ex Aqua vitæ non vulgi, sed philosophicà circulando ortum. Verum cùm reliquæ essentiæ omnes conficiantur mediante Essentiâ quâdam; hæc prima Vini Essentia sola, propriis viribus emergi debet ex fæculentiis & impuritatibus suis; hinc vini phil. (rubei vel albi) confectio totius secretioris chymiæ opus reddit difficillimum & secretissimum, de quo ex professo, Nutu Dei, libro speciali (videlicet quinto) scripturi sumus. In præsenti constituimus

constituimus hujus Vini usum prosequi in menstruorum Confectionibus, ubi Aquam vitæ reperimus menstruorum omnium primum & debilius, quod redactum circulatione solâ in oleum, redditur seipso multò excellentius. Lullii Receptum satis clarum est, nihilominus id aliorum adeptorum Receptis confirmare saltem, si non illustrare consultum duximus. Johannes de Rupescissa, *Lullii discipulus distinctionem primam libri Essentiæ sui magistri, tanti æstimavit, ut hanc parumper alterando suam fecerit, is Vini philosophi spiritum descripsit hoc modo.*

2. *Essentia, Anima, seu Spiritus Vini* Johannis de Rupescissa *descripta cap. V. libri de quinta Essentia.*

NON reputes me mendacium protulisse, quia quintam Essentiam nominavi aquam ardentem, & dixi, quòd nemo hodiernorum philosophorum & medicorum pervenit ad eam, cum Aqua ardens communiter inveniatur ubique: quia verum dixi pro certo. Nam Magisterium quintæ Essentiæ est occultum, & non vidi nisi unum comprobatissimum theologum, qui intelligeret quicquam de secreto & Magisterio ejus: & assero pro vero, quòd quinta Essentia est Aqua ardens, & non est aqua ardens. Et Deus Cœli ponat prudentiam in corde Evangelicorum virorum, pro quibus fabrico librum istum, ut non communicent cum reprobis hoc venerandum Dei arcanum. Ecce modò aperio tibi veritatem. Non accipies Vinum nimis aquosum, nec vinum nigrum, terrestre, insipidum, sed vinum nobile, jucundum, saporosum, & oderiferum, melius quàm inveniri possit: & distilla eum in cononibus totiens, donec feceris meliorem aquam ardentem, quam scias facere, ut puta à tribus vicibus usque septies eam destilles: & hæc est aqua ardens, ad quam hodierni medici non pervenerunt. Hæc aqua est Materia, de qua extrahitur quinta Essentia, quam intendimus principaliter in hoc libro. Quia postmodum tuam nobilem aquam habueris, fabricari facies in furno vitrariorum unum destillatorium tale: totum integrum ex una pecia, cum uno solo foramine superius, per

per quod ponetur & extrahetur aqua. Vides enim ſic mirificè inſtrumentum formatum, ut illud, quod virtute ignis aſcendit, & diſtillatur in vas per canales brachiales, iterum reportetur, ut iterum aſcendat, & iterum deſcendat continuè die ac nocte, donec aqua ardens in quintam Eſſentiam per Dei voluntatem cœlitùs convertatur. Et eſt intellectus operationis in hoc: Quoniam melior aqua ardens, quæ poſſit fieri, habet adhuc miſtionem materialem quatuor Elementorum, ideò ordinatum eſt divino ſpiraculo, ut per continuas aſcenſiones & deſcenſiones ſeparetur quinta Eſſentia quam quærimus à corruptibili compoſitione quatuor Elementorum, & hoc fit, quia iſtud, quod ſecundo & ſæpe ſublimatur, eſt magis ſubtile & glorificatum, & à corruptione quatuor Elementorum ſeparatum, quàm quando ſolùm una vice aſcendit & ſic uſque ad mille vices, & per continuum aſcenſum & deſcenſum quod ſublimatur, ad tantam altitudinem Glorificationis venit, ut ſit compoſitum incorruptibile ferè, ſicut Cœlum & de natura Cœli, & ideò quinta Eſſentia appellatur; quia ita ſe habet ratione corporis noſtri, ſicut Cœlum ratione totius Mundi, ferè eo modo, quo Ars poteſt imitari naturam, per quoddam ſimile propinquum & connaturale.

Factâ igitur per multos dies in vaſe Circulationis, circulari deſtillatione, aperies foramen vaſis quod eſt in capite, quod quidem ſigillatum fuiſſe ſupponitur cum ſigillo compoſito ex luto Sapientiæ, facto ex farinâ ſubtiliſſimâ, & albumine ovi, & ex papyro humidâ diligentiſſimè carminativâ & miſtâ, ne ullo modo unquam reſpirare poſſit; & cùm foramen aperueris, ſi odor, qui ſupermirabilis eſſe debet, ita ut nulla mundana fragrantia ei valeat adæquari, qui videbitur deſcendiſſe quaſi de ſublimitate glorioſiſſimi Dei, in tantum, ut ſi fuerit vas poſitum in angulo domûs, ex fragrantia quintæ Eſſentiæ (quod mirabile & ſummè miraculoſum eſt:) attrahat ad ſe vinculo inviſibili univerſos intrantes: tunc habes quintam Eſſentiam, quam audiviſti, ad quam nulli hodiernorum Philoſophorum & Medicorum quod potuerim ſcire, pervenerunt, niſi ille quem excepi ſupra.

Quod ſi non inveneris odorem & influxum attractionis hominum, ſicut dixi, ſigilla vas ſicut prius, & reduc ad calorem ſuperius deſcriptum, ut per ſublimationes & circulationes pervenias ad optatum, videlicet ut hanc quintam Eſſentiam ſic

Glorificatam invenias in odorem inæſtimabilis fragrantiæ & odoris mirificè Glorificati; & influxum attractionis ſupra expreſſum: & non ſolum ut mirificè redoleat, ſed etiam ad quandam incorruptibilitatem pleniùs ſe reducat; non habebit illum ardorem in ore tuo, quem habet Aqua ardens, nec illam humiditatem, id eſt, talem aqueitatem fluentem, quoniam acutus ardor aquæ ardentis, & ejus aquea humiditas per ſublimationes & circulationes penitùs corrumpitur, & terreitas remanebit ſeparata in fundo: Et tam Cœlum quàm ſtellæ, ex quibus hæc noſtra quinta Eſſentia eſt compoſita ex materia & forma, non ſunt ſicut illa, quæ eſt compoſita ex quatuor Elementis, ſed eſt ibi materia valdè modica, glorificata in tantum uſque ad ſummum, nobili forma impletum, ut potentia materiæ ad ullam formam aliam aſpirare non poſſit, & ſic remanet incorrupta, donec juſſu Creatoris compoſitio deſtruatur. Nec quinta Eſſentia, quam quærimus, ad incorruptionem Cœli omninò reducitur, ſicut nec artificium adæquatur naturæ; ſed tamen incorruptibilis eſt reſpectu compoſitionis factæ ex quatuor Elementis; quoniam ſi eſſet omninò incorruptibilis, ſicut Cœlum, perpetuaret omninò Corpus noſtrum, quod fieri prohibet conditor naturæ Dominus Jeſus Chriſtus. Jam multum aperui tibi de ſecreto, ad Gloriam immortalis Dei.

Paracelſus ſuam extrahit Vini Philoſophici Eſſentiam non ex Aqua ardente, ſed ex ipſo Vino Philoſophico, ita.

3. *Spiritus Vini Paracelſi.*

Deſcrip Cap. IX. Libri Tertii de Vita longa, pag. 64.

DIgere Vinum pellicano infuſum fimo equino, idque bimeſtre ſpatium continuò, videbis adeò tenue ac purum, ut pinguedinem quandam, quæ Spiritus Vini eſt, in ſuperficie ultrò eliciat. Porrò quicquid ſub hac eſt, Phlegma citra omnem Vini naturam exiſtit Pinguedo autem ſola Phialæ incluſa & per ſe digeſta ſummæ energiæ eſt ad Vitam longam.

Guido

Guido sequenti usus est methodo, parùm differenti a Paracelsica.

4. *Essentia Vini Guidonis.*
Descripta pag. 1. Thesaur. Chiim.

℞. VInum Album, vel Rubeum quod melius est, destilla ex Busquedum materia remaneat in Mellis consistentia; quam in duas partes divisam in cucurbita duplicata, cum destillato liquore permisce, iterumque conjunge, & peractâ sex septimanarum digistione innatabit Oleum Viride, quod separa per tritorium.

Ex Receptis sequentia observamus notatu digna.

1. *Vinum Rubeum vel Album non commune esse, sed Philosophicum; istudque esse unicum istud, quod in quatuor hisce Libris obscurum est, non juxta literam, sed per Analogiam intelligendum; at Aqua ardens, Aqua Vitæ, Spiritus vel Essentia Vini Philosophici nomina propria sunt.*

2. *Aquam ardentem Vini Phil. in aliquibus convenire cum Spiritûs Vini communis proprietatibus; videlicet, destillando ille præcedit Phlegma suum. Rectificatur, ùt communis, à Phlegmate suo. Tandem rectificatus cognoscitur comburendo linteum, saccharum, &c.*

3. *Aquam ardentem hanc circulando indies amittere humiditatem & acuitatem, tandemque redigi in Oleum supernatans, Vini Phil. Essentiam & Spiritum. Sed quis unquam redegit communem Spiritum Vini, vel Aquam Vitis, solâ Circulatione in Oleum? Quis inquam Oleum istud continuatâ Circulatione redegit ad siccitatem? Ita ut salis instar volatilis sublimari queat, mediante igne satis forti, utì* Isaacus *se expertum esse testatur in Descriptione sui Lapidis Vegetabilis,* de quo inferiùs Libro Tertio.

4. *Vini Oleum vel Essentiam variis & diversis modis confici posse ex Vino Philosophico.*

5. *Juxtà Methodi varietatem non solùm tempus variari, sed etiam odorem, colorem, &c. ipsius Essentiæ. Lullii Essentia*

instar Cœli, id est, Lazurini coloris est; Oleum Guidonis est viride.

6. *Odorem non habere adeò fragrantem, nisi in se habeat Corpus dissolutum, præsertim Metallicum vel Minerale.*

7. *Cœlum hoc, menstruorum omnium primum, medicamen etiam esse & dici Essentiam vel specificum ad vitam longam.*

8. *Cœlum dici ob varias causas à Lullio.*

Primò, *Quoniam Cœli instar contraria operatur.*

Nostrum Menstruum Vegetabile, *inquit Lullius*, Cœleste animal, quod dicitur quinta Essentia, carnes à corruptione conservat, Elementativa confortat, juventus pristina per ipsam restauratur, Spiritum vivificat, crudum digerit, rarum indurat, induratum rarificat; macrum impinguat, pingue debilitat; inflammatum infrigidat, infrigidatum inflammat; humidum desiccat, siccum humectat quoque; una & eadem res contrarias potest Operationes. Actus unius rei diversificatur secundùm naturam recipientis, sicut calor solis qui contrarias Operationes habet, quia lutum desiccat & ceram liquefacit, actus tamen solis unus est in se, neque in se contrariatur.

Secundò, *Quoniam Cœli instar omnium rerum formas recipit.*

Sicut forma universalis (*Cœlum Macrocosmicum*) habet appetitum ad omnem formam, sic quinta Essentia (*Vini Phil.*) ad quamcumque complexionem; ex quo evidenter patet, quod quinta rerum Essentia illius dicitur esse complexionis, cui adjungitur, si calidis adjungitur calida, si frigidis frigida, &c. Hanc ergò Philosophi vocaverunt Cœlum, quoniam sicut Cœlum influit in nobis aliquando calorem, aliquando humiditatem, &c. sic quinta Essentia in corporibus humanis ad Artistæ placitum, &c. *Distinct. 1. Libri Essentiæ.* Huic Cœlo applicamus stellas suas, quæ sunt Plantæ, Lapides, & Metalla, ut communicent in nobis vitam & salutem. *Ibidem.*

Tertiò *Quoniam Cœli instar omnia movet de potentia in Actum.*

Propterea Cœlum seu noster Mercurius est causa & principium movens C. (C) (*Metalla*) de potentia ad Actum. Et in isto passu cognoscit intellectus artistæ, quod D. (*Cœlum nostrum*) actionem habet super C. & (C) regens & gubernans, & reducens in Actum, quemadmodum Cœlum illud quod existit in rebus Elementalibus, motu proprio deducit in Actum, &c. nam ipsum dicimus Cœlum ratione sui motus, quoniam sicut

Cœlum

Cœlum ſuperius movet univerſalem formam & primam materiam, & Elementa, & ſenſus, ad componendum Elementata individua; ita D movet C & (C) & quatuor Elementa ad M. (*Sulphur Naturæ ſeu Mercurium Phil.*) vel ad Q. (*Tincturam*) *Diſtinct. 3. de quarto Principio Libri Eſſentiæ.*

Quartò *Quoniam Cœli inſtar incorruptibile eſt.*

Aqua Vitæ eſt anima, & Vita corporum per quam Lapis noſter vivificatur, ideo Cœlum & quintam Eſſentiam ac Oleum incombuſtibile & aliis infinitis nominibus eam nominamus: quoniam incorruptibilis eſt ferè, ut Cœlum, in continua ſui motus circulatione. *Pag. 145. Elucid. Teſtam.*

Quintò *Quoniam Cœleſtini coloris & claritatis eſt.*

Cœlum ſeu noſter Mercurius eſt quartum principium in arte, & ſignificatum eſt per D coloris lazurini & lineæ ejuſdem coloris, & per iſtum colorem ſignificatur, quod eſt Cœleſte, & de natura Cœleſti, ut diximus ſuperiùs in ejus deſcriptione. *Diſt. 3. Libri Eſſentiæ.*

Johannes de Rupeſciſſa *Eſſentiam vocat Cœlum humanum ob ſequentes rationes.*

Oportet rem quærere quæ ſic ſe habeat reſpectu quatuor qualitatum, quibus compoſitum eſt Corpus noſtrum; ſicut ſe habet Cœlum reſpectu quatuor Elementorum: Philoſophi autem vocaverunt Cœlum quintam Eſſentiam reſpectu quatuor Elementorum, quia in ſe Cœlum eſt incorruptibile & immutabile, & non recipiens peregrinas impreſſiones, niſi fieret juſſu Dei. Sic & res, quam quærimus, eſt reſpectu quatuor qualitatum Corporis noſtri, quinta Eſſentia, in ſe incorruptibilis ſic facta, non calida ſicca cum igne: nec humida frigida cum Aqua: nec calida humida cum aere: nec frigida ſicca cum Terra: ſed eſt Eſſentia quinta, valens ad contraria, ſicut Cœlum incorruptibile, quod, quando neceſſe eſt, influit qualitatem humidam, aliquando calidam, aliquando frigidam, aliquando ſiccam. Talis eſt Radix Vitæ Eſſentia quinta, quam creavit Altiſſimus in natura, ut poſſit ſupplere neceſſitati Corporis uſque ad illum ultimum terminum, quem Deus conſtituit Vitæ noſtræ. Et dixi, quòd quintam Eſſentiam creavit Altiſſimus, quæ extrahitur de Corpore naturæ creatæ à Deo cum artificio humano, & nomina-

bo eam tribus nominibus ſuis à Philoſophis ſibi impoſitis: Vocatur Aqua ardens, Anima Vini, ſeu Spiritus, & Aqua Vitæ. Et quando tu voles eam occultare, vocabis eam quintam Eſſentiam, quia hanc ejus naturam, & hoc nomen ſuum, ſummi Philoſophi nemini pandere voluerunt, ſed ſecum veritatem ſepeliri fecerunt: Et quod non ſit humida ſicut Elementum Aquæ, demonſtratum eſt, quia comburitur, quod aquæ Elementari repugnat. Quod non ſit calida & humida ſicut aer, declaratus, quia aer ſiccus quâcunque re corrumpitur, ſic paret in generatione aranearum & muſcarum: Sed iſta ſemper incorrupta manet ſi clauſa à volatu ſervetur. Quod non ſit ſicca & frigida ſicut Terra demonſtratur expreſſè, quia ſummè acuit & ſummè calefacit. Quod autem non ſit calida & ſicca, ſicut ignis demonſtratur ad oculum; quia calida infrigidat, & calidos morbos minuit & annullat. Quod autem incorruptibilitati conferat, & à corruptibilitate præſervet, demonſtrabo ex Experientia aſſumpta: quoniam ſi quæcunque avis, aut carnis fruſtum, aut piſcis infundatur in ea, non corrumpetur quamdiu permanebit in ea; quanto magis ergò carnem animatam & vivam Corporis noſtri ab omni corruptione ſervabit? Hæc quinta Eſſentia eſt Cœlum humanum, quod creavit Altiſſimus ad conſervationem quatuor qualitatum Corporis humani, ſicut Cœlum ad conſervationem totius univerſi. Et ſcito pro certo, quòd Philoſophi hodierni & medici ignorant omninò hanc quintam Eſſentiam & veritatem & virtutem ejus: Sed ego auxilio Dei, inferiùs revelabo tibi magiſterium ejus. *Et* huc uſque docui te rem ſecretam, quintam Eſſentiam, id eſt, Cœlum humanum. *Cap. 2. Libri Eſſentiæ.*

9. *Tandem Receptis hiſce claris plurima illuſtrari obſcuriora aliàs à nemine intelligibilia.*

II. Genus.

II. Genus.

Menstrua Vegetabilia Simplicia ex Spiritu Vini Phil. & Vegetabilibus calidissimis, Herbis Floribus, Radicibus, &c. Oleosis.

5. Anima Metallica, seu Lunaria Cœlica Lullii, *Descripta in Composit. Animæ Transmut. pag. 193. Vol. 3. Theat. Chym.*

PRimò scias, quòd Materia nostri Lapidis seu omnium Lapidum Philosophorum atque virtuosorum, qui per artificium generantur vel componuntur, est Anima Metallica, & menstruum nostrum rectificatum & acuatum, seu Lunaria Cœlica, quæ apud Philosophos vocatur Mercurius Vegetabilis, ortus à Vino Rubeo vel Albo, ut clarè patet, & clarè demonstratum existit divinitùs revelatum in Figura individuorum distinct. 3. Libri quintæ Essentiæ, &c.

Sed tamen Oportet priùs nostrum menstruum per Magisterium à morte, id est, sordibus Vini & Phlegmate extrahere per officium Alembici, & acuari in destillatione cum Vegetabilibus pertinentibus: quæ sunt, Apium Sylvestre, Squilla, Solatrum, Carduus, Oliandrum, Piper Nigrum, Euforbium, Viticella seu Flammula, & Pyrethrum, omnium ana & pulverisata. Ex altera parte ipsum menstruum rotetur continuè spatio decem dierum in fimo calido aut Balneo Mariæ.

Annotationes.

UNctuosus Vini Phil. Spiritus non nisi unctuosas extrahit naturales Essentias Vegetabilium, ut inferiùs observabimus.

Libro

Libro de Medicamentis. Essentias ita extractas, ut & cætera Oleosa cruda sive expressa & destillata utriusque regni, Animalis & Vegetabilis, hic Vini Spiritus per simplicem digestionem dividitur in duas partes distinctas, duo Olea sive pinguedines, quarum una rei Essentia est, altera Corpus. Essentiam ita Confectam Spiritum Vini secundarium superiùs nominavimus. Essentiæ ambæ, hæc per divisionem, & illa per extractionem præparatæ per longiorem digestionem cum prædicto Vini Spiritu unum fiunt. Nam quæ unius & ejusdem sunt puritatis, & symbolicæ naturæ, commiscentur facilè & inseparabiliter; adeòque Essentia per Essentiam Confecta, eidem Essentiæ jungitur. Et si ulteriùs protrahamus digestionem, tandem pinguedinum alterutra, Corpus videlicet minus Oleosum, propterèaque relictum hactenus, recipitur in naturam symbolicam, ob cujus admixtionem, non solùm multiplicatur Spiritus, sed imò particulis hujus Corporis minus Oleosi ad ariditatem vergentibus, ad Aridorum dissolutiones aptior redditur, de quo modo agimus in dicto Recepto, cujus præscriptione Oleum ex Vegetabilibus Oleosis destillando unà cum Vini Phil. Spiritu prolectum, circulatur in Magisterium (sive Essentiam duplicem, naturalem & artificialem, de qua inferiùs suo loco) quo Spiritus Vini multiplicatur, & aridis magis homogeneus redditur. Idem extat Menstruum, sed Paulò aliter descriptum in Magia Naturali pag. 358. *Sic,*

℞. Nigrum nigrius nigro, & ex eodem decem vel octo partes destilla in vase vitreo, & in prima destillatione solùm recipies dimidiam partem, hanc iterum destilla, & hujus recipe quartam partem, & tertia destillatione recipies quasi totum, & sic destilla illam partem usque ad octo vel novem vices, & erit perfecta, sed non rectificata nisi in vigesima secunda destillatione. ℞. Hujus aquæ partem quartam Libræ unius, & eandem acue destillando cum Vegetabilibus, quæ sunt Apium Sylvestre, & sic de cæteris aliis, de quibus dictum est supra in Anima transmutationis in Capitulo, quod incipit: Sed tamen oportet, &c. Et posteà pone in vase Circulationis in fimo calidissimo, vel in Vinaria sub conservatione specierum. Quæ Aqua est etiam una de rebus, sine quibus nihil potest fieri in Magisterio hujus artis.

Menstruum, quod à morte Vini per Officium alembici extrahi, dictis Vegetabilibus ncui, & tandem circulari debet, ipse Vini

Phil.

Phil. Spiritus est, qui ita per hos exaltatur gradus, ut meritò à Lullio vocetur materia omnium Lapidum Philosophorum & virtuosorum (id est, Lapidum pretiosorum) *Anima Metallica & Lunaria Cœlica quæ etiam vocatur Mercurius Vegetabilis, ortus à Vino Rubeo vel Albo.*

Materia, ex qua hoc conficitur menstruum, vocatur Vinum in priori Recepto: Oportet menstruum extrahere à morte Vini. *Sed in posteriori vocatur* Nigrum nigrius nigro. *His duobus à Lullio tertium additur Synonymum* pag. 1. Test. Novissimi. ℞. Vinum Rubeum, quod liquorem Lunariæ & Nigrum nigrius nigro vocamus. *Per quæ Synonyma nemo nisi stolidus commune intelliget Vinum; communis enim ex hoc destillatus Spiritus ad talia & tanta perficienda omninò insufficiens est, imò omnia Arcana secretioris Chymiæ, quibus describendis insudamus, unicò hoc verbo literaliter intellecto prostituta essent omnibus, per Vinum ergò intelligitur Philosophicum secretum, omnibus inexpertis absconditum.*

Oportet extrahere à morte Vini per officium Alembici: *id est, Oportet toties rectificare, donec fiat purissimus absque sordibus & Phlegmate Vini, quod mors Spiritûs vocatur à Lullio.* Purgatur, *inquit*, de tota sua superfluitate & Phlegmatica materia corruptibili, quæ ipsius mors est, & quæ mortificat suum Spiritum, qui potestatem habet vivificandi suam Terram; purgetur ergò & separetur ab eo Phlegma corruptibile per subtile ingenium, quod tibi dicam. Quare? quia si non benè purgetur, nunquam Terra ejus bene albificatur, nec fiet matrimonium inter Corpus & Spiritum. Et sic tunc ille Spiritus nominatus est Spiritus Lapidis, *in Apertorio.*

Rectificationis Methodus in priori Recepto omissa describitur in posteriori, ut & in Epistola accurtatoria. Hanc Vini Phil. rectificationem non intellexit Sendivogius, uti apparet ex Epistolarum suarum sexta. Brux. 25. Martii 1646. *ubi sic:* Secundus articulus Pagesiani operis, Domine sodalis, extrahendi & subinde præparandi Mercurii modum Mysteriosum, magis quam par fuit, ex Authoritate Lulliana malè intellecta, aliorúmque præceptis Philosophorum malè applicatis repetere conatur, dum per destillationem decimam partem suæ magnesiæ primò ascendentem, quasi solam utilem & verè Mercurialem substantiam, novem verò reliquas partes per continuationem distilla-

tionis prodeuntes, ut inutiles ejici jubet, ad hoc ut tandem dicta decima pars asservata, Terræ residenti post completam destillationem (quam Terram Sal Sulphurque Mercurii ineptè autumant) restituatur, & per repetitas cohobationes, inhumationes, digestiones, & sublimationes ab ipso descriptas uniantur; sed graviter hallucinantur, nam quod tradunt Authores de parte denaria Spiritum continente, déque inhumationibus propria in Terra, aliò refertur quàm extractioni & præparationi Mercurii, ut alibi aliquando demonstrabitur, nec ulla est adhibenda regula dictæ extractioni, & præparationi Mercurii, præter simplicem destillationem Magnesiæ, quâ Spiritus & Oleum simul elevantur ad siccitatem usque fæcum & separationem Spiritûs ab Oleo, ejusdémque Spiritus rectificationem multoties repetitam. Sed hæc in modo agendi suo loco amplissimè dabimus.

Parisinus Lullii Discipulus corriget Sendivogium, qui à Lullio hoc modo suum Vini Phil. Spiritum rectificare didicit, hoc modo:

℞. A (*Chaos, Mercurium nostrum Vegetabilem, in quo quatuor Elementa confusa inveniuntur. pag. 271. Vol. sexti Theat. Chym.*) & pone in vase ad distillandum per Y (*Balneum pag. 276.*) & collige in hac destillatione temperata suum, B. (*Spiritum Cœlestem ardentem pag. 269.*) continua illam destillationem cum hoc regimine & modo usque ad signa in nostro apertoriali significata, & usque dum cognoscas quod dictum *B* sit dissolutum & separatum de natura sua Elementali, continuando hoc Magisterium usque ad quartam revolutionem. Deinde pone istam Cœlestem materiam igneam in vas purum, & destilla lentè cum igne consueto, & accipe solummodò decimam partem. In secunda destillatione accipe dimidiam partem, & in tertia duas partes de tribus, & in quarta accipe quatuor partes de quinque partibus & ultrà. Tunc accipe postremam illam Aquam Cœlestem & illam ter vel quater destilla cum regimine supradicto, capiendo totam sine aliqua separatione instituta. Hoc animadverte, & necessitatem istius Mysterii & Fundamenti admirare, & intelliges qua ratione ignari & crassæ Minervæ homines pessimum panem conficiunt cum Pulchra & Optima farina, quia partem crassam cum subtili componunt; idem præsumptuosis Artistis accidit, qui sibi persuadent se pulchritudinem

nem quintæ Essentiæ nostræ reperire posse cum Spiritu exuberato negligenter depurato absque justa puri separatione ab impuro. *in Elucid. pag. 230. Volum. 6. Theatri Chym.*

Quem tamen modum rectificationis tam exactè observare nulla mihi videtur esse necessitas; cùm Spiritûs rectificatio, quocunque etiam fiat modo, pauciorìbus vel pluribus cohobationibus satis sit bona, dummodo fuerit separatus à sordibus Vini, quod cognosces, inquit Lullius, *quando comburit petiam lintei propter sui ardorem, hoc est, ut alibi clariùs, donec linteum Spiritu hoc madefactum, si accendatur, consumatur totum.*

Hic rectificatus Spiritus destillando acuitur Vegetabilibus Oleosis in Recepto denominatis, quorum Olea sibi proxima facilè secum evehit, iisdem impræegnatur, & ariditate in iis contenta acuitur; neque tamen incumbit nobis, ut Vegetabilibus hisce solis, non aliis simul uti liceat: vel necesse sit, hæc omnia insimul miscere, quasi unum vel duo non sufficerent. Oleum cujuscunque Vegetabilis hic nobis satisfaciet, vel ex Vegetabili eductum, ipso mediante Vini Phil. Spiritu: vel jam modò confectum & Spiritui Vini Phil. additum. Unam alteramve formulam pro hujus menstruorum generis confirmatione dabo; cujusmodi est,

6. Aqua Vitæ Paracelsi.
Descr. p.508. Tomi 1.

℞. ALcool Vini exsiccati libras tres, foliorum Anthos, Macis, Lavendulæ ana unciam semis; Cubebarum, Caryophillorum, Cinamomi ana uncias duas; Masticis unciam semis; Storacis utriusque ana drachmam semis; Doronici uncias tres; reduc in septimum Alembicum.

Aquam hanc Vini Phil. Spiritu confectam esse, præter Alcool Vini exsiccati, testatur usus sequens. ℞. Foliorum auri No. XX. Margaritarum non perforatarum, Granatorum, Rubinorum ana drachmam semis; reduc ad digestionem per mensem. Hujus Olei accipe grana tria vel quatuor cum Vino malvatico aut Aqua Majoranæ vel Salviæ. *Menstruum hoc Vinum Essatum vel Essentificatum est, sive Spiritus Vini Phil. Oleosorum ingredientium Essentiis impræegnatus, quo Aurum, Lapidesque pretiosos dis-*

dissolvit Paracelsus in Oleum sive Elixir nobilissimum, quod arcanum esse ait in superfluitate menstruorum, puta muliebrium. Hujus Aquæ descriptio, quia clara est, alieno lumine non indiget. Proponam igitur aliud Receptum magis obscurum.

7. Aqua Vitæ Paracelsi alia. *Descript. p. 115. Chyr. min.*

℞. Aquarum Melissæ, Rosarum, Cheiri, Salviæ, Balsami, ana libram unam; Piperum omnium, Cubebarum, Zinziberis, Cinamomi, Masticis, Myrrhæ rubræ, Macis, Caryophillorum, ana uncias duas, succi mellis libram semis. *Aquæ Vitæ rectificatæ libras quinque.* Digerantur omnia simul per novem dies, & postea separentur & in pellicano destillentur in Spiritum. Tandem ad hunc liquorem adde pomum tostum & fractum & simul unà cum subsequentibus aromatibus digerantur super cineres per tres dies, de qua sumantur grana quinque singulis diebus. *Aromata hæc sunt.* ℞. Cinamomi, Caryophillorum, Macis, ana uncias duas; Cheiri, Anthos, ana unciam semis; Ambræ drachmas duas; Moschi grana quinque; Zibethæ drachmam semis; Zinziberis, Cubebarum, Nucis Moschatæ ana unciam unam semis; Amomi drachmas duas; Zedoariæ uncias duas semis; Granorum Paradisi unciam unam semis. Post horum omnium digestionem separa, servàque vasis vitreis obstructissimis.

Ex ipsa dosi hujus præscriptionis liquet operationem esse merè Philosophicam, quod si enim per Aquam Vitæ intellectum voluisset vulgarem Spiritum Vini, omninò ridiculum fuisset propinare tantùm quinque grana pro dosi.

Plura hujus generis nobis occurrunt menstrua, quæ tamen, cùm parùm à pristina Spiritûs Vini Phil. natura recedant, ab Adeptis aliquibus minùs fuere observata; idcircò Christophorus Parisinus, nobilis siculus, hanc non admodum laudat acuitionem Spiritûs Vini Phil. Quidam, *inquit*, acutum fecerunt (*prædictum Spiritum*) cum Vitriolo, qui modus satis bonus est; quidam cum Nitro; quidam cum Cinnabari; quidam verò cum his duobus; quidam cum omnibus tribus; quidam cum Terra ipsorum;

qui

qui modus mihi displicet, quia hac ratione crassa unctositas & ponderositas introducta fuit. Quidam Vegetabilibus sunt usi, ut sunt Herbæ, Radices, Flores, Semina tibi cognita, quæ in se potentes Mercurios (*Vegetabiles*) habent; hinc est, quòd qui illum hoc modo tractarunt, formam ejus Vegetabilem (*unctuositatem*) potiùs augmentarint, quàm ut magis solubilem reddiderint, *Parisinus in Elucidario pag.* 231. *Volum.* 6. *Theatri Chym.*

Hinc est, quòd Ripleus Parisini condiscipulus hæc pallio Philosophiæ tecta esse crediderit; ita enim scribit in sua medulla Philos. Raymundus dicit, quòd debeat extrahi de morte & secibus Vini per 120 dies, per continuam rotationem in Balneo calidissimi fimi, & quòd acuetur cum rebus Vegetabilibus calidis, ut sunt Piper Nigrum, Euphorbium, Pyrethrum, Anacardus, Squilla, Solatrum, Apium Sylvestre, & hujusmodi similibus; nam sine virtute harum rerum, ut ille dicit, non est sufficiens, dissolvere Metalla, nisi longo tempore, sed ut nihil dubii aut ambigui appareat, dico, quòd hæc omnia cooperta & tecta sunt pallio Philosophiæ. Nam animus illius est, quòd in hoc Spiritu habeatur aliud menstruum resolubile, quia sine tali menstruo resolutivo solutio nunquam fieri potest. Et illud menstruum resolubile generatur solummodò ex genere Metallorum, & per menstruum nostrum resolutivum producitur in actum. *Ripleus pag.* 168. *Medullæ Philos.*

Ripleus per menstruum resolubile, menstruo resolutivo, (id est, Vini Phil. Spiritu) *in actum productum, intellexit Aquam quandam mercurialem, de cujus præparatione inferius, ubi similiter patebit per prædicta Vegetabilia Lullium intellexisse Mercurium currentem. Nihilominus tamen Vegetabilia hæc aliquando quoque sumpsisse literaliter, sequens ejus probat menstruum.*

8. Aqua Vitæ Riplei.

Descr. p. 338. *Viatici.*

Destillato menstruo à primis sebibus; fiat circulatio ipsius cum speciebus calidissimis, sicut sunt Piper Nigrum, Euphorbium, Pyrethrum, Anacardi, grana Paradisi & hujusmodi,

per

per centum dies in Balneo, & posteà destilletur tantùm medietas ipsius, & cum illa fac putrefactionem tuam, &c.

Hic Ripleum sumpsisse Vegetabilia hæc, non argentum vivum, inde patet, quòd peractâ Circulatione, Spiritûs medietatem tantùm, utpote subtiliorem Vegetabilium destillet partem; quo casu istud Metallum, (♀) licèt dissolutum, remaneret in fundo. Verùm ubi Lullius Spiritum acuit destillando, & deinde circulat; Ripleus hoc facit Circulando, & posteà destillat. Aliquando huic Aquæ Vitæ Olea addit, sive Essentias vel Metallorum vel Vegetabilium, ut sequitur.

9. Aqua Vitæ Composita Riplei.

Descripta pag. 343. Viatici.

CIrculetur Vinum Rubeum fortissimum cum Vegetabilibus notis per 120 dies, rotatu continuo in Balneo, & postmodum trahatur per destillationem tantùm purissimus Spiritus, cui imponatur Oleum Lunæ purissimæ, factum sine corrosivo, & circulentur simul per alios centum dies, & tunc est aqua de natura Basilisci, quia sicut in instanti solo aspectu, Basiliscus hominem interficit, sic Aqua ista impositum ei argentum vivum sine igne alieno quasi subitò congelat in argentum optimum; & nota si ignis (*Oleum vel Essentia*) Chelidoniæ imponatur, aut ignis florum Thymi post primam Circulationem, & absque oleo Lunæ simul circulentur decem diebus, multò meliùs congelabis argentum vivum, &c.

At, quod majorem parit scrupulum, est ipsius Lullii in hunc locum commentatio. Nolumus, *inquit*, te ignorare, quòd Argentum vivum nostrum (*veget.*) poteris in alia ratione à sua minera extrahere: Fili, modus est, ut capias herbam, quæ dicitur Portulaca marina, Apium, Squilla, &c. destilla, feces quæ remanent calcina, cum Aqua destillata extrahe Sal, à quo Aquam abstrahe, Sal abstractum aliquoties dissolvendo & coagulando purifica, & habebis Sal herbarum Vegetabilium acuentium; de his intelleximus, *inquit*, cum dicimus: Acue

cum

cum Vegetabilibus acuentibus, ſcilicet de iſtis ſalibus, non de herbis ſimplicibus.

Ex his conſequi diceres: Receptum Animæ Metallicæ minimè deſcriptum fuiſſe, ut juxta literalem ſenſum intelligeretur: Sed habeo quod regeram, nimirum, Lullium Vegetabilibus crudis etiam ſuum acuiſſe Vini Spiritum, facilè probatur ex Diſtinct. 3. libri Eſſentiæ, *in allegata ab ipſo Figura individuorum, ubi individua recenſet propinquiſſima, Spiritum Vini Phil. acuentia, ut ſunt* Vinum Rubeum, Mel novum, Chelidonia, flos Rorismarini, Mercurialis, Lilium Rubeum, Tartarum, Sanguis humanus, & Vinum Album. *Quamobrem hæc, non alia; & hæc tantùm elegerit, non meum eſt reſpondere: Id quod inde diſcimus, eſt, quòd illorum duo præ cæteris nobis commendaverit individua*, Tartarum & Mel, *de quibus ita*: Sunt aliqua individua, in quibus Mercurius (*Vegetabilis*) liberum habet actum aliqualiter, in *Tartaro unam* habet liberam operationem ſolummodò, & in *Melle duas*, & hoc artiſtam ſcire oportet, ut certificetur in hac arte, & ejus prima veritate.

Tartarum præfert, non Tartari ſed Alcali inde confecti gratiâ, idque ceu alcalium optimum reſolvit per deliquium, purificatumque unà cum Vini Phil. Spiritu circulat, juxta Doctrinam in Tabula individuorum prima *præſcriptam; in* ſecundo Experimento, *aliiſque in locis. Alcalis Tartari locum ſupplere poſſunt Alcalia ex Melle, Chelidonia, cæteriſque à Lullio denominatis individuis, quibus etiam Adeptos ſuum aliquando acuiſſe Vini Spiritum, monſtrabitur inferiùs in ſexto Menſtruorum genere. Sed & hæc faciunt contra literalem ſenſum noſtri Recepti, probantque Vegetabilium ſalia, non eadem ipſa cruda accepta fuiſſe in Recepto. Aſt etiamſi Tartarum elegerit propter alcalium fortiſſimum inde præparandum, non eandem tamen ob cauſam Chelidoniam, flores Anthos, Mercurialem, Lilium Rubeum, & Sanguinem humanum cæteris præſtare intimavit, ſiquidem cum his alio procedit modo: Separat enim ex iis cum Spiritu Vini Phil. Elementa, ex quibus ignem ſive Oleum recipit tantùm, quod cum Spiritu circulat, eúmque ſic acuit, ut ex* Tabula individuorum ſecunda *ſatis clarè patet.*

Mel verò quoniam non tantum collateralia ſua præcedit Individua, ſed & Tartarum ipſum, (nam Spiritum Vini in Tartaro unam dixit: Sed in Melle duas habere liberas operationes)

inde

inde etiam Melli suum peculiarem attribuit processum, destillando videlicet totum favum, Mel simul cum cera, mediante Vini Phil. Spiritu, per Alembicum.

Jam inter utrumque Mellis & reliquorum individuorum processum medium tenet locum Receptum nostrum. Mel si volatilisetur quoad totam substantiam, inde fit Magisterium, quod Spiritui Vini Phil. conjunctum, Menstruum nobis exhibet tertii generis. Ignes verò sive Olea ex Chelidonia, floribus Anthos, Vino Albo & Rubeo communi, &c. per separationem Elementorum mediante Vini Spiritu facta, Essentiæ sunt, quæ Spiritui Vini additæ, illum non alterant, sed multiplicant potiùs, quia Essentia Essentiæ additur, nimirum secundarius primario Spiritui Vini Phil. sed si Chelidonia, flores Anthos, ut & Vegetabilia Recepti nostri destillentur cum Vini Phil. Spiritu, is spretà ariditate, eorum extrahit & secum elevat omnem unctuositatem, Mellis autem crudi magis simplicem tantùm, subtilem, volatilem, particulisque aridis minùs gravidam; adeóque id circulando cum Spiritu Vini Phil. Magisterium fit quidem, magis tamen ad Essentiæ naturam accedens, eoque minùs aridum, & minùs Spiritum Vini alterans, quàm istud ex Melle, ideóque meritò cum prædicto Spiritu jam unitum, conficit Menstruum à tertii generis Menstruis diversum. Sic immotus hactenus persistit literalis nostri Recepti sensus. Sed ne derogemus authoritati Authoris, suique ipsius Commentatoris Lullii, supponere necesse est, eum Destillato Vini Phil. Spiritu desuper Vegetabilia prædicta, aliquandò ex residuo per calcinationem præparasse Alcali, eóque suum acuisse Spiritum, & ita confecisse menstruum quinti generis.

Ex hisce & hujusmodi Receptis annotamus,

1. *Vinum, Lunariam, Nigrum nigrius nigro, materiam Menstrui Mercurii Vegetabilis sive Animæ Metallorum non esse Vinum commune sed Philosophicum; nec hujus Vini Spiritum esse Aquam ardentem vulgi, sed Philosophorum.*

2. *Menstruum hujus generis esse unctuosum Vini Phil. Spiritum, communi Oleorum Vegetabilium unctuositate acuatum, id est, temperatum. Spiritui Vini Phil. commisce commune aliquod Oleum destillatum, digere, destilla, & habebis Menstruum secundi generis multò citiùs, imò idem extempore conficies, si misceas Vini Phil.*

Phil. Essentiam (Spiritum) *cum Oleosi alicujus Vegetabilis Magisterio.*

3. *Ex tot Vegetabilibus unum sufficere Oleosum* (Crocum vel Macem) *pro Spiritus Vini Phil. acuitione. Nec errabis tamen, si reciperes Theriacam; qui Spiritus Theriacalis hoc Vini Spiritu confectus, Menstruum esset hujus generis.*

4. *Menstrua hæc esse Medicamina.*

5. *Menstrua hæc ex meris Vegetabilibus confecta, propriè dici Menstrua Vegetabilia, hinc etiam ea, quæ Menstrua Vegetabilia composita nominavimus, ob Metallorum vel mineralium additionem, aliquando ab Adeptis vocata fuerunt menstrua mineralia. Ita Lullius* in Experimento 34. suum *Circulatum majus ex Auro & Argento confectum, verum Menstruum minerale vocat. Nos verò ea à mineralibus menstruis distinguimus, quoniam hæc corrosiva sunt, utpote salium mineralium aciditate præparata. Ista verò dulcissima sunt absque omni corrosivo, & dissolvenda suavitèr dissolvunt.*

6. *Menstruum dici Animam Metallorum. Anima diversimodè sumitur apud Adeptos.*

Primò pro Metallo perfecto, Auro vel Argento. Sic Arnoldus in flore florum: Philosophi Animam dicunt fermentum, & hoc ideò, quia sicut Corpus humanum absque suo fermento seu ejus anima nihil valet, ita est in proposito; Nam fermentum est Corpus, quòd in naturam suam alia convertit. Et scias, quòd non est fermentum, nisi Sol & Luna, hoc est, aurum & argentum istis planetis appropriata, &c. Oportet ergò fermentum in Corpus introduci, quia est ejus anima. Hoc est, quod dixit Morienus: Nisi Corpus immundum mundaveris, & id dealbatum non reddideris, & in eo animam non miseris, nihil huic Magisterio direxisti.

Secundò pro Metallis, aliisque rebus, menstruo Phil. volatilisatis. Sic Lullius aurum & argentum volatilisatum in præparatione sui Circulati majoris, Menstruum vel Spiritum animatum nuncupat: ℞. Spiritum, *inquit*, animatum Solis, & Spiritum animatum Lunæ, simul conjunge, &c. *Sic non tantùm Tincturas auri & argenti menstruo volatilisatas dixit animas; sed etiam Metallorum imperfectorum. Sic* in 20 Experimento *habet* aquam animalem Saturni, in 21 Exper. Martis animam. *Imò ex omnibus rebus separans Elementa, liquores tinctos destillatas*

 vocat

vocat animas ſive Spiritus animatos, *eò quòd hiſce Terra mortua ſicca & fixa, iterum revivificatur, volatiliſatur, & reducitur in Sal harmoniacum. Vide revivificationem ſalis Tartari mediante propria Aqua, in volatiliſatione ejus data* in 2 Experimento.

Tertiò pro Menſtruis ipſis. Menſtrua enim ſunt Metallorum animæ, quibus Metalla, aliàs mortua, animantur & revivificantur; ita Lullius de hoc noſtro Menſtruo, Metallorum anima, pag. 195. Comp. animæ Tranſm. Aliter, *inquit*, Metalla non poſſunt diſſolvi, niſi animentur cum Menſtruo Vegetabili, cujus potentiâ fit reſolutio in rebus diſſolubilibus. Et *in Elucid. Teſtam. pag.* 145. Aqua Vitæ eſt anima & Vita Corporum, per quam noſter Lapis vivificatur, *ſic etiam Ripleus* in Libro Mercurii pag. 108. *Ait*: Sperma Metallorum etiam Aqua Vitæ Metallica dicitur, quia Metallis ægris & mortuis vitam & ſanitatem præbet, &c.

Quartò pro unctuoſitate tam Metalli quàm Menſtrui. De utraque Ripleus pag. 150 medullæ Phil. Eſt quædam, *inquit*, ſimilitudo Trinitatis, eluceſcens in Corpore, Anima & Spiritu. Corpus eſt ſubſtantia Lapidis, Spiritus eſt virtus, (hoc eſt quinta Eſſentia, quæ excitat naturas de Morte.) Anima verò pro fermento accipienda eſt, quod haberi non poteſt niſi ex perfectiſſimo corpore (*Auro*) ſimiliter in Sulphure (*auri*) eſt terreſtreitas pro Corpore, & in Mercurio (*Menſtruo*) ſerenitas aërea pro Spiritu, & in utriſque naturalis unctuoſitas pro anima. Nam omnia ſunt in unctuoſitate Corporis fermentabilia, commixta & inſeparabiliter illi unita per minimas ſui partes, utpote ex qua anima Lapis formatur, quia ea abſente, nullo modo formari poteſt.

7. *Menſtruum dici Mercurium Vegetabilem, ortum à Vino rubeo vel albo. Adepti plures habent Mercurios.*

Primus eſt Argentum vivum vulgi, currens vel ſublimatum.

Secundus eſt Mercurius currens corporum, è Metallis eductus, Spiritûs Vini Phil. medio.

Tertius eſt Sal Alcali quodvis, præſertim Vini Phil. Spiritu fixatum.

Lullius chelidoniam calcinat, & inde ſal extrahit de quo ita: Hoc magiſterium itera toties, quouſque totum inde ſalem extraxeris, quæ eſt pars mercurialis iſtius individui (*chelidoniæ*)

His

His ergò peractis accipe omnes illas dissolutiones (*Lixivia*) quas per filtrum vel lineum pannum transmitte, ut à terrestreitate purgentur; Deinde per Balneum congelabis destillando, Et transacta humiditate in fundo vasis remanebit Mercurius sive sal albi coloris, atque hoc pacto ex hac materia Mercurium extraxeris, qui virtutes propè innumerabiles habet acuendi Spiritum Vegetabilem à Vino (*Phil.*) extractum, ut potestatem habeat dissolvendi cuncta Metalla cum conservatione formæ vegetativæ & germinativæ.

In magia Naturali *Tartarum calcinatum, & quater destillando impræguatum menstruo Vegetabili, deinde per deliquium resolutum & coagulatum, Mercurium vocat. Et habebis*, inquit, pag. 379. *Sal artis, sive Mercurium Testamentarium sine quo nihil fit. Aliquando sal sive caput mortuum, in separatione Elementorum dictum Terra exanimata Mercurium vocat. Sic* in Exp. 6. Terram inanimatam urinæ, aquâ dissolutam, filtratam & coagulatam, Mercurium *vocat*. Tunc servato, *inquit*, salem nostrum armoniacum fixum, Sulphur animale nostrum, Mercurium animalem fixum nostrum, de quo pauculum quid super laminam igneam colloca, & si fluat tanquam cera sine fumo, signum est te habere Argentum vivum fixum ac perfectè depuratum, cum quo plurima experimenta haurire poteris. Hic est ille Mercurius, qui aptissimum nobis subsidium præbuit.

Quartus Mercurius est vel Vegetabilis vel Animalis; de quo Ripleus in Pupilla pag. 300. Sunt plures, *inquit*, Mercurii, quàm hi supradicti duo (*minerales Leo rubeus & viridis*) videlicet Mercurius Vegetabilis & Animalis, quoniam uterque extrahi potest ex quibusdam liquoribus, veluti ex Sanguine & ovis. *Lullius Distinct. 3. Libri Essentiæ* in Figuris vel Tabulis Individuorum *describit Vegetabilia & Animalia, in quibus reperiuntur hi Mercurii propinquissimè.* Est tandem, *inquit*, hoc aliud secretum Naturæ, ut Artista hujus artis cognoscat & reverà habeat notitiam de individuis, in quibus noster Mercurius est repertus propinquissimè. Quare sciant Artistæ hujus artis, in omni Elementato nostrum Mercurium reperiri, tamen in aliquibus tam longè, ut vitam hominis anticiparet, antequam Artista hujus artis ipsum, prout expedit, extractum possideret. Quare in ista Figura revelamus illa, quæ ipsum propinquissimè possident. *De hoc Mer-*

curio Lullius Libro Mercuriorum pag. 8. Quando, *inquit*, dicimus Mercurium communem, dicimus de illo, quem Philosophi intelligunt, & quando dicimus vulgarem, loquimur de illo, quem Rusticus intelligit, & qui venditur in Apothecis. *Quod Ripleus* pag. 326. suæ Concordantiæ *ita exprimit.* Cum loquor de Mercurio intellige Mercurium magis communem quàm communem.

Quintus est ipse Vini Phil. Spiritus, *quem Lullius* in Exp. 3. Mercurium Vegetabilem *nuncupat.* Ita habebis, *inquit*, salem Vegetabilem, extractum ab hoc individuo (*Melle*) quod sal est pretiosissimum, ac potestatem habet acuendi Mercurium Vegetabilem, & dissolvendi duo luminaria, &c. *In Exp.* 5. *ex* Portulaca, Apio, Squilla, *&c. Salia præparat*, quibus omnibus, *inquit*, Mercurium Vegetabilem ex Vino extractum acuere poteris conjunctim vel separatim, *de quibus inferiùs in sexto menstruorum genere.*

Sextus est Menstruum Philosophicum, *menstruum enim nostrum dicitur Mercurius Vegetabilis*, *ortus à Vino Albo vel Rubeo.*

Septimus est Spiritus animatus cujuscunque corporis, *sive Aër in separatione Elementorum*, *qui Mercurius*, *utpote ignis sive Oleum*, *Sulphur dicitur in omnibus ferè Receptis.*

Octavus est Sal Harmoniacum Vegetabile vel Animale vel Minerale, *Sulphur naturæ*, *quod etiam Mercurius noster*, *Mercurius sublimatus & Mercurius Philosophorum dicitur. Hæc ut in sequentibus menstruorum descriptionibus observemus*, *necesse est*, *nisi cum nominibus res ipsas quandoque confundere velimus.*

III. Genus.

III. Genus.

Menstrua Vegetabilia Simplicia ex Spiritu Vini Phil. & Salibus Oleosis sive mediis, quæ nec fixa nec volatilia dici possunt; hactenus Essentialibus dictis, uti sunt Saccharum, Mel, Tartarus Vini Com. aliorumque Vegetabilium.

10. Cœlum mellifluum Parisini ex Melle Crudo.

In Practica Elucidarii pag. 231. Vol. 6. Theat. Chym.

MOdus istum B. (*Spiritum Vini Phil.*) cœlestem & ardentem acuendi est, ut accipias de substantiis tibi declaratis quantum voles. Nos autem accipimus substantiam Florum unitorum (*id est, mellis recentis substantiam pag* 269.) quam ponimus in vase ad destillandum omnem aquositatem per Y. (*Balneum Mariæ, pag* 270.) Deinde infundimus tres partes & amplius B. super istam substantiam hoc modo præparatam, claudentes vas cum suo operculo antenotorio dictò, & ponimus in putrefactionem per unum diem naturalem, deinde per tres destillationes per Z. (*ignem cinerum, pag.* 270.) destillamus usque dum per illud regimen omnem partem Mercurialem cum toto succo benedictæ substantiæ obtineamus, reiterando deinde prædictum magisterium cum nova substantia Florum, & faciendo hoc regimen quatuor vicibus, in quarum fine, B. solutivum, de potentia in actum per virtutem Mannæ Florum unitorum reduxisti. Jam ℞. Vas vitreum forte, quantitatis Aquæ capax, quam urna communis continere potest, habens

bens collum unam ſpithamam cum dimidia longum, cui aliud vitreum vas, quartam tantum urnæ partem continens, erit cum collo ſuo inſerendum, & bene lutandum. Huic vaſi impone libras quatuor C. (*menſtrui dicti ex melle confecti.*) ad circulandum in Balneo aut ſimo equino, per 30 aut 40 dies, cum quo termino expirato C. converſum habebis in D. (*in quintam Eſſentiam in ſua perfectione, tractam de excellenti Vino, quod eſt forma corporis univerſalis reducti in B. & B. in C. & deinceps Circulatio facienda. Quinta Eſſentia hæc eſt Vegetabilis, quia cùm omnes cæteræ aquæ acutæ metalla deſtruant, hæc ſola per virtutem ſuam illa vegetat, augmentat & multiplicat. Hinc aqua iſta eſt myſterium artis, quia ardens eſt, corpora calcinat & diſſolvit, ſi perfectè rectificata fuerit pag.* 269.) Signum autem cognoſcendi, an iſta converſio ſit facta, erit hypoſtaſis quædam in fundo vaſis exiſtens, ſimilis illi, quæ in urina hominis ſani apparet. Cùm corpus glorioſum, elapſis triginta diebus, perfectionis termino appropinquat, tunc videbis D. aut quintam Eſſentiam in majore claritate & ſplendore quàm alicujus adamantis. Cujus claritas omnes pretioſas res ſuperat, adeò ut judicatu difficile ſit, an iſte divinus liquor in vaſe, an verò extra vas ſit conſtitutus.

Deinde Cœlum noſtrum de ſua hypoſtaſi cum induſtria ſeparabis, cuſtodiendo illud in vaſe bene munito in loco frigido, ne quid inde expiret. Quinta iſta Eſſentia à Philoſophis vocatur *Spiritus Vivus*, quia vitam tribuit corporibus humanis & Metallis, *Aqua argenti vivi*, *Aqua Vitæ*, *Aqua Cœleſtis*, *Aqua Divina*, *ſtella Dianæ*, *Anima*, *Spiritus Mercurii noſtri Vegetabilis*, *fumus*, *ventus*, *noſtrum Cœlum*. In ſummâ infinita nomina ipſi impoſita fuerunt, quæ tamen unam rem ſignificant.

Annotationes.

ANtecedens Spiritùs Vini Phil. cum Vegetabilibus Oleoſis acuitio, Chriſtophoro Pariſino minùs placuit, ideò hanc, quam præ cæteris invenit meliorem, ejus loco ſubſtituit. Magnum Myſterium & Theſaurus eſt, (*inquit*,) quod in hoc capite te docemus, qua ratione B. (*Spiritum Cœleſtem & ardentem Vini Phil.*) acutum reddere debeas, quod per C. ſignificamus,

mus, quare arrige aures, nescio enim quo pacto hanc doctrinam proponere debeam, ne hoc secretum omnibus patefiat. Nam omnes, qui unquam extiterunt Philosophi, hoc secretum sub diversis Figuris absconderunt, quia sine omni dubio illud est, quod principalis, vel una ex principalibus clavibus est hujus mirabilis scientiæ. Hoc tibi certò persuasum habeas velim, quod B. nullam solutivam habeat naturam actualem, sed tantùmmodò potentialem, si enim B. non acueretur per medium & modum tibi manifestatum, nullam solvendi potestatem haberet. Quidam acutum fecerunt cum Vitriolo, qui modus satis bonus est. Quidam cum Nitro. Quidam cum Cinnabari. Quidam verò cum his duobus, & quidam cum omnibus tribus. Quidam cum Terra ipsorum, qui modus mihi displicet, quia hac ratione crassa unctuositas & ponderositas introducta fuit. Quidam Vegetabilibus usi; ut sunt herbæ, Radices, Flores ac semina tibi cognita, quæ in se potentes Mercurios habent, hinc est, quòd qui illum hoc modo tractarunt, formam ejus Vegetabilem potiùs augmentârint, quàm ut reddiderint solutivam. Quidam Flores unitos ad acuendam adhibuerunt, qui modus principalis & nostræ intentionis est, qui in Alphabeto apertoriali invenitur. Quidam ignorantes, verum hujus B. acuendi modum, multum temporis in præparandis diversis aquis insumpserunt, priusquam corpus aliquod in B. ponere possent, sicuti nobis contigit in principio, cùm praxin istam quæreremus, quæ tibi per nostræ Somettæ praxin, jam manifestata est, quæ licèt bene, summo tamen cum labore successit. Hujus partis dissolutivæ mysterium difficile est, & tædiosum, ideòque repetitionem ejus instituemus, cùm enim acutum reddideris B. eo modo, quem nunc manifestamus de solutione corporum sine molestiâ & longi Temporis tractu perficiendâ, certus eris. Verùm fateor, cùm tecum essem in illo tempore, quo primum solvendi initium fecimus, Raymundum Lullium in hac parte dissolutiva nondum intelligebamus, sed postquam illum ad studia redeuntes relegissemus, practicantes, orantes & jejunantes, perfecta nobis accessit illuminatio mentis modum igitur istum sub silentii sigillo manifestabo. *pag. 231.*

Parisinus hisce verbis nos certiores reddit: Vini Phil. Spiritum nullam solvendi potestatem habere præterquam Oleosa, quia Oleosus est, sed ut arida etiam dissolvat, necessarium esse, ut acuatur,

idl

id est, ita temperetur, ut aridis etiam homogeneus fiat, adeòque ea solvat, quod opus difficile & tædiosum esse, propriâ probat Experientia, ex pluribus ergò Adeptorum acuentibus mel eligit præ cæteris, cujus acuendi facultatem principalem, vocat mysterium magnum & artis Thesaurum. Siquidem juxta Lullium Spiritus Vini Phil. in Melle duas habet liberas operationes: *id est, Unctuosus hic Spiritus facilè unitur unctuositati mellis, eâdemque etiam operâ facilè temperatur Mellis ariditate. Verbo; dantur alia quidem; imò sequentia omnia, hoc ipso fortiora Menstrua, sed nullum præparatu facilius & Discipulo incipienti melius. Lullius idem Menstruum hoc modo confecit.*

11. Spiritus Mellis Lullii. *c.* 19. *Lib. Mercur.*

℞. DE Aqua Vitæ, & pones intùs hanc humiditatem Vegetabilem, tertiam partem favi Mellis, cum omni sua substantia, scilicet cum Cera & cum Melle, & illam pones ad fermentandum in levi calore per tres horas, & quantò magis instat, tantò magis valet; posteà pone ad distillandum in Balneo. Et istam destillationem & fermentationem reitera, renovando favum in qualibet secunda destillatione, per novem vices.

Parisinus ex Lullio magistro suo, non tantùm Vini Phil. Spiritum, sed & ipsam hujus menstrui didicisse præparationem mihi videtur, licet hanc aliquantulùm correxerit. Parisinus Mellis inspissati libram unam cum tribus vel quatuor libris Spiritus Vini Phil. digerit per diem in Balneo, postea ter destillando invicem commiscet. Opus ter repetit, ita ut quatuor hisce vicibus libras quatuor Mellis una cum totidem libris Spiritùs conjunxerit, amboque circulat suo tempore. Lullius favum Mellis digerit per tres horas cum tribus partibus Spiritùs, & ambo per duas conjungit destillationes, opus reiterat quatuor vicibus, ita ut per octo destillationes, quatuor partes Mellis cum tribus Spiritus univerit, conjunctum jam menstruum destillat adhuc semel, ut per 9. vices vel cohobationes conficiat suum Mellis Spiritum. Parisinus tria elegit ingredientia pro sua Medicina: Creator Cœlestis Altissi-

mus

mus creavit tres mineras. Inter mineralia est una, scilicet Solis & Lunæ, inter Vegetabilia est Vitis, inter animalia est Apis. *pag. 222. Elucid.* Lullius de his tribus ita, *Cap. 46. Libri Mercurior.* Inter omnia Mineralia, Vegetabilia & Animalia fixum aurum electum est pro Medicinis conficiendis. Et super omnes virtutes inter Vegetabilia & Animalia sunt virtutes succi vel Juscula Lunariæ, & Musca besana, quæ mel componit.

Parisinus in Alphabeto apertoriali eandem quidem habet Spiritus Vini acuitionem, at cùm ibidem Menstruo superaddat Sal mellis ex capite mortuo calcinato extractum, hæc acuitio non ad hoc, sed ad aliud refertur genus.

Verum-enim-verò licèt Mel speciali hoc privilegio gaudeat quasi ex eo tantùm hujus tertii generis menstrua confici possint; sciendum tamen est Salia Oleosa omnia, (uti sunt saccharum Cristallisatum, manna Christallisata. Tartarus Crudus Vini vulgi, &c.) ab uno latere suam cum Oleosis, ab altero verò cum aridis probare affinitatem; adeòque Oleositate istâ suâ in Oleosum Vini Phil. Spiritum introducere propriam ariditatem; ariditate verò suâ illius Spiritus temperare oleositatem. Quamobrem de Melle quæ dicta fuerunt, eadem de Saccharo & Manna intelligenda veniunt. De Tartaro Crudo prædictis aridiore exemplum unum & alterum addemus.

12. Spiritus Tartari Crudi Guidonis, *pag. 51. Thesaur.*

℞. TArtari Crudi libras duas, Spiritus Vini libras tres, destilla & cohoba decies desuper proprium caput mortuum.

Paracelsus hunc Tartari Spiritum hoc modo præparavit:

13. Spiritus Tartari Crudi Paracelsi. *Libr.*8. *Paragraph. p.*505.

℞. TArtarum Crudum, contunde, & in Alcool Vini septies vel octies digere & destilla in humorem liquidum, in quo nullum Alcali est.

Ex Receptis sequentia observamus.

1. *Spiritum Vini Phil. absque acuitione nullam in aridis dissolvendi potentiam habere.*

2. *Acuitionem hanc esse Mysterium Artis, difficile & tædiosum.*

3. *Fieri optimè cum Melle Crudo, Saccharo candi Albo, Manna purificata.*

4. *Ex Tartaro Crudo difficiliusculè hujusmodi conficiuntur menstrua.*

5. *Quòd Lullius per* Aquam Vitæ: *Parisinus per* Spiritum Cœlestem & ardentem: *Guido per* Spiritum Vini: & *Paracelsus* per Alcool Vini, *non cómmunem Aquam ardentem intellexerint, propria Experientia, tentando Experimentum cum Spiritu Vini communis, de rei veritate testabitur.*

6. *Menstrua hujus generis esse Magisterium Mellis, Mannæ, Sacchari, Tartari Crudi cum Vini Phil. Spiritu commixtum. Fiunt ex tempore, hoc modo:* ℞. *Essentiæ Vini Phil. & Magisterii Mellis vel Sacchari ana partes æquales, misce.*

7. *Menstrua hæc esse medicamina.*

8. *Non solùm Vini Phil. Spiritum circulasse: Sed ipsa etiam menstrua; ob quam circulationem Menstrua dicuntur Circulata. Quæ etiamsi ut circulentur, non semper expressè dicatur in Receptis, hoc tamen in omnibus subintelligi debet. Nam Circulatio hæc menstrui purificatio & melioratio est.* Per F intelligimus, *inquit* Parisinus *in Alphabeto Summettæ pag. mei* M. S. Aquam Vitæ Circulatam 30. diebus ad minimum; in qua operatione purificatur ab ejus terrestreitate, ita ut seipsam redigat in virtutem

tutem Cœleſtem quintæ Eſſentiæ, quæ dicitur Cœlum noſtrum influens in Elementa tales effectus, quales meritò dixeris miraculoſos. Eam igitur nominamus quintam Eſſentiam, & Aquam Vitæ, quoniam vivificat corpora.

Aſque hôc F. nulla alteratio fieri poteſt in corporibus, quod monitum vobis fiet pro Regula generali. Aliâs dicitur Aqua Vegetabilis, cujus ſæpius mentionem fecimus paſſim in Summetta noſtra tibi miſſa, aſſeverando majorem eſſe differentiam inter F. & D. quàm inter diem ſerenum & noctem tenebroſam, quemadmodum apparebit ex ejus operatione, tàm in particularibus quàm generalibus, quæ tamen virtus procedit ex Circulatione noſtra.

IV. Genus.

Menstrua Vegetabilia Simplicia ex Spiritu Vini Phil. & salibus Volatilibus, uti sunt Sal Armoniacum vulgi, Sal Sanguinis, Urinæ, Fuliginis, &c.

14. Spiritus Salis Armoniaci Trismosini,
In Tract. Aquilæ nigræ p. 13.
Aurei Velleris Germ.

℞. SAlis Armoniaci libram unam, Salis communis fusi libram unam & dimidiam; hæc optimè pulverisata & mixta sublima. Sublimatum cum novo sale iterum sublima, idque reiterandum toties, donec Sal Armoniacum fiat instar Spiritûs (*pulveris*) impalpabilis, tunc Spiritu Vini (*Phil.*) imbibe, & vase bene clauso ponas in Balneo ut solvatur, solutum decanta, quod addito novo Spiritu Vini putrefac per octiduum in Balneo, postea destilla leniter ex Balneo medietatem, destillatum reaffunde residuo, iterúmque destilla, sed igne fortiori, ut omne ascendat per Alembicum. Destillatum toties rectificat usque sit absque fecibus.

Annotationes.

HActenùs de rebus Oleosis Spiritum Vini Phil. acuentibus; jam sequuntur, quæ minus Oleosa sunt, Salia volatilia. Quæ etiamsi minimè videantur Oleosa, ea tamen esse talia facilè demonstratur ex sequentibus Salium Harmoniacorum præparationibus, quorum Terræ, aliàs fixissimæ & cerefluentes, solâ menstrui unctuositate redduntur volatilia: Sed hæc nostra nunc non erit inquisitio. Sufficit nobis, uti Crudo & communi Sale Armoniaco,

Sale

Sale urinæ, Sanguinis, &c. pro Spiritûs Vini Phil. acuitione, quæ Salia ariditate suâ, prædictis Oleosis magis alterant hujus Spiritûs Unctuositatem, adeòque fortiùs conficiunt Menstruum Vegetabile. Idem Receptum Trismosinus habet Libro novem Tincturarum in Tinctura quarta pag. 59. *ut & in* Tinctura Pitrumosonis Philosophi Angli pag. 90. prædicti Libri. *Trismosinus Sal Armoniacum Crudum sublimat aliquoties de Sale fuso, ut acuatur hujus Salis aciditate, posteáque eò meliùs dissolvatur Vini Phil. Spiritu. Geber de* investigat. Magist. pag. 284. *Sal Armoniacum sublimat cum Salis anaticâ proportione. Aristoteles Chymicus hanc sublimationem perfecit hoc modo* pag. 74. Volum. 3. Theat. Chym.

℞. *De Sale Armoniaco libram unam, de spuma maris uncias sex, de Sale Gemmæ, de Sale communi, & Alumine ana uncias duas; contere hæc omnia & cribra per setaceum spissum, tunc mitte in Aludel, & sublima, iteráque sublimationem.*

Sal Armoniacum ita sublimatum impræegnatur Spiritu Vini, (non communis, processus enim tum non succederet, sed Vini Philosophici) posteáque dissolvitur per deliquium. Nam hujus Spiritûs Unctuositas Salis Armoniaci substantiam sibi heterogeneam non nisi successivè & per lentos gradus dissolvere potest. Hinc dissolutio hæc meliùs succedet juxtà Lullii methodum. In Phlegmate, *inquit*, Vini Lotii (*Vini Phil. ex Urina Confecti*) dissolve Sal Armoniacum, transmitte per filtrum, ac per Balneum Aquam removebis, & remanebit tibi Sal coagulatum & album, iterum dissolve cum Phlegmate, ac per Balneum transmitte. Deinde accipe tantam quantitatem Aquæ Vitæ, (*Spiritus Vini Phil.*) quantæ quantitatis fuerit Phlegma, superfunde simul super eundem Salem, & occluso vase cum suo antenatorio (*Alembico cæco*) pone in Balneo per 24 horas amoto antenotorio, & superposito Alembico destillabis per Balneum igne lentissimo, cùm Sal coagulatum fuerit, ipsum iterum congelabis; hoc modo dissolvendo vicissim & congelando ter, idem Magisterium iterabis. Atque ita dictum Salem in Virtutem Vegetativam, auxilio Spiritûs Vegetativi, quo ipsum dissolvisti & congelasti, reduxisti. *Lullius* in Exp. XVI. *Sal Armoniacum facilè in Phlegmate Vini Phil. dissolvitur, adeòque hoc medio citiùs unctuoso Spiritui Vini Phil. conjungitur, quàm si immediatè injiceretur in hunc Spiritum. Trismosinum hanc etiam scivisse, &*

ali-

aliquando hac Methodo usum fuisse apparet ex sequenti Menstruo.

15. Aqua Salis Armoniaci alia Trismosini. *In Tinctura Gereton, pag. 98. Aur. Vell. German.*

℞. SAlis Armoniaci Crudi libras duas, dissolvatur in Vino (*Phil.*) Cristallisetur, Cristalli solvantur per deliquium, dissolutum divide in duas partes, quarum unam destilla in alteram forti satis igne, conjunctas partes rectifica in Aquam fortem Salis Armoniaci.

Sal Armoniacum itaque vel Phlegmate Vini Phil. (id est, Aqua ardente non rectificata) vel Vino ipso Phil. dissolutum, Cristallisatum, & per deliquium resolutum, per se vel novo addito Vini Spiritu destillatur in Aquam Salis Armoniaci.

Non ex Sale Armoniaco tantùm, sed ex reliquis etiam Salibus volatilibus hoc conficitur Menstruorum genus. Ita,

16. Sulphur Gelativum Lullii, *In Exp. VIII.*

℞. SPiritum prædictum animatum (*Urinæ*) de eo unam partem, & Aquæ Vitæ perfectè rectificatæ partes quatuor, quas statues super ipsum Spiritum animatum, ac protinùs occlude vas, ne respiret; quod vas sit bocia, quam concute tuis manibus agitando; sic in ictu oculi sive momento videbis totam Aquam in Salem esse conversam. Quod si in ipsa Aqua Vitæ (*Phil.*) esset pars aliqua Phlegmatis, protinùs ab ipso Sale separabitur in forma Aquæ, propterea Aqua Vitæ debet esse quàm optimè expurgata ab omni Phlegmate, ne, cum hoc opus fiat, quicquam Aquæ remaneat cum ipso Sale, sed totum convertatur, quod erit meliùs & utiliùs, atque hoc pacto habebis Salem Animalem & Vegetabilem, quem coagulativum vel gelati-

tivum Sulphur appellabimus, quod proprietatem ac virtutem habet dissolvendi duo luminaria & reducendi ea de Potentia in Actum, conservatâ illorum formâ vegetativâ & germinativâ.

Aliquando Lullius sublimavit hanc Urinæ offam, utì in sequenti ibi Nono Experimento.

Alius prætereà modus est, *inquit*, Cópulandi prædictum Animalem Spiritum cum Spiritu Vegetabili, hoc pacto videlicet: ℞. De Spiritu animato (ut supra) rectificato, quantum libet, ac superfunde tres partes de Aqua Vitæ (*Phil.*) nostrâ perfectè rectificatâ, quæ copulatio fieri debet in bocia magna & alta, cui subitò Alembicus adaptari possit. Factâ igitur dictâ copulatione, subitò habeas paratum licinium bombacis, madefactum Oleo, & quàm optimè expressum, quo statim occludatur os ipsius bociæ, idque intromittatur intra collum, deorsum, usque ad spatium unius palmæ, forti filo canabaceo annexum, ut cùm fuerit opus, possis dictum licinium extrahere; posteà suppone Alembicum cum recipiente quàm optimè occluso, & in furno cinerum collocabis, subministrans illi à principio ignem levem, postea verò gradatim augendo ipsum ignem, donec sublimetur, quod sublimatum in vase firmiter obstructo conservabis, quia hoc Sale & aliis mediantibus mirabilia operari poteris.

Parisinus in Apertorio suo pag. 15. M. S. S. mei *sale hoc Urinæ suum acuit C. sive Vini Phil. Spiritum, quem acutum deinde circulat per modum in Circulatione Cœli sui mellei adhibitum, & superiùs descriptum.*

Aliquando Lullius pro horum Menstruorum confectionibus usus est etiam Sale volatili Sanguinis utì in Experimento suo XII.

℞. Sanguinem trituratum (*Sanguinem extractum ab hominibus sanis & cholericis in tabula nitida siccatum ut Phlegma separetur ab eo & deinde tritum*, Exp. XI.) Pone in bocia, cujus collum sit altum, & apposito Alembico cum recipiente, igne lento prius destillabis, donec humiditas exhalabit; posteà ignem augebis usque dum Sal sublimetur, qui erit subalbissimus, qui cautè collectus servatur: Est enim plurimæ virtutis & effectus. Habes ergo fili charissime omnia medicamenta (*Salia*) quæ proprietates habent cum duobus luminaribus, atque etiam cum reliquis Metallis imperfectis, sine quibus illa ars transmutationis finem habere non potest optatum.

Ex

Ex Receptis, quæ annoto, sunt:

1. *Per* Vinum, Vini Spiritum & Aquam Vitæ *communem non intelligi Aquam Ardentem, quà Sal Armoniacum vulgi reducere vel destillare in liquidam substantiam impossible est; & quamvis id posset, Menstruum tamen id commune foret, non Philosophicum, utpote absque Vini Phil. Spiritu confectum.*

2. *Menstrua hæc componi ex omnibus Salibus volatilibus.*

3. *Menstrua hujus generis esse Salium volatilium Magisteria. Commisce Vini Phil. Essentiam cum Salis alicujus Volatilis Magisterio, & ex tempore conficies Menstruum hujus quarti generis.*

4. *Menstrua hæc confici etiam posse per modum Cœli mellei Parisini nempe per Circulationem, indèque vocari Circulata, Sal Armoniacum commune Circulatum; Sal Urinæ, Sanguinis, Cornu Cervi, &c. Circulatum, vel Aqua Salis Armoniaci Circulati, Aqua Salis Sanguinis Circulata, &c.*

5. *Valdè incertum esse, quodnam Trismosinus per Vini Spiritum intellexerit Menstruum Philosophicum. Diversa enim ab Adeptis eodem Vini Spiritûs nomine insignita fuêre Menstrua. Utplurimùm simplicem voluerunt Spiritum Vini Phil. interdum eundem vario modo acuatum, id est Menstruum Vegetabile simplex, ita Basilius* Libro de conclusionibus *Metallorum Olea Spiritu Vini præparat, per quem non simplicem sed Menstruum Vegetabile simplex, se intellexisse ipse indicat, in præparatione Olei Mercurii, dum apertum hoc metallum Spiritu Vini, rectificato priùs cum sale Tartari (quod Menstruum habebimus in sequentibus) conficere jusserit, quo cætera Metalla magis occlusa magis indigent.*

Aliquando per Spiritum Vini voluerunt etiam Menstrua Vegetabilia composita, ita Lullius, inter cætera Circulati majoris nomina, recenset quoque Aquam Vitæ. Menstruum hoc, *inquit*, innumeris penè nominibus appellârunt Sapientes, Acetum acerrimum, quod Aurum convertit in Spiritum, hæc est Aqua Sicca, Aqua Solis, & Aqua Vitæ in Exp. XXV. *imò Menstrua Mineralia etiam sæpè sæpiùs Adepti vocavêre Aquam Vitæ; ita Albertus* in suo Composito de Compositis pag. 939. Volum. 4. Theat. Chym. *destillat Aquam Mercurialem Mineralem, de qua ita:* Ecce ista est Aqua Vitæ, Acetum Phil. & Lac Virginis, per quam corpora in primam materiam resolvuntur.

Quam-

Quamvis ergò divinari incertum sit, qualem ex tanto Menstruorum numero Trismosinus voluerit Vini Spiritum; longiùs tamen non errabimus à vero, si quodcunque accipiamus Menstruum sive simplex, sive compositum, Vegetabile vel Minerale, loco hujus Spiritus, cum omnibus enim promiscuè, si non idem, gradibus saltem differens & seipso melius vel debilius perficiemus Opus, quod communis Vini Spiritus reddit omninò impossibile & deceptorium. Attamen sunt directiones, quæ in hac ambiguitate nos certiores reddere possunt; putà,

1. *Ambiguum, vel incognitum aliquod Menstrui cujusque nomen facilè cognoscitur per sua, siqua adsint in eodem libro, vel aliis ejusdem Adepti scriptis Synonyma. Exempli gratia si nesciatur in descriptione Balsami Samech Paracelsi, quid sit Circulatum minus; id esse Salis communis Arcanum extra omne dubium ponunt Synonyma ab ipso Paracelso* Lib. X. Arch. *in Circulati Majoris descriptione* (ubi primum Ens Salis etiam Arcanum Salis dicitur) *prolata, Menstrui insuper naturam, imò & præparationem, hîc forsitan minùs clarè (quatenus Menstrui) datam, alibi sub Essentiæ vel primi Entis titulo clariùs indicantia. Sed Synonyma dixi in ejusdem, non alterius Adepti scriptis observata, quoniam sæpè alii aliud hisce voluerunt nominibus, imò non rarò Nomen, quod in uno libro eandem habet cum reliquis, in altero ejusdem licet Authoris differentem ab illis habet significationem; ideóque Synonymum illud ex eodem libro (modò possit) petendum est, quod tum cum reliquis ejusdem Authoris, atque etiam cum aliorum Adeptorum scriptis conferendum foret, pro confirmatione mentis istius Authoris, circa identitatem Synonymi, de quo dubitabatur.*

2. *Quod si nulla dentur Synonyma in ejusdem Authoris Libris, incognitum hoc nomen aliis Adeptorum scriptis explicari non convenit, siquidem & ipsi Adepti quandoque erravêre, nomini alicui vel loco obscuro sæpè, vel meliorem quàm decebat, vel sinistram omninò imponendo explicationem. Observare tamen, quid dicant, præsertim ejusdem Authoris Discipuli vel Assecla, non licitum modò est, sed imò necessarium, licet enim non Authoris, suam tamen de re illâ indicant mentem.*

3. *Nomen verò, si Synonyma detegere nequeunt, usus in ipso Recepto expressus fortè explicabit faciliùs, si modò examinetur rectè ab illorum Receptorum industrio Observatore, putà.*

 I. Si

I. *Si nesciatur, num Minerale (Acidum) vel Vegetabile Menstruum velit Adeptus, inquiratur de sequentibus.*

Primò, *Num Menstruum illud dissolvat corpora cum impetu vel effervescentia, tum enim Minerale erit, signo nimirùm hoc Salium Mineralium prodens aciditatem. Quoniam Menstrua Vegetabilia suaviter semper, & lentiusculè dissolvunt corpora.*

Secundò, *Num dissolutio digesta per tempus in nigrum convertatur colorem, vel pulverem nigrum Menstruo supernatantem, id enim Menstruum significat Vegetabile, quoniam Menstruorum Mineralium dissolutiones Corpora continent bis dissoluta, semel Vini Phil. Spiritu, quo cum nigrescunt, deinde Salium corrosivo sive acido. Itaque pulvis & color niger signa sunt dissolutionis Vegetabilis, quibus additur lactea opacitas, ambobus quidem Menstruis communis, omnia enim Menstrua debilia vel debilitata Ariditatem suam minùs benè dissolutam & præcipitatam quasi continentia, similiter dissolutiones Vegetabiles post nigredinem diutiùs digestæ, opacæ & lacteæ fiunt & manent, usquedum abstracto Phlegmate, acidóque, vel Spiritu Vini Phil. magis concentrato fiant diaphanæ & clarissimæ. Nunquam tamen tria hæc signa observamus in Menstruorum mineralium usu.*

Tertiò, *Num Adepti moneant laborantem, ut sibi caveat ab aëre sive fumo in Operatione, vel veneno in usu rei jam præparatæ, id enim signum est Menstruum suum esse, vel fuisse minerale, quoniam Venena aciditati suam debent originem & ortum. Menstruo quippe minerali Perlæ & Corallia ipsa imò Aurum cæteráque Arida aliàs innocentissima, fiunt pessima Venena.*

Quartò, *Tandem, si corpora mineralia in duo Olea distincta, Menstruo distinctim & separatim supernatantia videbis, dic, id minerale quoque Menstruum fuisse, quoniam nullo Menstruo Vegetabili, etiamsi fortissimo, hoc fieri potest.*

II. *Si nesciatur, num Menstruum Vegetabile sive simplex sive compositum sit accipiendum, sequentia observamus circa illorum usum:*

Primò, *Si in Dissolutione Corporis Metallici vel Mineralis relinquatur Corpus Album sive residuum aliquod; tum scias Menstruum fuisse Vegetabile simplex, quippe quod rerum Tincturas sive Essentias tantùm extrahit, dissolvens Oleositatem, minime verò ariditatem rerum, è contrario Menstrua Vegetabilia Composita, ut & Menstrua Mineralia, quæ simplicibus fortiora sunt, Corpus totum nullis relictis fecibus, dissolvunt.*

Se-

Secundò, *Si totum rei dissolutæ Corpus vertatur in Oleum, supernatans Menstruo, id fuit Menstruum Vegetabile Compositum, ea enim id præstare tantùm possunt. Menstrua Vegetabilia simplicia minùs sunt fortia, Menstrua mineralia verò sunt æquo fortiora. Idcircò illa non totum, hæc verò non sulummodò totum Corpus dissolvunt, sed reducunt dissolutum in Oleum non unicum sed duplex. Ita ex usu cognoscitur Temperatum Paracelsi, (Menstruum aliàs Satis incognitum) esse Circulatum majus sive Menstruum Vegetabile Compositum, quoniam eo ipso Metalla redigit in Oleum supernatans sive Magisterium.*

Tertiò, *Si in dissolutione vel dissoluti digestione, id fieri Nigrum videbis vel Pulverem Nigrum emittere, Menstruum dic fuisse Vegetabile simplex, quoniam Menstrua Vegetabilia Composita & Mineralia, utpote fortiora, meliùs suum retinent Corpus in se dissolutum.*

III. *Dubium verò, num Menstruum Vegetabile simplex vel Spiritus Vini Phil. sit assumendus, solvit sola temporis diuturnitas, quò promptiùs enim in Regno minerali conficinntur Essentiæ, eò fortiora fuerunt Menstrua, non simplices Spiritus, sed Menstrua, & è contrario. In Regnis verò (Animali & Vegetabili) difficile est, si non penitùs impossibile, ex sola temporis diuturnitate discernere dissolutiones Corporum magis apertorum, cujusmodi sunt Oleosa, Salia, ut & Metallum Apertum Mercurius, præsertim sublimatus, Salium acido latiùs patens.*

V. Genus.

Menstrua Vegetabilia simplicia ex Spiritu Vini Phil. & salibus fixis Vegetabilium & Mineralium non tingentium.

17. Cœlum Vegetabile Lullii ex Sale Tartari,

In Experimento 34.

℞. AQuam Vitæ optimam ac rectificatam, ita ut comburat pannum lineum, prout vidisti, ac ipse mecum operatus fuisti, ac proinde non opus est ejus Aquæ Amplius tibi Magisterium tradere. ℞. Igitur Aquæ Vitæ libras quatuor, ac pone in Urinali vitreo (*Cucurbita*) quod sit maximè solidum: Mox accipe libram unam Salis Vegetabilis sublimati secundi Experimenti (*Sal Tartari volatile*) contere ipsum quàm optimè, ac pone in ipsa Aqua Vitæ, claude fortiter suo antenotorio (*Alembico cæco*) vas ipsum cum cera Gummata, ut nullo pacto respirare valeat. Pone postmodum in putrefactione per duos dies naturales; postea amoto antenotorio superpone Alembicum cum suo recipiente, juncturis quàm optimè clausis, super cineres calidos destillabis. Illud adverte, quod receptorium debeat esse prægrande ac solidum, ne potentiâ istius Aquæ Vitæ valeat frangi, atque hoc pacto tuam destillationem continuabis lento igne, donec totum per Alembicum destilletur. Quod si in fundo Vasis aliqua pars Salis remanserit, superfunde iterum aquam nuper destillatam, ac destilla ut supra, juncturis optime clausis. Hoc pacto toties destillationem reiterabis, donec Sal totus fuerit per Alembicum transactus in forma Aquæ Claræ. Posteà alteram libram supradicti Salis pone in Urinali, ac illi superfunde eandem Aquam destillatam, claude vas suo antenotorio, ut supra, pone in putre-

putrefactione ut suprà; postmodum ut suprà destillabis. Cum vero Sal totus cum Aqua fuerit transactus, iterum ut priùs accipe de novo Sale Vegetabili libram unam, ac ut supra cum Aqua destillata iterum per Alembicum transmitte totum: Atque hoc pacto habebis quatuor illas libras Aquæ Vitæ unitas cum tribus libris ipsius Salis Vegetabilis, quod potentiam habet dissolvendi duo Luminaria, (*Aurum & Argentum*) cæteráque Metalla cum Conservatione formæ Vegetabilis. Nunc autem ipsum simplex Menstruum in formam Cœlicam reducere intendimus. Accipe igitur ipsum simplex Menstruum, ac constitue in vase vitreo solido (*Circulatorio*) cujus partes quatuor vacuæ sint, quinta vero pars sit plena. Claude vas, ut nullomodo possit respirare, ac pone ad circulandum in fimo vel Balneo per 60 dies naturales. Atque hoc modo habebis Menstruum Clarificatum, in quo videbis Hypostasin; quare in aliud vas Cœlificatam Aquam evacuando transferas, & cave ut Hypostasis nullo modo cum Aqua transeat, quam servabis bene clausam in Balneo.

Annotationes:

Quoad præparationis facilitatem, Parasini Cœlum Melleum cæteris præstat Menstruis: Hoc verò Lullii inter Menstrua Vegetabilia simplicia primum obtinet locum. Sapo enim Sapientium est, ex alcalibus fixis & unctuoso Spiritu Vini Phil. Compositus. Alcalia fixa non facilè conjunguntur Spiritui Vini Phil. ubi verò insimul permixta fuerint, sublimantur levi operâ in Salia Harmoniaca, Sulphura Naturæ, vel Mercurios Philosophorum, summa Chymiæ secretioris Instrumenta.

Lullius post varia nobis præscripta Spiritum Vini Phil. acuentia, ipsemet hunc Spiritum acuere voluit Salibus hisce Philosophicè volatilisatis. Sit autem nostrum Menstruum, *inquit*, ab omni Phlegmate depuratum, quod est quinta Essentia Vini, & acuatum cum Sale Armoniaco Philosophorum; quia aliter non dissolveret Aurum, neque Lapides pretiosos. Sit autem Sal Armoniacum ipsum Philosophorum bene purificatum, id est, sublimatum, & mundatum ab omni tetreitreitate & immunditia, Philosophorum more; de quo quidem Sale Armoniaco Philosophorum plenariè tractavimus *in Libro nostro de in-*

intentione Alchimistarum, *condito illustrissimo Regi Roberto*, *in cap. de Salibus Armoniac.*& in *clausura Testamenti*, aliter dicto *Vade mecum*, *in cap. quod incipit*, *Partus Veræ Terræ*: Ibi legas & perlegas Magisterium Confectionis hujus Salis & purificationis ipsius, & ejusdem virtutes & Potentias. Et scias Fili, quod quicquid in illo cap. scribimus, de isto Sale tantummodò intelligimus. Legas & bene perlegas illud cap. quia sine isto Sale nihil in Magisterio fieri potest. Illud est enim cum quo nostrum Menstruum acuimus, ut dissolvat nobis Aurum & Lapides pretiosos, & Margaritas, tam ad medicinas humanas, quàm ad Magisterium aliquot Metallicum & Lapidificum, & ad componendum Margaritas & Lapides pretiosos. *In quo Lullii Recepto habemus tantis laboribus*, *nummisque in vanum hactenùs quæsitum Sal Tartari volatile*, *gratis nobis datum*, *de quo Theoretici nil nisi obscurissima protulêre in suis Theoreticis.* Omnia apertè dixi, *inquit*, *Sendivogius*; Extractionem saltèm nostri Salis Armoniaci vel Mercurii Philosophici non ita apertè revelavi. *Send. in Epilogo* 12. *Tractat. pag.* 337. *Agedùm ex allegato* secundo Experimento *sequentem habemus Salis Harmoniaci sive Salis Tartari volatilis descriptionem*; *nimirùm*,

Sal Tartari Volatile Lullii,
Ex secundo Experimento.

℞. TArtarum optimum, quod triturabis, & in vase terreo non vitreato pone ad calcinandum per tres dies, vel quousque albescit. Quo facto ipsum dissolve in Aqua Vitæ primæ distillatæ (*in Spiritu Vini Phil. nondum rectificato*) hoc pacto videlicet: Pone individuum hoc Calcinatum & Album in Urinale, & desuper infunde Aquam Vitæ ut superemineat septem digitis, & occlude cum suo antenotorio (*Alembico Cæco*) aç pone super furnum cineris ut ferveat per duas horas, deinde quod dissolutum fuerit cautè in aliud vas transfunde: quod autem remanet indissolutum desiccabis. Posteà iterum Aquam novam Vitæ infundas, atque iterum super cineres fervere facito.

Dissolutum iterum ut supra evacuato, & cum altera dissolutione

lutione priori Conservato. Materiam in vase remanentem iterum desiccato, atque eam ex vase extrahas, quoniam iterum calcinanda est, ut facìliùs dissolvatur. Quæ cùm calcinata fuerit, iterum cum nova Aqua Vitæ dissolve, & fervere facias supra cineres. Dissolutionem hanc, ut suprà, cum reliqua conservabis; Atque hoc Magisterium toties reiterabis donec totum hoc individuum fuerit calcinatum & per dissolutionem transactum. Omnes posteà Dissolutiones constitue in Urinali, apposito Alembico cum recipiente, & juncturis optimè clausis per Balneum destillabis, quousque materia congeletur, vel quousque per illum gradum caloris amplius non destillaverit. Tunc remove Recipientem, & claude ne respiret, & posteà transferes Urinale super cineres, & si qua pars corruptibilis (*Phlegma & Terra inutilis*) cum materia remanserit, comburatur, & cum per duas horas vel tres vas illud permanserit in igne aliquantulum remisso, nec amplius destillabit quicquam per rostrum Alembici, tunc finito ut frigescat vas, ac deinde super materiam iterum superfunde eandem Aquam (*Vitæ sive Vini Phil. Spiritum*) quam superiùs in recipiente clausam servâsti. Dissolutâ igitur hâc materiâ, iterum per Balneum destillabis Aquam, ùt suprà, quam remoto recipiente benè clausam servabis, ne respiret. Posteà transferas Urinale super cineres, & desicca materiam, desiccatam iterum dissolve cum Aqua, quam in recipiente servâsti, & si videris Dissolutionem illam non esse claram nec perlucidam, debes eam toties transmittere per filtrum vel pannum lineum, ac toties eam vicissim dissolvere ac congelare, ut suprà, donec ex sese nullam terrestreitatem emittet; & postremò Dissolutio ipsa acquirat claritatem ac splendorem. Tunc demum pro comperto habeas, quod impurum est & corruptibile, separatum est, ac totam materiam videbis in Oleum transmutari. Nunc autem, charissime Fili, procedendum est ad Compositionem Mercurii, & nostri Salis Armoniaci, in quo tot ac tantas potentias ac virtutes inesse animadvertimus, ut perdifficile sit, id hominum sermone consequi & comprehendere. Cujus operationis modus talis est.

Scias pondus Salis vel Olei, quod in fundo vasis depuratum aspexisti ac illi superinfunde de nostro Spiritu, id est Aqua Vitæ rectificata, ut ardeat pannus madefactus in ea tantum ut supereminеat quatuor digitis, vel sit ad pondus Aquæ Vitæ sex partes

plus

plus quàm ſit ipſum Sal vel Oleum. Totum hoc ſimul mixtum in Urinale conſtituas cum Cooperculo ſive antenotorio firmiter clauſo, ne reſpiret. In Balneo putrefacias ſpatio duorum dierum naturalium, deinde amoto antenotorio & oppoſito Alembico, cum recipiente juncturis bene clauſis in furno cinerum lento igne deſtillabis. Quæ deſtillatio continuanda eſt, quouſque roſtrum ſive capitellum nullas Venas oſtendat. Sed ſubitò poſtquam Venæ diſparuerunt, depone recipientem cum Aqua deſtillata (*Spiritu Vini Phil.*) & firmiter claude, venit enim Spiritus animatus (*Spiritus Vini Eſſentiâ Tartari imprægnatus*) qui poteſtatem habet vivificandi ſuum Corpus (*ſive Caput mortuum*) poſteà continuabis eandem deſtillationem, in fine augmentans ignem, ut ſi Phlegmatis aliqua pars reſtet, per illum caloris gradum exhalet, & removeatur. Poſtremò frigefacto vaſe materiam extrahe & triturabis. Scias pondus materiæ, & illi ſuperfunde de Aqua Vitæ quatuor partes ampliùs quàm ſit ipſa Terra (*Caput Mortuum*) & occluſo vaſe cum ſuo antenotorio, putrefacias, ut anteà, deinde oppoſito Alembico cum ſuo recipiente firmiter occluſo, in furno cinerum, ut ſuprà, deſtillabis. Poſtquam cum ſuo Spiritu tranſacta ſit anima cum iiſdem ſignis venarum, ut ſuprà, apparentium, idem magiſterium reiterato per tres uſque vices. Tunc enim habebis Spiritum perfectè animatum, & Corpus exanimatum & calcinatum. Ipſe quidem Spiritus cum anima (*Tartari*) aptus eſt ad omnem operationem Phyſicam diſponendam, ſed in hoc loco eum uſurpabimus ad calcinatam Terram vivificandam. Accipe igitur ſupradictam Terram ex ſuo vaſe, & eam tritura, poſteà de ea ſupra candentem laminam modicum quid pone, quod ſi fluat inſtar ceræ abſque fumo, ſignum eſt perfectæ exanimationis. Si hoc ſignum non apparuerit, eſt iterandum hoc Magiſterium, quouſque illud ſignum fueris conſequutus.

Poſteà ſcito pondus iſtius Terræ, ſupra quam infunde Spiritûs Animati quartam partem, & clauſo vaſe cum ſuo antenotorio, conſtitue illud in Balneum ad congelandum per duos vel tres dies, vel quouſque congeletur, quo facto, remove antenotorium, ſupponens capitellum, & in furno cinerum deſtillabis ſine recipiente, ut ſi pars Phlegmatis exſtiterit, inde amoveatur; quod enim emanabit ex hac deſtillatione, erit inſipidum

dum & nullius ſaporis vel valoris ad ſimilitudinem Aquæ Pluvialis. Poſteà iterum ſuperfunde quartam partem animati Spiritûs, ut ſuprà, & in Balneo congelabis, ut ſuprà, poſteà per cineres phlegmaticam humiditatem deſtillabis, ut ſuprà. Atque hoc pacto prædictum magiſterium toties iterabis, donec Terra ebiberit & attraxerit ad ſe totum ſuum Spiritum animatum, ac deveniat ad hujuſmodi ſignum; ut ſi particulam ejus poſueris ſuper laminam ignitam, major pars in fumum evolet, quod erit ſignum materiam iſtam diſpoſitam eſſe ad ſublimandum Mercurium noſtrum pretioſiſſimum, qui poteſtatem habet diſſolvendi quodcunque Metallum cum conſervatione ſuæ formæ Vegetativæ & Germinativæ.

Accipe igitur præfatam Terram prægnantem, & conſtitue intra Bociam (*Sublimatorium*) cum collo longo, quam optimè lutabis luto Sapientiæ, ac deſiccato luto collocabis cum materia in furnum deſtillationis, ſubminiſtrans in principio ignem lentum, donec Bocia calefiat, cujus os ſit occluſum licinio bombacis, atque iſtum lentum ignem continuabis per 6 horas; poſteà per alias ſex horas ignem aliquantulum augebis. Quod ſi per illum ignis gradum non ſublimaretur, augebis ignem viciſſim ad violentiorem gradum, donec incipiat ſublimare, quem ignem continuabis per viginti quatuor horas, quo temporis ſpatio elapſo, frigefacto vaſe, accipito inde Sulphur noſtrum ſublimatum (*Sulphur Naturæ vegetabile*) Mercurium noſtrum (*vegetabilem*) Cœlum noſtrum (*ſiccum*) Sal Armoniacum noſtrum (*vegetabile*) Lapidem noſtrum nondum fermentatum, & pluribus aliis nominibus appellatum. Cujus poteſtas eſt acuere ſuum Spiritum (*Vini Phil.*) ut inferioribus Experimentis comprobabitur.

Hæc Salis Tartari volatiliſatio ſatis tædioſa eſt, facilis tamen & clara, juxta Recepti tenorem. In ſequenti Menſtruorum genere varia habebimus exempla conficiendi ejuſmodi ſalia harmoniaca, hinc quæ circa hanc ſalis Tartari volatilis confectionem admonenda ſunt, illuc reſervabimus. Lullius hujus ſalis volatilis libras tres cum quatuor Spiritûs Vini Phil. ſucceſſivè commiſcet per varias deſtillationes; commixtum circulando per 60 dies redigit in Cœlum vegetabile.

Hic autem admonendi ſumus, Sal Harmoniacum Tartari in ſua forma ſicca eſſe Menſtruum vegetabile, adeóque juxta præ-

 ſcriptam

scriptam Recepti methodum non semper necesse est istud in liquidam reducere substantiam; illud enim, & Menstruum inde confectum differunt, eò quòd in Cœli confectione unctuositas Spiritûs Vini Phil. superaddita, & jam prævalens absorpserit, & dissolverit salis harmoniaci ariditatem. Ast hoc, à majore Oleosi quantitate, hoc modo plus justo dilutum, multum de suis amittit viribus, & ad aridorum dissolutiones minùs fit idoneum. Jam verò si sal Tartari sit volatile, ipsum Menstruum in forma sicca, inscitè quidam illud Menstrui Philosophici supplere locum dixêre, quod tamen rectè & optimè dictum, si Menstruum corrosivum quod nobis minerale dicitur, intelligatur; cujus locum sal Tartari volatile, ceu Menstruum vegetabile, in variis occasionibus supplere potest.

Quemadmodum verò sal harmoniacum hoc, Spiritu Vini Phil. in liquidam substantiam redactum, Cœlum Vegetabile nobis componit; ita Spiritu Vini com. dissolutum, facit Spiritum Vini Basilii; dissolutum cum aceto, Acetum nostrum; dissolutum cum Aqua Forti, Aquam Regis Philosophorum, & sic de pluribus aliis. In præsentibus suum habet locum prædictus Basilii Spiritus.

18. Spiritus Vini Basilii,

In fine Libri Revelat.

℞. VInum Album generosum (*commune*) & destilla modo solito, ut ex eo fiat Aqua Vitæ fortis in vesica, quam in phiala rectifica, & separa phlegma, Aqua Vitæ hæc ita probatur; si in vase vitreato incensa comburatur tota, nihilque aquositatis post se relinquat; sin autem remaneat quid, destilla adhuc semel aut bis, juncturis optimè clausis, ne Spiritus volatilis Vini exhalet. Aquâ Vitæ sic destillatâ, & optimè rectificatâ, (cave autem, ne inter destillandum candelam admoveas, ne tibi noceas) in aliâ phialâ cum mensurâ hujus Aquæ Vitæ jungas uncias tres Tartari optimè sublimati, ut phiala ad medietatem plena sit, apposito alembico & recipiente satis amplo, destilla in Balneo Mariæ lentissimè propter Spiritus volatiles, relicto in fundo parùm Aquæ Vitæ, & inter destillandum humidis pannis refrigerato alembicum, sic Spiritus citiùs resolvitur, & in Recipientem transit.

Hic

Hic est iste Vini Spiritus, quo Basilius passim usus est, præsertim in Conclusionibus suis, *ubi per Vini Spiritum corpora tam Metallica, quàm mineralia redigit in Olea. Quisquis alium ejus loco sibi imaginatus fuerit Spiritum, necesse habet, ut sibi caveat, ne dicti veritatem damno suo experiatur. Datur quidem adhuc alia ejus Vini Spiritûs descriptio in* Appendice Elucidationis, *quæ tamen à priori non differt, nisi quod in superiori descriptione legebatur sal Tartari volatile; hic vero legitur sal armoniacum optimè sublimatum. At ea esse Synonyma jam modò patet ex Lullii Recepto. Quodcunque enim sal sive fixum sive volatile Spiritui Vini Phil. conjunctum sublimatûmque fuerit,* Sal volatile nostrum, Sulphur naturæ nostrum, & Mercurius sublimatus noster *dicitur, quibus promiscuè ceu salibus Philosophicè sublimatis uti licet; utraque enim salia ista (Tartari & salis armoniaci) ex una eadémque forsitan materia, confecta fuerunt à Basilio. Hoc autem ejus Menstruum Cœlo vegetabili Lullii minùs forte est, etiamsi ex eodem sale Tartari æquè sit ac istud præparatum. Basilius enim hujus salis diminuit virtutem Spiritûs Vini communis additione; cùm Lullius idem efficiat opus sed Vini Phil. Spiritu. Ast Basilius suum aliquando etiam Lullii Cœlo Veg. fortius Menstruum reddidit, separando Spiritum Vini Com. à sale armoniaco Philosophico, quod quidem duplici peregit modo.*

Primò accendit Menstruum in vase cupreo ad usum hunc destinato, ut Spiritus Vini Communis comburatur, sal armoniacum verò Vegetabile per se remaneat in liquidam substantiam redactum. Modus est iste.

19. Spiritus Vini igneus Basilii,

Loco ut supra.

℞. SPiritum Vini antecedentem ad hanc Spiritûs ignei præparationem idoneum. Conficiatur Instrumentum ex Venere quod in medio, infrà & suprà foramina, tolli potest, prout & supra mediam cucurbitam: Impone alembicum cum tubulo, omnia ex Venere sint præter recipientem, qui sit ex vitro, quem pone in vase ligneo in aquam & suprà pannis humidis

tege, in vase ligneo sit meatus per quem aqua ubi incaluit, effluat & frigida affundatur; omnibus sic paratis per foramina inferiora immittitur Spiritus Vini præparatus, ut ad foramina attingat, tunc accenditur, & Mercurius per foramina media sursum pellitur, resolvitúrque ob frigus aquæ, & ex alembico transit in recipiens. Sic præparatur Spiritus verus Vini, sed in opere nunquam cessa à refrigerando, & affunde novam Aquam Vitæ, ne nimis profundè ardeat. *In Additione vel Appendice manualium operationum hunc Spiritum ita descripsit Basilius.* ℞. Vinum adustum (*potiùs Vinum adurendum ex Sale Harmoniaco Tartari & Spiritu Vini Communis confectum*) quod ponas in vase forti durante ignis flammam, & accendas flammâ sulphuris, & protinùs applica Alembicum ferreum vel cupreum, & verus igneus Vini Spiritus resolvitur & destillatur in liquorem in recipiens amplum; hic est verus aereus & igneus Spiritus Vini.

Secundò impregnat Menstruo sub No. 18. *descripto calcem vivam ex qua fortius adhuc destillat Menstruum*, Spiritus Calcis Vivæ *dictum.* Calx Viva, *inquit*, fortificatur, & magis ignea redditur per purum & minimè sophisticatum Spiritum Vini (*ex sale armoniaco & spiritu vini com. confectum*) sæpiùs desuper cohobatum, cui calci addas sal alcali Tartari, additis Salis ejusdem fecibus exsiccatis, ex quibus optimè permixtis destillabis verum Spiritum gehenneum, in quo magna absconduntur mysteria. Methodum acquirendi hunc spiritum tibi dixi, quam observa, tene, ac pro dono valedictorio accipe. *Basil. in Repet. Lapidis in Cap. de Calce Viva.* Nota, inquit, *in fine Libri de Medicinis supernaturalibus*; vobis dixi de virtutibus & qualitatibus Lapidum pretiosorum; at reperiuntur etiam plures lapides despicabiles & ignobiles, magnæ tamen virtutis, testante ipsa Experientia; quamvis ignorantes & inexperti haud fidem adhibebunt dictis, istáque cerebris suis obtusis concipere nequeant, istud tamen demonstrabo Calcis vivæ exemplo, quæ Calx, juxta judicium vulgi, parvi pretii est, & contemptibilis in obscuritate. Nihilominus in hac est virtus potens, quæ apparet in sui applicatione contra morbos gravissimos: At cum triumphans & transcendens ejus Efficacia ferè incognita sit plurimis, ideò pro causa illorum inquirentium in mysteria naturalia & supernaturalia & quorum gratia hujus Libri aperio

Ar-

Arcana: Pro Valedictorio detegam etiam mysterium Calcis vivæ, & dicam primò modum destillandi ejus spiritum, quod opus sanè requirit Artistam expertum anteà bene informatum in hac præparatione.

20. Spiritus Calcis Vivæ Basilii,

In fine Lib. de Med. supernatur.

℞. CAlcis Vivæ q. v. tere & præpara in marmore in pulverem impalpabilem; cui affunde Spiritûs Vini (*Menstrui sub* No. 18.) tantum, quantum imbibi possit à Calce pulverisata, ita ut nullus Spiritus supernatet Calcem. Tum applica alembicum; luta bene, & apposito recipiente abstrahe Spiritum lenissimè in Balneo ab eâ; hæc abstractio reiteranda octo vel decem vicibus. Hic Spiritus Vini fortificat valdè Spiritum Calcis, qui inde fit magis igneus. ℞. Calcem remanentem ex cucurbita, quam contere optimè, cui adde Salis Tartari (*Alcali*) partem decimam, & ad pondus omnium, Terræ salis Tartari, sive materiæ in Extractione salis Tartari relictæ & bene exsiccatæ, hæc omnia bene mixta destilla ex retorta bene lutata, cujus tres partes sint vacuæ, in Recipiens magnum & firmum. Nota, necesse est, ut recipiens, in quod Retortæ rostrum inseritur, habeat fistulam unius digiti latam, cui aliud applicandum est recipiens, in quo parva quantitas Spiritûs Vini (*Menstrui sub* No. 18.) sit. Tum leni igne destilla, & ascendet phlegma in recipiens primum, destillatô phlegmate adauge ignem, & veniet Spiritus albus in forma Spiritûs albi ex Vitriolo (*philosophico*) destillati, qui non descendet in phlegma, sed per fistulam prædictam in alterum recipiens, sese inibi conjungens Spiritui Vini, quemadmodum ignis igni facilè jungitur. Nota, nisi hic Spiritus Calcis ritè fuerit præparatus vel imprægnatus Vini Spiritu, cohobationibus prædictis, destillando miscetur phlegmati suo, exstinguitur & amittit suam virtutem. Ita difficile est penitùs perscrutari naturam, plurima sibimet ipsi reservantem. Hoc Spiritu jam Vini Spiritu commixto, remove recipiens, effunde phlegma, at cautè serva calcis & vini Spiritus. Nota, ambos hos

Spi-

Spiritus difficulter separari, etenim sese invicem amplectuntur, & destillando ascendunt junctim. Propterea mixtos & unitos Spiritus accende in vase vitreo, spiritus Vini comburitur, sed Calcis Spiritus remanet in vitro, quem reserva diligenter. Hic magnum est Arcanum, Spiritus pauci excedunt ejus efficaciam, modò sciatis ejus usum. Ipsius qualitates haud describi possunt per modum compendii. Hic spiritus dissolvit oculos cancrorum & cristallos durissimas; tria hæc destillata invicem per alembicum & sæpius cohobata, reddunt liquorem, cujus guttæ tres, adhibitæ in vino calido, frangunt & dissolvunt arenam & calculum corporis humani, liquor hic expellit istius morbi veram radicem vel causam absque ullo patientis dolore. Spiritus hic calcis ab initio est coloris cærulei, sed leniter rectificatus apparet albus, transparens & clarus, paucas post se relinquens feces. Spiritus hic dissolvit cimelia fixissima & lapides pretiosos; è contrariò fixat omnes Spiritus volatiles transcendenti calore suo. Spiritus hic vincit quæcunque Podagræ symptomata, etiamsi summè nodosa & tartarea, quæ omnia dissolvit & expellit radicaliter.

Spiritus Vini sale harmoniaco vegetabili acutatus si accendatur, Communis Vini Spiritus comburitur, sal armoniacum autem incombustibile ascendit in forma liquoris, & Spiritus Vini igneus Basilii *dicitur. Verum-enim-verò cùm idem Spiritus vini sale harmoniaco conjunctus absorbeatur à Calce viva, & inde destilletur in seipsum, posteáque accendatur; Spiritus Vini Com. flammà quidem consumitur, ut anteà, at Calcis spiritus, vel potius sal harmoniacum vegetabile, non ascendit, ut priùs, sed remanet in Vitri fundo, quia magis digestum & fixius redditum. Ast pro majore horum spirituum Elucidatione, aliam addere spiritûs Calcis descriptionem consultum duximus:*

21. Spiritus Calcis Vivæ simplex Basilii,

In Manualibus Operationibus.

Fc. CAlcem vivam puram, quam combure in furno figuli, igne fortissimo, ut reducatur ad exactam maturitatem, cui subtilissimè in marmore tritæ affunde in cucurbita Spiritum Vini

vini Confectum ex Tartaro philosophico (utì docebo in methodo mea Conficiendi Aurum potabile) ut calx fiat instar pultis tenuis.

Hoc peracto, destilla inde phlegma ad calcis siccitatem, affunde novum Spiritum Vini, & abstrahe. Repete id sexies, tum contere materiam optimè, & pone in cella, ut dissolvatur per deliquium, & spatio paucorum dierum effluet inde liquor, qui collectus & destillatus per retortam ex arena, primo emittit phlegma per se servandum, posteà liquorem spiritualem quem seorsim etiam serva. Jam ℞. Cristallos pulverisatas, quas commisce cum eodem pondere sulphuris vivi vel mineralis; materiam hanc combure, continuò agitando eam, usque quo omne sulphur comburatur. Quam deinde reverbera igne aperto per tres horas. Hoc facto huic materiæ affunde prædictum liquorem. ℞. Etiam oculos cancrorum, quibus etiam in alio vitro affunde eundem calcis liquorem. In calore satis forti digerantur per 14 dies & ab ambobus ascendet humiditas quædam in superficiem, quam decanta subtiliter in vitrum parvum, & rectifica in Balneo, & liquor remanebit in fundo, cujus grana tria in vino adhibita produxere valdè magnos & admirabiles effectus. Medicina hæc curat etiam radicaliter calculum vesicæ & renum tam in viris quàm fæminis.

Spiritus vini ex Tartaro philosophico, quam promisit Basilius se daturum in Methodo sua conficiendi Aurum potabile, omnia antedicta Basilii confirmabit Menstrua. Etenim cum illa ex sale harmoniaco sive sale Tartari volatili diversimodè præparata fuerint; hic Spiritus vini philosophici est acutatus sale Tartari, non quidem communi Alcali, sed hoc redacto una cum Spiritu Vini Phil. in liquidam substantiam; nam admonendi sumus, non semper necesse esse conficere Lullii Cœlum, cæteráque hujus generis Menstrua ex Sale Tartari quatenus philosophicè volatilisato, sed aliquando etiam idem confici posse menstruum ex sale Tartari absque sui sublimatione, sive reductione in Sulphur Naturæ vegetabile; sola Spiritûs Vini Phil. cohobatione super sal Tartari, donec destillando ascendat in forma liquoris lactei. Ita fit,

22. Spi-

22. Spiritus Vini Tartarisatus Basilii,

In Manual. Operation.

PRimò sciendum est, Tartarum Philosophorum, quo sera aperitur, non similem esse communi Tartaro, ut plures imaginantur, sed aliud est Sal, etiamsi oriatur ex eadem radice. Hoc Sal est clavis unica aperiendi & dissolvendi metalla, modò fuerit præparatum, ut sequitur. ℞. Cineres Vitis fructiferæ, ex quibus aquâ calidâ educ lixivium fortissimum, quod ebulliendo evapora ad siccitatem, ut remaneat materia rufa, quam reverbera in fornace reverberatoria per tres dies, vel circiter, igne aperto, usque dum albescat. Tum dissolve Aquâ Fontanâ, sine ut subsideat, decanta clarum, filtra ut separentur feces, filtratum coagula, & habebis Sal album Tartari, à quo Spiritus verus destillatur hoc modo.

℞. Summè rectificatum Spiritum Vini & penitùs liberatum ab omni phlegmate (*sub* No. 19. *descriptum*) quem affunde sali Tartari in phiala colli longi ad trium digitorum supereminentiam, luta alembicum ad phialam, appone recipiens, digere leni calore, tum lenissimè abstrahe phlegma, & Spiritus Tartari apertus est medio Spiritûs Vini, & ratione amoris reciproci & mirabilis ascendunt ambo conjunctim, feces remanentes si quædam fuerint, ut & phlegma abjicienda sunt, ita habebis verum Spiritum Vini, quo Aurum potabile conficitur.

Menstruum hoc sanè nobilissimum est, ita ut etiam ob ejus excellentiam altiorem mereatur locum, quam hunc inter Menstrua vegetabilia simplicia, quum rectiùs ad septimum menstruorum genus esset transferendum. Verùm cùm in præsenti maximè illustret Basilii menstrua adeóque sit hic majoris utilitatis, quàm ibi, illud hinc removere nolumus, addemus tamen ejusmodi menstruorum exempla magis simplicia. Ita fit,

23. Ace-

23. Acetum acerrimum vegetabile sive Ignis adepti, Riplei ex Tartaro calcinato.

Pag. 331. Concord. Raym. & Guid.

℞. TArtarum vini, & calcina in albedinem. ℞. Hujus calcinati Tartari libram unam, & pulverisatam pone in magna cucurbita vitrea, & superfunde fortissimi spiritûs vini (*phil.*) dimidium poculum, aut parum plus, claude os optimè, & stent in aqua frigida horis 24, tunc apposito recipiente destilla in Balneo levi igne, ita tamen ut possit destillari, quæ destillatio levis continuetur, quoad phlegma ascendat, quod ex gustu debet cognosci, tum permitte infrigidari, & rursus appone ad prædictum Tartarum, novum spiritum vini, eadem quantitate, ut suprà, faciendo omnia, ut anteà.

Quod opus reiterabis quindecim vicibus. Sed quando vas aperitur in singulis imbibitionibus, caveas ante omnia à subito odore hujus Ignis adepti. Hoc opere quindecim vicibus completo, sepone tres uncias hujus igniti Tartari ad partem, ad multiplicandum oleum mercuriale, ut inferiùs patebit. ℞. Reliquam partem hujus igniti Tartari, destilla in arena fortissimo igne, qui ignis ita destillatus habet colorem album, & est *natura ignita nostra, noster Mercurius, nostra Aqua vitæ, denique clavis nostræ scientiæ.*

§. *Menstruum hoc idem est, quoad ingredientia & virtutem cum cœlo vegetabili Lullii, sed oportet instar cœli istius circulari, ut lacteum & opacum suum amittat colorem, hujusque acquirat diaphaneitatem claritatémque. Receptum hoc extat etiam apud Johannem de Rupescissa, quod cum hoc comparare convenit, præsertim cùm variet quodammodò in circumstantiis, dum Tartarum vini phil. spiritu imprægnatum ante ejus destillationem dissolvat per deliquium.*

24. Aqua fortissima & virtuosa *Johannis de Rupescissa.*

Cap.43. lib. Essentiæ.

BEatissimus Deus, creator Arcanorum, tot mirabilia condidit in Natura, ut nec intellectus noster, nisi pauca possit percipere, nec lingua valeat mirabilia Dei nisi balbutiendo narrare. Et ex Arcanis revelabo tibi aquam divinæ actionis, & magisterium ejus est, ut accipias optimum Tartarum album calcinatum, & pone in aliquo vase terreo vel vitreo, & infunde desuper meliorem aquam ardentem (*philosophicam*) quam poteris habere, & pone alembicum desuper, & destillabis aquam ardentem debilem valdè, quam remove, quia nihil valet vel parùm, nisi pro oculis aut membrorum lotione: Deinde accipias Tartarum tuum, & inveniés eum fortificatum in duplo, & hoc qualibet vice probabis linguâ. Iterum aliam aquam ardentem desuper pluribus vicibus appone, quia qualibet vice fortificabitur supra modum, & in tantum fortificare eum poteris, ut nulla creata actio ei valeat comparari. Quod si vis vim ejus centuplicare, tritura eam, & pone super porphyrium vel super marmor, ut convertatur in aquam, quæ postmodum destilletur per alembicum.

Alia datur adhuc hujus cœli vegetabilis præparatio, non per Alcali sublimationem, nec cohobationem, sed circulationem simplicem; videlicet digerendo Alcali Tartari tamdiu in spiritu vini phil. donec supernatet olei instar super spiritum vini. Ita fit,

25. Mercurius vegetabilis acutatus sale Tartari Lullii.

In camera prima individuorum, dist.3. libr.Essen.

IN prima camera significatur, quòd noster Mercurius est in potentia H. (*Tartari crudi*) & ut ipsum extrahere possimus,

mus, oportet artiſtam dictum H. ponere in E. (id eſt, in furno vitrariorum) tribus diebus naturalibus & ejus ſit multa quantitas, quoniam parva inde efficietur, quod H. (*Tartarum jam calcinatum*) moles ſubtiliter, & ponas ipſum in H. arboris philoſophicalis (*in diſſolutionem per deliquium*) in marmore in loco frigidiſſimo, & cooperies propter pulverem & H. convertetur in T. (*oleum per deliquium*) Quod T. deſtillet artiſta per filtrum in vaſe vitreo, & poſtquam artiſta habuerit T. ex H. paratum, noſtrum Mercurium ex dicto T. poterit extrahere dupliciter. Primò per magiſterium *capituli. Non reputes me, &c.* (*per circulationem inſtar Eſſentiæ vel ſpiritus vini Lullii.*) Secundò per magiſterium *capit. Non prætermittam* (*per ſeparationem Elementorum, de quo non in hoc loco;*) *Lullius aliquando loco olei Tartari per deliquium, ſale Tartari depurato uſus eſt, putà* in Experimento primo. Aliud, *inquit*, ſignum habes magis certum purificationis illius individui (*ſalis Tartari*) videlicet cum ſal pretioſiſſimum in vaſe remanebit ſuper ignem in forma olei, quod remotum ab igne ſubitò congelabitur. Sed tibi, fili chariſſime, non ſit tædio prolixitas temporis in ſolvendo hanc materiam, & congelando ſingulis vicibus, corruptionem removendo, qua remanente, nunquam poterit conjungi cum ſuo ſpiritu extracto à pretioſiſſimo & propinquiore individuo ſuo, quod eſt vinum optimum, ablata ab eo prorſus omni humiditate & corruptione. Tunc ipſum conſtitue ad circulandum in vaſe circulatorio, atque ita reducatur in quintam Eſſentiam & ſpiritum ſuum protinùs complectetur, ſed hanc circulationem nos à principio triginta dierum ſpatio peregimus, poſteà verò eandem abſolvimus ſpatio dierum quadraginta, quæ circulatio fuit multo melior primâ, quia quo longiore tempore circulatur, eò magis ſubtiliatur, & efficitur aptum ad omnem phyſicam operationem noſtram, quem ordinem cum opus fuerit, vos quoque obſervabitis.

Non tantùm menſtrua hujus generis, variis modis ex alcali Tartari confici poſſunt, ſed ejus loco alia etiam alcalia fixa ſumere licitum eſt, uti ſequens probat Menſtruum.

26. Menſtruum vegetabile ſimplex de tribus individuis Lullii,

In Experim. XXV.

℞. AQuam vitæ ſummoperè acutam, quæ pannum lineum comburat, quam iterum transmitte per alembicum, ut ſit perfectè rectificata. Mox accipe ſalem chelidoniæ, ſalem de ſanguine humano, ſalem de melle extractum, uti habes ſupra in ſuis Experimentis, quos omnes ſales conſtitue ſimul in urinale (*cucurbita*) & in ſingulas uncias iſtorum ſalium ſuperinfunde quaternas uncias Aquæ vitæ ſupradictæ, claude cum ſuo antenotorio (*alembico cæco*) & ſuperpoſito alembico, annexo recipiente, juncturis optimè clauſis, deſtillabis per cineres, & transmitte ſales cum Aqua pariter. Si quid remaneat, iterum illi infunde ſuam aquam deſtillatam; cúmque totum fuerit transactum iterum novum infunde ſalem, unam ſcilicet unciam, ac per alembicum ut ſuprà, transmitte; Tertiò iterum alteram unciam ſalis adjunge ut ſuprà, & deſtillabis iterando hoc magiſterium ter, ſingulis vicibus novum ſalem adjungendo. His peractis Aquam hanc pone ad circulandum in vaſe alto & anguſto per 50. dies naturales. Illud tamen adverte, ne vas ullo pacto reſpiret. Cùm verò ad finem circulationis perveneris, in fundo vaſis videbis hypoſtaſin inſtar urinæ ſani viri, quæ erit alba. Completa ergò circulatione Aquam evacuando transferas cautè in aliud vas mundum, ac cave, ne cum Aqua hypoſtaſis tranſeat, ſed reſtet in fundo vaſis. Claude vas aquæ circulatæ ne reſpiret, & in Balneo ſerva.

Præparatio ſalis Chelidoniæ extat in Experimento quarto. Tunc cineres Chelidoniæ menſe Maio in plenilunio cum ſuis radicibus & floribus collectæ in vaſe vitreo pone, & Aquam chelidoniæ deſtillatam per B. ſuperfunde, ut inde ſalem elicias, & in igne cinerum lentiſſimo ferveat per duas horas: Diſſolutionem evacuando transferas in aliud vas, terram verò inſolutam deſiccabis, & refrigerato vaſe triturabis, ſuperinfundendo novam aquam, iterum ſuper cineres, ut ſuprà, fervere facias, ac ipſam

ſam diſſolutionem, ut ſuprà, decantabis. Hoc autem magiſterium itera toties, quouſque totum inde ſalem extraxeris, quæ eſt pars mercurialis ipſius individui. His ergò peractis, accipe omnes illas diſſolutiones, quas per filtrum vel lineum pannum tranſmitte, ut à terreſtreitate purgentur, deinde per Balneum congelabis deſtillando. Nam tranſacta humiditate in fundo vaſis remanebit mercurius ſive ſal albi coloris, quem ſalem debes ſolvere ac viciſſim congelare ter, atque hoc pacto ex hac materia mercurium extraxeris, qui virtutes propè innumerabiles habet acuendi ſpiritum vegetabilem à vino extractum, & poteſtatem habet diſſolvendi cuncta metalla cum conſervatione ipſorum formæ vegetativæ & germinativæ.

Sal ſanguinis humani fixum ita præparatur in Experimento undecimo. ℞. Sanguinem extractum ab hominibus ſanis & cholericis, illúmque pone in tabula nitida & ſic permitte ſiccari, ut phlegma ſeparetur; ab eo poſteà accipe ipſum ſanguinem, & eum quàm optimè tritura, & pone in bociam, & lento igne aquam deſtilla, quam deſtillatam ſeorſim ſervabis, & aucto aliquantulùm igne, ſed non admodum intenſè, ne fortè ſublimetur ſal, ſed ſolum humiditas atque oleum ſuperfluum exhalet, donec non ampliùs deſtillabit: Poſteà frigefacto vaſe accipe terram combuſtam, quam loca in vas, & firmiter claude, ne reſpiret. Nam reſpirando evaneſceret in fumum, pone vas in furnum reverberationis, ſed ignis debet eſſe temperatiſſimus, ut ſal iſtius materiæ, qui volatilis eſt & & non fixus, non exhalet, & ne violentiâ ignis vas frangatur, ut nobis accidit, & ſtet materia in iſto gradu ignis per duos dies, & calcinabitur. Quo facto vas frigeſcat, & frigefactum aperiatur, & ſuper calcinatam materiam infunde ſuum phlegma, id eſt, aquam quam in principio deſtillaſti, permitte ſuper cineres ferveſcere per duas horas, ut aliqua pars diſſolvatur, & quod diſſolutum fuerit, decanta in alio vaſe, atque iterum cum nova aqua fac, ut ſuprà, & ſic reitera, donec totum ſal extraxeris: Poſteà aquam per Balneum deſtillando removeas, & remanebit in vaſe ſal niveus, habens virtutes plurimas, & ſi cum eo vegetabilem ignem acues, diſſolvet procul dubio duo luminaria cum conſervatione ipſorum formæ vegetativæ. Et cum eo ipſo fieri poterit excellentiſſimum aurum potabile pro conſervando radicali humido in hominibus, & ad expellendum plures ægritudines.

Exe-

Experimentum tertium docet præparationem salis mellis hoc modo. ℞. Mel novum, quod sit album & cum favo conjunctum, illud autem constitue in vase vitreo ad putrefaciendum per 60 dies, deinde destilla, &c. posteà ℞. Terram (*caput mortuum*) quæ remanserit in urinali, atque illam perfectè trituratam in vase terreo collocabis, quod sit ex creta valentina, vel ex ea, ex qua fabricantur crucibula, vel si hoc vas habere non poteris, constitue eandem Terram intra gemina crucibula, alterum alteri annexa, & quam optimè clausa. Pòst statue in furno reverberationis vel vitrariorum, atque ibi permaneant quatuor aut quinque dies, ita ipsa albescet Terra. Sed si hoc opus feceris in furno reverberationis, adverte, ne sit ignis nimis violentus: Sic enim ipsa terra evanesceret, & si ignis debilis esset, nunquam calcinaretur: Mediocri ergò igne opus est. Sic nullus error potest contingere ut nobis accidit. Nam cùm hoc opus inchoaremus, violentiâ ignis totam terram amisimus. Sed ad rem: Postquam hæc Terra, ut prædictum est, calcinata fuerit, frigefacto vase extrahes ac triturabis, illi posteà superfunde aquam, quam destillasti per Balneum, & sinas materiam super cineres per duas horas fervere, atque in aliud vas transfunde, evacuando aquam ab ipsa Terra, quam Terram lento igne deficcabis. Super eosdem cineres superfunde novum phlegma, ac fervescat, ut suprà, decantabis evacuando, & conservando, ut suprà, dissolutionem corporis, atque hoc pacto magisterium toties iterabis, donec extrà ipsum totum salem pretiosissimum evacuaveris, & in aquam transegeris. Posteà accipito omnes illas dissolutiones, & per pannum lineum nitidum transmitte, quam aquam per Balneum destillabis, tandem in fundo vasis salem pretiosissimum habebis vel mercurium vegetabilem. Quo facto, scias pondus dictæ congelationis seu salis, ac illi superinfunde tertiam partem aquæ, quam servâsti superiùs, & quam rectificâsti septies per cineres (*aquam acidam mellis*) & occlude vas cum suo antenotorio, & pone in balneo per quinque dies, deinde amoto antenotorio & apposito alembico, temperato igne exhalabis destillando humorem, qui destillari poterit, qui erit insipidus, nam virtutem & acetositatem ipsius aquæ accepit & secum retinuit ipsa terra. Deinde iterum nova aqua, ut priùs imbibe ipsam terram, & reiterando magisterium, imbibendo, digerendo, destillando toties, ut suprà, quousque

terra

terra ad se traxerit & imbiberit suam aquam. Atque ita auxilio Dei vivi verè habebis salem vegetabilem extractum ab hoc individuo, quod sal est pretiosissimum, ac potestatem habet acuendi mercurium vegetabilem & dissolvendi duo luminaria, cæteráque omnia metalla imperfecta: Et cum hoc ipsa metalla reduci possunt in suam primam materiam.

Hisce salibus pro hoc Lullii menstruo requisitis addam Experimentum quintum, quod de Portulaca marina, Apio Sylvestri, Squilla, Euphorbio, Pyrethro, Roremarino, herba Mercuriali Solatro, Oliandro, &c. *alcalia præparare docet, quibus omnibus mercurium vegetabilem ex Vino extractum acuere poteris conjunctim vel separatim.*

Non hujusmodi menstrua solummodo fiunt ex alcalibus vegetabilium sed conficiuntur etiam ex salibus mineralibus, qualia sunt sal commune, gemmæ, aluminis, &c. Ita fit

27. Circulatum minus sive Aqua salis Circulati Paracelsi,

Lib. X. Archidox.

℞. VErum Elementum aquæ, vel ejus loco aliud sal, quod nondum planè ad siccitatem coctum sit, vel etiam sal gemmæ depuratum, affunde partes duas aquæ, mixtæ cum modico Raphani succo, putrefac in digestione accurata, quò longiùs eò meliùs; sine posteà congelare, & putrefac denuò per mensem, deinde per retortam destilla, residuum per ignem validum urge, ut fluat, reverbera in retorta, igne continuo, solve in marmore, aquam hinc defluentem affunde desuper, & putrefac iterum, destilla denuò usque ad oleositatem, conjunge cum spiritu vini (*Phil.*) & impurum decidet, quod separa, purum verò in frigido cristallisetur, affunde iterum destillatum, & toties cohoba, donec oleum fixum in fundo remaneat, & nihil dulce posteà transgrediatur. Digere porrò per mensem, deinde destilla tamdiu, donec Arcanum salis per alembicum transcendat. Nec pœniteat diutini laboris, namque hæc est tertia pars omnium Arcanorum, quæ in metallis & mineralibus

bus abſcondita ſunt, & ſine qua nihil frugiferi, nihil perfecti perfici poteſt.

Idem Circulatum Paracelſus deſcripſit in Tractatu de Reductione Metallorum in primam materiam vel Mercurium currentem (*qui liber in Roſario novo olympico Benedicti Figuli quartum locum tenet*) *quam deſcriptionem cum hac comparare, ut ſeſe invicem illuſtrent, conſultum duximus.* Recipe, *inquit*, ſal gemmæ ſubtiliſſimè pulveriſatum, pone in crucibulo forti, & augendo ignem per gradus, ſal funde, fuſum in fluore retine per horas tres; ſal frigefactum item pulveriſa & in crucibulo novo, juxta methodum prædictam funde & ſic procede quinquies vel ſexies. Denuò ſali pulveriſato affunde tantum ſucci Raphani prius calefacti; (*ſal commiſce & comminue cum parùm ſucci, cochleari ligneo, in vaſe ligneo, diſſolutum cola per manticam & ſepone, adde rurſus parum iſtius ſucci, & repete uſque dum ſal totum ſit diſſolutum*) ut diſſolvatur, coagula vel abſtrahe per alembicum aquam, ſal reduc in pulverem, putrefac in balneo per ſex dies, tum deſtilla igne aperto, inſtar Aquæ Regis, obſervatis ignis gradibus, uſque nihil ampliùs aſcendat, urge igne fortiſſimo, ut optimè calcinetur per horam, pulveriſa ſal ita calidum ſubtiliſſimè in marmore, & in loco humido diſſolvetur per ſe, ſolutum omne putrefac in Balneo per tres dies, tum ex arena gradatim & lege artis deſtilla per alembicum omne liquidum, corpus reſiduum & bene pulveriſatum ſolve in marmore, putrefac & deſtilla, ut anteà, repete hoc ter, quod tum adhuc remanſerit, hoc reduc in pulverem & pone in cucurbita, cui ſuperfunde has tres deſtillatas aquas, putrefac per quinque dies, iterùmque deſtilla ex arena, ita tandem putrefaciendo & deſtillando ſal totum aſcendet per alembicum, excepto parvo capite mortuo rejiciendo; aquam verò à ſalis ſubſtantia deſtillatam putrefac per diem & noctem, & rectifica bis vel ter, & habebis Aquam ſalis.

Menſtruum hoc ex ſale marino vel gemmæ præ ceteris menſtruis vegetabilibus ſimplicibus elegit Paracelſus ceu optimo, quoniam juxta ejus doctrinam, matrix ſit vel centrum metallorum & mineralium.

Quoniam, *inquit*, experimentis edoctus ego, & in aliis quoque libris attigi primum Ens ſeu quintam Eſſentiam elementi aquæ eſſe centrum metallorum & minetalium, & alibi quoque

que adjunxi, quòd quilibet fructus mori debeat in eo, in quo vitam accepit (*in M. S. Germanico hæc ita leguntur*; Das ein iegelich frucht in seiner Mutter, darinnen es das leben ubertkommen, sterben muss, hoc est, *quod quilibet fructus mori debeat in eadem matrice, in qua vitam suam nactus fuerit*) ut novam posteà vitam meliorem accipiat, & sic per depositionem veteris corporis in primum Ens reducatur: ideircò hîc extractionem centri aquæ, in qua metalla corpus suum amittere debent, adjiciemus.

Menstruum hoc explicabimus per membra sua, quorum primum est Oleum salis susi per deliquium. *In processu primo sal marinum vel gemmæ dissolvit aquâ succo raphani commixtâ, putrefacit, & fortiori igne destillat, caput mortuum verò, (sal potiùs residuum) solvit per deliquium in marmore. In Recepto secundo sal gemmæ quinquies vel sexies susum prius, in ana succi raphani calefacti dissolvit, coagulat, putrefacit, & communis Aquæ fortis instar destillat, sal residuum adhuc calidum in pulverem redactum in loco humido dissolvit per deliquium. Aliquando absque fætido hoc raphani succo, istud oleum salis per deliquium præparat compendiosiùs, videlicet ex sale calcinato cum Nitro:* Receptum hujusmodi est, ut sumas salem communem & salem urinæ æquis partibus. Lege alchymiæ calcinetur horis duabus, posteà resolvatur in cella more usitato, &c. Ex hoc calcinato sale destillatur spiritus, qui resolvit aurum in oleum, quòd si rursus extrahatur & optimè præparetur, Aurum potabile præstantissimum comparabitur, sin citra extractionem (*destillationem*) illam aurum tantùm resolvatur, tunc pro aurifabris in deaurando ars est subtilissima, & pro fabris ferrariis ad deaurandum thesaurus constans & pretiosus. Oportet tamen eos in eo præparando esse alchymiæ peritos. *Libro de Rebus Nat. cap. 4. de sale pag. 190. Paracelsum per salem urinæ voluisse nitrum, facilè probatur ex sequentibus.* Quocunque loco, *inquit*, profunditur urina aut hominis aut brutorum, eodem succedente tempore salnitrum enascitur. Urina enim collecta & præparata in salem alium, salnitrum vocatur. *Ibidem. Verùm extra omne dubium ponit idem Receptum*, Tract. de sale pag. 171. *ita descriptum:* Sumatur sal & salnitrum æquali portione, calcinentur per se ad fluxum & fusionem, posteà resolve in suum liquidum.

Secundum est Oleum vel Essentia salis. *In processu primo oleum salis per deliquium recipit, & toties spiritu vini phil. cohobat, donec sal instar olei in fundo maneat, & nihil phlegmatis ascendat, si verò loco spiritùs vini phil. sumatur menstruum aliquod vegetabile, exempli gratiâ, menstruum, de quo jam tractamus, modò præparatum, sive sal circulatum, non necesse est ut sal dissolvatur per deliquium, sed minori labore redigitur in Oleum vel Essentiam naturalem.* Quamquam, *inquit*, plures sint viæ ad extrahendum Ens primum salis, hæc tamen utilissima & expeditissima est, & post hanc alia illa via est, cujus de Elixire salis mentionem fecimus. Ut nempe sal recens cum Aqua solvente, quæ est spiritus salis destillatus (*circulatum minus ex sale, aqua salis circulati, Arcanum salis, menstruum de quo jam agitur*) permixtum putreficetur, & tamdiu destilletur, donec salis substantia solvatur, ac in oleositatem perpetuam reducatur, corpore phlegmatis in modum ipsi subducto. *Locus allegatus extat libr. 8. Archid. de Elixiriis pag. 31.* ℞. Sal optimè præparatum, albissimum, & mundissimum, hoc in pellicanum ponatur cum Aquæ solventis (*sub Aqua solvente nostra Aqua salis* (circulati) *intelligenda est.* Libr. X. Archid. pag. 38.) tanta quantitate, quæ sexies pondus illius superet, in fimo digerantur equino simul uno mense, posteà separetur Aqua solvens per destillationem, & rursum affundatur, ac separetur ut priùs, idque toties donec sal in oleum convertatur. *Hæc Essentiæ salis confectio cum Circulato minore, multò melior & exquisitior est priori illa præparatione per vini phil. spiritum peractâ; licèt Paracelsus methodum priorem posteriori utiliorem & magis expeditam esse affirmat, quod de utriusque usu, non præparatione, intelligendum est, siquidem salis Essentia & citiùs & meliùs præparatur circulato quodam minore, quàm simplici Vini phil. spiritu; ex qua Essentia salis quocunque etiam modo confecta deinde fit Arcanum salis, quod utilius esse & expeditiùs, Rerum Essentias extrahendi, quàm oleum salis nondum ita graduatum ratio jubet. In processu secundo Paracelsus oleum salis per deliquium putrefieri quidem mandat, sed de putrefactionis medio, vini phil. spiritu vel menstruo vegetabili simplici quodam nullam facit mentionem, sine quo tamen sal non ascenderet in alembicum, & si destillaretur, nullius tamen esset usus in essentiarum extractionibus. Cum Vini phil.*

spi-

ſpiritu itaque putrefecit oleum ſalis per deliquium per aliquod tempus, deinde putrefactum deſtillavit fortiori igne, ſalis reſiduum iterum ſolvit in marmore, diſſolutum cum vovo vini phil. ſpiritu vel menſtruo veget. ſimplici quodam toties putrefecit & deſtillavit, donec totum deſtillaverit in Aquam ſalis ſpiritualem.

Tertium membrum conſiſtit in reductione Eſſentiæ ſalis in Arcanum ejuſdem. *Naturalis enim (id eſt, ſalina ſalis) Eſſentia cohobando aliquoties cum Vini phil. ſpiritu, aſcendit unà cum eo, fit dulcis, & tranſmutatur in Arcanum ſalis ſive Eſſentiam artificialem, de quibus Arcanis plura libro ſecundo de Medicamentis. Sal commune itaque, unà cum Vini phil. ſpiritu deſtillatum per alembicum, eſt* Circulatum minus *Paracelſi*, Aqua ſalis Circulati, primum Ens ſalis, Arcanum ſalis, Aqua ſolvens, Spiritus ſalis deſtillatus, Matrix & centrum metallorum & mineralium, &c. *dicitur Circulatum ob Eſſentiæ ſalis circulationem vel digeſtionem per menſem cum ſpiritu vini phil. vel quod probabilius, ob communem omnium menſtruorum vegetabilium circulationem per 30, 40, vel 60. dies, poſteaquam menſtruum jam fuerit confectum, ita ut circulatio hæc, licèt in noſtro Recepto omiſſa, ſubintelligenda ſit in hiſce Paracelſi circulatis. Non ideo dicitur Circulatum minus, ac ſi ſal commune minores, quàm cætera ſalia, habeat diſſolvendi virtutes, ſed quia hanc tantùm, non verò ut circulata majora, ſuperadditam habeat tingendi qualitatem, ceu ſal circulatum: Eodem etiam modo confici poſſunt Vitriolum circulatum, Alumen circulatum, Tartarus circulatus, &c.* Hac quoque ratione, *inquit* Paracelſus, Arcanum vel magiſterium Vitriolo conficiendum, ut & ex omnibus aliis ſalibus. *Libr. X. Arch. cap. 3. pag. 38.*

Tandem quemadmodum ſalina ſalis Eſſentia ſuam in Vini phil. ſpiritu per digeſtionem & cohobationem amittit ſalſedinem, & dulcis fit, ita communis ſpiritus ſalis hoc ſpiritu Vini permixtus & digeſtus, menſtruum fit dulce; ita fit

28. Spiritus ſalis dulcis Baſilii,

Lib.Partic.ſub ſulphure ſolis & Rep.12.clav.

℞. SPiritûs ſalis optimè dephlegmati partem unam, ſpiritûs Vini optimi optimè dephlegmati, ſive ſulphuris Vini confecti, ut dicam inferiùs (*cujus deſcriptionem modò habuimus in antecedentibus*) partem ſemis, appoſito alembico bene lutato deſtilla fortiter, ut nihil remaneat, adde deſtillato alteram partem ſemis ſpiritûs Vini, & deſtilla, ídque repete tertiò, putrefac per 15. dies, vel donec fiat dulcis, quod fiet in balneo leni, ita habebis ſpiritum ſalis & vini abſque omni corroſione, pro extractionibus.

Verum-enim-verò licèt menſtruum hoc ſuas mereatur laudes, attamen haud hujus generis menſtruis annumerari poteſt, ubi non de ſpiritibus acidis, ſed ſalibus fixis tractamus, conſiderabitur itaque ceu appendix ſalis circulati, ad cujus elucidationem non parùm faciet.

Ex Receptis obſervamus.

1. *Per Aquam vitæ vel ſpiritum Vini, adeptos minimè intellexiſſe Aquam ardentem vulgi, ſed philoſophicam, nam ardens aqua communis nunquam præſtabit, quod deſideratur in Receptis; & conceſſo, quod videatur præſtare, menſtrua tamen ſic confecta, adeptorum non forent, ſed communia, nullius valoris in chymia ſecretiori.*

2. *Baſilium aliquando quidem Aquâ ardenti communi uſum fuiſſe pro menſtruis ſuis, ſed nunquam per ſe, verùm ſale harmoniaco vegetabili, vel ſale Tartari phil. (id eſt ſpiritu Vini phil.) volatiliſato, commixtâ, quod ſal, medio hujus ſpiritûs in liquidam ſubſtantiam redactum, menſtruum ſuum eſt, nam ſpiritum vini com. vel per flammam vel calcem vivam iterum inde ſeparat.*

3. *Menſtrua hæc eò fieri fortiora, quò major ſalis harmoniaci quantitas ſpiritui vini phil. conjungatur, unde menſtrua Baſiliana hujus generis, à quibus tota Aqua ardens communis ſeparatur, inter optima veniunt numeranda.*

4. *Men-*

4. *Menstrua hæc esse salium fixorum magisteria, à Paracelso Circulata minora, sive Arcanum alcali Tartari, Fabarum, Absinthii; itidem Salis com. Aluminis, Nitri, &c. dicta.*

5. *Adeoque menstrua hæc esse medicamina.*

6. *Menstrua hæc variis & diversis posse confici modis, hæc ex salibus harmoniacis Lullii, per modum Circulatorum Paracelsi; & vice versâ, modò alcalia vel salia fixa volatilisentur & destillentur unà cum Vini phil. spiritu per alembicum.*

7. *Spiritum vini phil. non facilè hisce salibus commisceri, sed per certos gradus; primò ex his extrahit Tincturam vel animam, id est, partes magis unctuosas, quæ posteà utpote cæteris volatiliores facilè destillantur in Tincturam volatilem, vel (phrasi Lulliana) in spiritum animatum; deinde Terra residua, eâdem operâ jam fixata, volatilisatur iterum absorbendo dictum spiritum animatum per vices, & sublimatur in sal harmoniacum.*

8. *Salia harmoniaca hæc igni satis violento sublimari.*

9. *Salia hæc harmoniaca dici ob suæ mixtionis harmoniam, vel perfectionem.* Sic habes, *inquit Lullius*, formalem mixtionem armoniacam omnium elementorum, quare non mireris, si eum sâlem Armoniacum appellamus. Nam sic vocatur propter ejus exaltatam & sublimatam proprietatem puram & primam materiam Naturæ. *Libro Mercurior. pag.* 155.

10. *Sal Tartari volatile, sal volatile Absinthii, Cardui benedicti, &c. sal volatile com. (sal enixum dictum à Paracelso) rectè dici salia harmoniaca, Mercurios vegetabiles philosophicos, & Naturæ sulphura, &c.*

11. *Spiritum salis, nitri, vitrioli, aquam fortem cohobando unà cum spiritu vini phil. fieri dulces.*

VI. Genus.

IV. Genus.

Menstrua Vegetabilia simplicia ex Spiritu & Tartaro vini philos.

29. Cœlum Vinosum Parisini ex sale Vini phil.

In Appendice Eluc. pag. 271. Vol.6. Th.Chym.

℞. PRimam materiam Philosophorum, quæ chaos vocatur (*mercurius vegetabilis*, *vinum philosophorum*) destilla ejus spiritum (*ardentem*) & elementum aqueum (*phlegma*) cum suo vase conveniente, prout suo loco docebimus, usque dum corpus suum in fundo instar picis liquatæ maneat, quam per duas destillationes cum suo elemento aqueo lava, deinde affunde ipsi suum spiritum ad quatuor digitorum supereminentiam, miscendo bene materiam, usque dum bene sit unita, & impone vasi ad destillandum in Balneo cum calore lento. Deinde pone in putrefactionem sex dierum, in vase conveniente, & destilla in cineribus (*spiritum animatum.*) Tunc accipe alium spiritum (*ardentem*) & affuso eo pone denuò in sex dierum putrefactionem, & sic reitera hoc magisterium, donec videas spiritum animam ex corpore imbibisse & extraxisse, cujus signum infallibile erit, quando terram suam induratam & siccam videbis. Tunc enim certus esse poteris, corpus pro salute sua mortuum esse, quod vivificare & incorruptibile facere poteris. Et non ampliùs timebit mortem, neque corruptionem in hoc mundo. Jam accipe corpus prædictum, pondera priùs, deinde impone vasi convenienti & infunde octavam partem sui spiritûs, qui animam ejus extraxit (*spiritûs animati*,) deinda pone vas tuum in ignem digestionis, de quo dicemus posteà, & continua ignem usque dum videas, quòd terra imbiberit suum liquorem. Aperi tunc vas tuum, impone alembicum,

bicum, & collige paucum illum ſudorem, qui guſtum aquæ calidæ habebit. Imbibe nunc pro ſecunda vice materiam tuam cum ſeptimâ parte ſupradicti ſpiritûs, qui animam continet, & perge facere regimen ſupradicti magiſterii. Jam pro tertia vice imbibe cum ſexta parte. Pro quarta vice imbibe cum quinta parte. Pro quinta vice imbibe cum quarta parte. Et non multiplica pondus ſupradicti ſpiritûs, verùm continua ſic, obſervando regimen ſupradictum, uſque dum materia ſit alba, quæ biberit ſuum ſpiritum, & cum anima ſua iterum fuerit unita.

℞. Jam prædictam Terram, & colloca in ſublimatione conveniente, lutatâ vaſis parte inferiore infra materiam, & fac ſublimare partem puram ab impura. Et ſic habebis noſtrum Mercurium, qui eſt clarus & lucens ſicut adamas. Is eſt, qui à philoſophis per diverſas metaphoras vocatur *prima materia vegetabilis*, *ſal armoniacus*, *mercurius noſter*, *ſulphur noſtrum Naturæ*, cum tamen una eadémque res ſit.

℞. Alterum ſpiritum ſimplicem, quem de ſuo Chaote extraxiſti primùm, qui non extraxit animam ſuam, & modo ſequenti illum ſubtiliorem redde. Accipe de materia prima vegetabili (*ſale harmoniaco*) quam ſuprà confeciſti, libram unam, & pone in vaſe conveniente in Balneo, uſque dum materia ſe diſſolvat (*per deliquium*) deinde impoſito alembico deſtilla aquam ſuperfluam, tum ſuperfunde tres libras prædicti ſpiritûs ſimplicis (*ardentis*) & convenienter occluſo vaſe, ut infrà patebit, pone in putrefactionem per unum diem naturalem, modo ſequenti. Compara tibi vas æneum, unam ſpithamam cum dimidia circiter latum, & tres ſpithamas cum dimidia longum, quod verſùs orificium habeat fundum cupreum multis foraminibus pertuſum, cujus operculum unum vel duo habeat foramina, quod in vas intret, & illud bene claudat. Vaſa autem vitrea, quæ iſti cupreo vaſi imponere volueris, convenienter debent eſſe operta. In cupreorum iſtorum putrefactionis vaſorum parte inferiore ſit aqua communis. Cuprea iſta vaſa pone ſuper fornacem, ſubſtruendo ignem mediocrem, cujus vigore fumus, ſeu vapor aquæ aſcendet, & vaſa in quibus eſt materia tua, calefaciet. Hoc modo omne opus ſupremi noſtri magiſterii fovendum & præparandum erit. Deinde convenienter deſtilla in cineribus cum calo-

re-

re ſolis calori haud diſſimili, uſque dum omnem ipſi ſuccum abſtraxeris. Tum diſſolve materiam affundendo ipſi de ſpiritu ſimplici ſupradicto partes tres, reſpectu materiæ, quæ remanſit in vaſe poſt ablatum ei prædictum ſuccum. Reitera magiſterium quarta vice, procedendo & obſervando ex aſſe omnia, ut ſuprà. Sic habebis ſpiritum tui chaotis, qui à philoſophis dictus eſt ignis depuratus, deductus de potentia in actum cum virtute materiæ vegetabilis.

℞. Igitur vas vitreum, forte, menſuræ unius urnæ communis capax, purum & longum, cujus collum ſit forte, & duarum ſpithamarum cum dimidia longum, cujus operculum ſit aliud vitrum, deſuper cum collo inverſo, prædicto vaſi inſertum, Antinotorium dictum, quod capacitatem quartæ partis urnæ communis habeat. In vas hoc circulatorium impone quatuor libras, & non plus, de ſpiritu depurato, quem de potentia in actum deduxiſti cum virtute materiæ vegetabilis, ut te ſuprà docui, impone ad circulandum in Balneo vel in fimo per ſexaginta dies. Et cùm ſpiritûs, de potentia per materiam primam vegetabilem in actum deducti converſio fuerit facta, tunc hoc inde cognoſces, quod in fundo vaſis hypoſtaſis urinæ hominis ſani ſimilis extabit. Tunc quintam Eſſentiam adamante lucidiorem & clariorem videbis, quæ ſtellarum claritatem ſuperat adeò, ut dubium ſit, an in vitro contineatur, necne. Quam dextrè à ſua hypoſtaſi ſeparare, & in vaſe optimè clauſo in loco frigido conſervare debes. Hæc illa virtus eſt, quam invidi abſconderunt & per innumeras metaphoras obſcurarunt, nominando illam *ſpiritum vivum*, *Aquam argenti vivi*, *Aquam vitæ*, *Aquam cœleſtem*, *Aquam Dianæ*, *Animam menſtrui vegetabilis*, *Fumum*, *Ventum*, *noſtrum Cœlum*, *Sanguinem menſtrualem*, *Urinam ſublimatam*, *Menſtruum*, *Aquam noſtram ſulphuris noſtri*, *Lapidem noſtrum benedictum*, tribuendo ei alia nomina infinita, quæ hic tacemus, & unam eandémque rem eſſe per experientiam vidimus & cognovimus.

Annotationes.

Adeptorum plurimi nullam aliam, quàm hanc ſcivêre ſpiritûs Vini phil. acuitionem. Unam enim rem, unicámque credidêre methodum. At methodus hæc inter difficiles non poſtrema

ma est, nec multùm differt à Cœlo vegetabili Lullii ex Tartari alcali confecto. Tartarus hujus vini minùs oleosus est, quàm Tartarus communis, propterea etiam huic, utpote altiori, annumeratur generi. Ut verò Receptum eò meliùs intelligamus, illud comparare convenit cum suo originali, desumpto ex Testamento novissimo Lullii.

30. Cœlum vinosum Lullii.

In Testam. Novis.

℞. V*inum rubeum*, quod *liquorem Lunariæ* appellamus, & *Nigrum nigrius nigro* vocamus, & destilla aquam ardentem in Balneo, & illam rectifica, quousque sine phlegmate sit. Quod cognosces, quando comburit petiam lintei propter sui ardorem, quod facies in quinque vicibus, quandoque in tribus. Et cùm habueris tale signum, dividas illud in duas partes, & unam partem serva pro creando menstruo, & cum alia parte abstrahas animam à Terra (*massâ piceâ*) per modum, quem tibi dicam. Fili, modus est, quòd tu destilles phlegma, quousque maneat ad modum picis liquidæ, & tunc pone super illam de aqua (*ardente*) quam rectificâsti tantum, quod supernatet materiam tribus digitis, & bene clauso vase pone in fimo vel balneo in digestione per sex dies, posteà destilla in cineribus calidis totam aquam, in qua est anima, posteà auge ignem aliquantulùm, & extrahe *Oleum*, quod serva. Posteà infunde de alia aqua (*ardente vel spiritu Vini phil.*) ut priùs, & pone in putrefactione per sex dies, ut priùs, & posteà destilla in cineribus, primò aquam, posteà oleum, & sic continua magisterium per eundem modum, quousque extraxeris totam animam à Terra; serva illam, quia est aqua animata, & *oleum* serva pro Tinctura. Posteà terram siccam & induratam accipe, & calcina quousque albescat. Super talem terram debes dare animam, quæ est in aqua reservata. Fili modus est iste: ℞. Terram albam (*Sal*) & depuratam, & scias pondus, & pone in vitro, & super eam infunde octavam partem aquæ animatæ vase optimè clauso, & pone in balneo per tres dies, quousque videas spiritum ardentem condensatum

in Balneo, & illum rectificabis, quousque sine phlegmate sit. Tunc superposito alembico extrahe humiditatem sine gustu, quia anima amplexata est spiritum, qui est in ea parte. Et imbibe secundò cum septima parte aquæ animatæ, & digere, ut priùs, & destilla humiditatem. Tertiò imbibas cum sexta parte, & digere, & destilla humiditatem. Quartò infunde quintam partem aquæ animatæ, ut suprà. Quintò da quartam partem, & digere, ut scis. Et continua cum quarta parte semper digerendo & abstrahendo humiditatem quousque terra nostra sit prægnans & alba. Tunc accipe terram prægnantem & pone in vase sublimatorio lutato & bene clauso in igne tertii gradus per viginti quatuor horas, & sublima purum ab impuro. Et sic habebis, fili, vegetabilem mercurium sublimatum, clarum, resplendentem in sale mirabili. Fili scias, quòd philosophi, & nos appellamus id propriè *sulphur vegetabile*, *sal armoniacum*, *sulphur nostrum*, *sulphur naturæ*, & etiam multa alia nomina imponimus ipsi. Fili ℞. de sulphure hoc vegetabili, quod fecisti, unciam unam, & pone in vase vitreo, & superinfunde uncias tres de aqua tibi superiùs revelatâ (*aqua ardente summè rectificatâ*) & vase bene clauso cum coopertorio suo, pone in B. per unum diem naturalem, post destilla in cineribus, quousque quod poterit ascendere, ascendat, posteà scias pondus salis tibi remanentis in fundo vasis, & infunde tres partes sui ponderis aquæ ardentis supradictæ, & pone in nostro balneo, per unum diem naturalem, posteà in cineribus destilles, & sic facies tribus vicibus. Tunc totum sal vegetabile transactum est per alembicum cum sua propria aqua, & facta est mixtio & aqua clara, quam *simplex menstruum* vocamus. Fili, ℞. vas vitreum, quod sit vitrum album & solidum, & sit vas magnum, & pone intus libras quatuor vel sex (ad plus) hujus menstrui sic simpliciter soluti, & vase bene clauso & sigillato pone in Balneo, vel fimo sexaginta dierum spatio, & in isto tempore convertetur in quintam Essentiam gloriosam & odoriferam præter modum, quod cognosces quando in fundo vasis videbis hypostasin ad modum urinæ juvenis bene complexionati, & erit clara & resplendens, ut stella cœli. Serva eam in loco calido & humido, ut est Balneum, priùs separando eam ab hypostasi sua, & optimè sigillando vas.

Ambo

Ambo Recepta conveniunt in omnibus, nisi quòd Lullius terram mortuam calcinet, & communi aquâ dissolvendo & calcinando purificet, Parisinus non item, cum tamen terra hæc, hac purificatione, ad sui spiritûs receptionem aptior reddi videatur. Recepta duobus hisce constant membris, præparatione salis harmoniaci vegetabilis, & ejusdem salis reductione in liquidam substantiam sive menstruum. Præparatio salis harmoniaci absolvitur duabus operationibus. In primâ; Anima extrahitur mediante spiritu ex corpore, ut terra fiat inanimata fixa & cereæ fusionis in laminâ calidâ. In secundâ terræ huic fixæ anima restituitur per vices, & hoc variè, ut fiat volatilis: In amborum tam Lullii quàm Parisini Receptis terræ ita exanimatæ redditur spiritus animatus in octavo, septimo, sexto, quinto & tandem quarto sui pondere, usque dum penitùs evanescat in lamina ignita; Hanc imprægnandi methodum, vel revivificandi corpus mortuum confirmabit & ilustrabit

Sal harmoniacum vegetabile Parisini,

In Apertorio cap. F. & L. & parte secunda citharæ vel Violettæ & cap. V. Elucid. pag. 235. Vol. 6. Theat. Chym.

MErcurius noster vegetabilis est principium illud præ cæteris omnibus hujus artis admirandum, quod consistit in præparatione & ablutione Terræ suæ pretiosissimæ, quæ tantæ virtutis est, ut nullo ingenio comprehendi possit, exceptis his, qui miraculosos ejus effectus adepti sunt. Intentio nostra est, ut accipiatur materia remanens (*in destillatione Vini phil.*) instar picis fusæ, cui affunde mortis suæ (*phlegmatis*) ad quatuor digitorum supereminentiam, agita ut tinctura ejus dissolvatur seu pars unctuosa superflua, sine ut subsidat materia, tincturam decanta, residuæ materiæ affunde novum phlegma, agitando & decantando toties, donec nulla ampliùs extrahatur tinctura, & terra remaneat alba, scintillans adamantis instar, quam in sole vel simili calore sicca, cui exsiccatæ & pulverisatæ tantum C. id est sui spiritûs (*ardentis*) affunde, ut quatuor digitorum spatio supernatet, digere in alembico cæco

per tres dies naturales, tum destilla leni cinerum calore usque dum dispareant venæ, remoto recipiente bene occluso, aliud appone, destilla aliquantulùm fortiori igne omne phlegma, vase fregefacto exime materiam induratam, cui in pulverem redactæ & in eodem vase positæ affunde C. trium digitorum latitudine; luta & putrefac per tres dies, remoto alembico cæco, destilla per alembicum, usque quò ascendant venæ, tum muta recipiens, ut suprà has iterabis operationes, donec Terra remaneat alba, & non fumet super laminam ignitam. Jam accipe phialam, cui impone Terram prædictam, luta bene phialæ collum, & pone ad digerendum, vel calcinandum potiùs, in cineribus, & habebis Terram pretiosissimam tuam jam aptam ad recipiendum suum spiritum (*animatum*) sive animam, cum conservatione radicalis sui humoris. ℞. Terram hanc & impone vasi rotundo, unius palmæ profundo, lato circa orificium, & imbibe eam cum anima sua vel spiritu animato, utì declarabimus cap. L. ita habes plenariam hujus rei instructionem, ita ut impossibile sit, te errare posse, modò sis christianus fidelis. Promiseram tibi (*pergit cap. L.*) dare plenariam directionem componendi omnia genera sulphurum pro nostro magisterio, videlicet sulphur minerale vegetabile & animale. Noli mirari, quod primò sublimaverim & vivificaverim sulphur naturæ minerale, cùm hoc fecerim, ut illa darem in ordine, & ut eò meliùs possis attendere practicam tuam, & theoriam. Etiamsi sciam, te non ignorare, nullam posse fieri dissolutionem absque sulphure vel vegetabili vel animali. Nunc ad propositum nostrum.

℞. Terram vegetabilem præparatam modo eo, quem docuimus *cap. F.* eam imbibe cum suo spiritu animato, dando ejus octavam partem (*respectu terræ*) claude vas alembico cæco, digeratur in Balneo per octiduum, tum deposito hoc alembico abstrahe humiditatem omnem insipidam in leni cinerum calore, vel solis. Tum imbibe septimâ parte, digerendo in balneo, & destillando in cineribus, ut suprà. Tum imbibe sextâ; tum quintâ tandem quartâ parte, & hac quantitate repete reliquas imbibitiones, donec terra ebiberit duas partes & ultra sui ponderis. Tum eam terram exime è vase, pulverisa & ejus parùm pone super laminam ignitam, si pro maxima ejus parte effumaverit, pone pulverem in sublimatorium & subli-

ſublima ſal armoniacum philoſophorum, dans principium vegetationis ambobus terrenis luminaribus (*auro & argento*) abſque quo neque opus vegetabile, neque animale, imò omninò nihil fieri poteſt in hoc magiſterio.

Hanc Terræ fixæ volatiliſationem abſolverunt Adepti aliis etiam modis, non ſemper obſervantes ordinem prædictorum ponderum ſpiritus animati in corporis mortui reſuſcitatione vel impregnatione. Aliquando enim terram hanc exanimatam imbiberunt cum octava parte ſui ſpiritûs animati, toties uſque fiat animata iterum & volatilis ſit facta. Ita Lullius ſuum confecit.

Sal harmoniacum vegetabile Lullii,

Libro de materia vegetabili in practica quarta.

℞. V*inum excellens rubeum vel album*, deſtilla lege artis ſpiritum ardentem comburentem goſſipium. Evapora phlegma uſque quò remaneat materia craſſa inſtar picis fuſæ, cui affunde ſpiritus ardentis tantùm, ut ſupernatet per quatuor digitos: Digere per ſeptimanam in balneo, poſteà deſtilla ex cineribus ſpiritum animatum, terræ affunde de novo ſpiritu ardenti, reiterando toties uſque remaneat ſicca & in forma pulveris. Prætereà deſtillabis de terra oleum ex cineribus igne ſatis forti, ita ut terra nullum emittat fumum in lamina ignita. *Oleum iſtud, ut & phlegma nullius valoris ſunt in præſenti opere.*

Calcina vel reverbera dictam terram in vaſe clauſo, cui in alembico affunde ſpiritus ardentis animati partem octavam, digere in balneo per tres dies, poſteà leniter abſtrahe humiditatem ſuperfluam inſtar aquæ com. inſipidam, imbibe ut anteà, & continua toties, uſque terra facta ſit volatilis, quod cognoſces, ſi parùm ejus in lamina ignita evaporetur ferè totum. Terram hanc impregnatam ſublima in ſublimatione igne ſublimationis per 24. horas. Sal volatile & ſublimatum ſublima per ſe adhuc bis, quod ſpiritu ardenti diſſolvitur, deſtillatur & per 40. vel 50. dies circulatur in liquorem odoriferum.

Ali-

Aliquando imprægnaverunt terram ab initio usque ad ejus completam saturitatem cum quarta parte spiritûs animati. Ita

Sal harmoniacum vegetabile Lullii,

In Apertorio suo.

℞. DE meliore succo Lunariæ, quem invenire poteris, libram unam aut duas, & pone in vas cum alembico, juncturis bene clausis & lutatis, pone ad furnellum, & fac subtùs ignem de uno lichnio, & sub tali lento igne prædicti spiritus destillentur, & tamdiu, donec incipiat venas facere. Ideò quando phlegma incipit venare, tunc signum est, quòd spiritus destillatus sit, qui continet in se omnem perfectionem vitæ, & tunc recipe illum spiritum destillatum, & custodi ipsum optimè in vitro bene obstructo cum cera alba. Posteà appone aliud receptorium sub alembico, & recipe secundam aquam, quia adhuc retinet de prædicto spiritu, licèt non ita forti, sicut primo; de ista secunda aqua destilla tamdiu, quousque nihil ampliùs veniat nisi phlegma, quod non habet se aliter, quàm sicut aqua communis, gustando modicum, si adhuc habeat aliquam virtutem, tunc adhuc magis poteris destillare. Si autem sit sicut alia aqua pura in gustu, tunc depone receptaculum cum ista secunda aqua, posteà pone aliud vitrum ad recipiendum totum phlegma, tamdiu destillando, donec nihil plus destilletur, & tunc totum phlegma effundatur, quoniam ipsum est, quod mortem infert nostro lapidi pretioso, & hoc vulgus non cognoscit, sed nos cognoscimus. Jam habes terram quæ mansit in fundo vasis nigra instar picis fusæ. Illa enim terræ calcinatio non potest fieri igne forti, sicut sophistæ credunt, sed ipsa fit per proprium spiritum suum, qui custodit eam à crematione quia suus spiritus animam à suo corpore trahit, & repellit phlegma suum superfluum, & terram mortificat, & posteà eam vivificat. Ergo nunc calcina terram prædictam sub ista forma. ℞. Secundam aquam destillatam (*aquam ardentem phlegmate permixtam*) & funde eam super terram nigram (*picem*) in vase suo, & misce bene, quousque sit disso-

dissoluta, quia terra statim dissolvitur. Postea desuper pone alembicum & luta bene, & destilla spiritum cum uno lichnio, ut prædixi, donec videbis venas, tunc iterum separa Receptorium alembici cum spiritibus, & pone ad partem, & appone aliud receptaculum, & destilla ulteriùs, videndo, si adhuc ibi sint spiritus; sin minùs, tunc aqua, quæ destillatur, habet saporem, sicut aqua communis fontalis calida, quam effunde iterum, quia talis aqua phlegmatica est, quæ adducit mortem nostro lapidi. Et post totam destillationem accipe vas cum tota materia, quam tunc invenies magis duram, quàm priùs, & hæc est ratio, quia ille spiritus attraxit sibi animam aëream de suo corpore, eò quòd ipse est locus, in quo anima continetur. Illam operationem reitera toties, donec videas materiam tuam calcinatam in fundo instar pulveris nigri, vel etiam tamdiu, quousque videas nullum ampliùs præstare phlegma, ita ut ultima aqua sit tantæ virtutis, fortitudinis, odoris & saporis, sicut prima. Et non ignores, quòd in tertia destillatione illos duos spiritus (*malè & bene rectificatos*) misceas simul super terram suam, tamdiu, quousque terra & spiritus habebunt illa signa supradicta, nempe terra sit calcinata, & spiritus nullum faciunt phlegma. Posteâ ℞. Terram & cum ea quartam partem ponderis sui de spiritu, & pone ad vas tuum, quod nos appellamus Retentorium, & loca ad furnum continuando ignem lentum tamdiu, donec spiritus omninò coaguletur in terra. Scias, fili, quòd corpus, quod mortuum fuit, illud inducit se albis vestimentis, sicut, si Deus voluerit, videbis, quando prædicta experimentabis. Fili, istud reiterabis cum novo spiritu tamdiu, donec videas terram totaliter albam ad modum nivis. Et tunc terra est ingrossata & impregnata cum æterna claritate, quæ infantem pariet, secundùm istum modum. Quando terra fuerit verè alba, tunc fili extrahe eam ex suo vase, & tere eam, ut fiat pulvis minutissimus, & hoc fac super laminam vitream, posteà iterum imponatur vasi, lutando ejus juncturas bene, & ponatur super furnellum, & accendatur ignis, continuando per triginta horas, & invenies in angulis & parietibus vasis Infantem nostrum, natum, & resuscitatum per modum pulveris albissimi pulcherrimi, & in tali claritate sicut corpus lunæ. Custodi ergò illum valdè honoratum, quia ipsa est

Terra

Terra nostra foliata, & dicitur spiritus corporum sublimatorum, conversus in Terram foliatam, in eandem semina animam, &c.

Aliquando impræguaverunt Terram hanc nullo observato pondere. Ita fit

Sal harmoniacum vegetabile aliud Lullii,

In Luce Mercuriorum.

℞. V*Inum rubeum vel album*, pone illud in putrefactione in Balneo ad minùs viginti diebus, ut partes ejus disgregentur, & meliùs possint separari. Posteà per destillationem Balnei extrahas aquam ardentem lentissimo igne; quam toties pone in rectificatione, donec nihil maneat de phlegmate. Deinde per destillationem extrahas phlegma per ignem cineris, donec in fundo vasis remaneat tibi quædam materia ad modum picis liquidæ, & dictum phlegma ponas ad partem. Deinde recipe dictam materiam, & superfunde ei de phlegmate tantum, quantum supernatet ei quatuor digitis, & pone per duos dies in Balneo, posteà per unum diem in igne cinerum, ut bulliat leniter, & invenies phlegma multum coloratum, quod per evacuationem in alio vase ponas. Cum novo phlegmate iterum per duos dies ponatur in balneo, & per unum diem in cineribus, deinde per evacuationem in alio vase ponas. Et sic procedas donec phlegma ampliùs non coloretur. Et si deficeret phlegma, tunc recipias phlegma coloratum, & per destillationem extrahas dimidiam vel tertiam partem ejus per balneum, & cum illo operare, ut suprà. Cùm verò illud phlegma non ampliùs coloratur, tunc remanebit tibi in fundo vasis terra quasi alba, & phlegma oleum totum secum attraxit. Si tu velis hæc ab invicem separare, pone in destillationem balnei, tunc phlegma solum ascendit, & oleum remanebit in fundo vasis rubicundissimum. ℞. Hanc terram & superfunde eidem de Mercurio (*vegetabili*, *sive aqua ardente*) ut supernatet duos digitos, & pone in ignem cinerum per unum diem na-

naturalem, ut bulliat leniter, posteà extrahes (*destilles*) ipsam terram per ignem cinerum, ut suprà, & ponas ad partem. Et de alia aqua ardenti affunde dictæ terræ, ut supernatet per duos digitos, & pone in cineribus per unum diem naturalem, deinde extrahe ipsum per destillationem cinerum, ut suprà. Et sic procede, donec nihil ampliùs de spiritu (*anima alibi dicto*) remansit in terra, sed totum transiverit cum aqua ardenti, quod cognoscere poteris, cum terra remanserit in pulvere impalpabilissimo, & ponendo eam super laminam ignitam non dabit fumum, erit signum, quòd sit sine spiritu (*anima*) Quam terram posteà ponas in digestionem in tripode athanoris, & ibi stet per decem dies continuato igne. Posteà R. de aqua ardente in qua est spiritus (*anima*) & superpone dictæ terræ, ut supernatet per unum digitum, & pone in tripode athanoris per unum diem naturalem. Posteà pone in Balneo, & per destillationem extrahas aquam ardentem sine spiritu (*anima*) quia spiritus remanet in terra, deinde desuper ponas de alia aqua ardenti, & sic reiterabis toties, donec terra biberit totum spiritum suum, quod cognosces ponendo terram super laminam ignitam, quia pro majore parte ibit in fumum. Quam terram per sex dies naturales in tripode digere, posteà pones in cineres augmentando ignem, donec per sublimationem oriatur mercurius vegetabilis ad latera vasis, & in fundo remanet *terra damnata*, quæ non intrat in opus nostrum. Quem mercurium citò collige, & dum est recens, post ejus ortum, eum in mixtionem pones cum aqua sua per duos dies, & fit aqua, quæ habet dissolvere omnia metalla sub conservatione suæ formæ, quam aquam nos vocamus *menstruum vegetabile.*

Eodem modo quo fiunt salia harmoniaca vegetabilia, conficiuntur etiam salia harmoniaca animalia. Ita fit

Sal harmoniacum animale Lullii,

In Testam. Novissimo.

FIli, est alius modus hujus sulphuris naturæ, scilicet animalis, in qua est subtilissima scientia, sicut in vegetabilibus, quod facies per modum quem te docebimus; & fili modus est,

ut accipias urinam juvenum bonæ complexionis, & ponas in vase vitreo per quadraginta dies, donec putrefacta sit. Posteà accipe cucurbitam, & superposito alembico in balneo per spatium quadraginta horarum, destillabis aquam claram, & remanebit in terra spiritus (*in pice anima;*) exsicca bene lutum, & aquam septies rectificabis, & sal album (*volatile*) quod fecerit in qualibet destillatione collige cautè, ne aerem sentiat, & pone in aqua (*spiritu*) sua. Posteà terram & aquam (*picem & spiritum*) simul in balneo pone, vel fimo, per quatuor dies, posteà in eodem balneo destilla, & pone iterum super terram, digere & destilla iterum, ut priùs, quatuor diebus. Tunc recipe aquam per se, & pone in fimo per duos dies naturales, & in balneo destilla, & iterum in fimo putrefacias, & continua hoc regimen quinque vicibus. Tunc aqua (*spiritus*) est optimè rectificata & limpida. Completo isto opere, redde aquam super terram (*picem*) & dimitte in fimo, posteà in balneo destilla, & exsicca terram, & deposito alembico & posito alio operculo sublima per 24 horas naturæ sulphur animale. Tunc collige illud, & super terram, quæ remansit, superfundas aquam suam (*animatam*) & pone in fimo, & destilla in B. exsicca, & sublima, ut priùs, reiterando donec totum sulphur sit sublimatum. Fili, diximus tibi cum revelatione omnem modum sciendi vegetabilia sulphura nostra & etiam sulphur animale cum declaratione totius magisterii. Nunc cum auxilio Dei elucidamus tibi, quòd una est via & modus in animali & in vegetabili nihil variando.

Receptum hoc cùm minus clarum sit, nullà factà mentione spiritùs vini phil. sine quo tamen nullius esset valoris, ideò addam Experimentum sextum de animali rationali, *ubi sic:* Maxima sanè & incomprehensibilia summus ille Deus nobis munera largitus est; quæ agnoscentes diu noctúque cum toto corde amare, colere, & admirari debemus, ejúsque nomen pro viribus ubique extollere. Nam, ut omittam, quòd nos ex nihilo creaverit, & suo sanguine pretiosissimo redemerit: Hoc alterum est, quòd hominem participem reddiderit dotibus omnibus, quæ in majori mundo continentur, hácque de causa microcosmus dicitur. Siquidem nobis divino numine revelatum est, ipsi homini inesse virtutes omnes tam animales & vegetabiles, quàm minerales. Ac hoc ipsum verum esse, hoc mirabili experimento comprobabimus.

℞. Uri-

℞. **Urinam puerorum**, qui ab octavo anno in duodecimum & ultrà non evadant, quam urinam ex ipsis pueris manè ex lecto surgentibus collige, cujus magnam quantitatem te habere oportet, quæ vase vitreo putrefacienda est quamoptimè, occluso vase ne respiret, cujus vasis duæ partes debent esse plenæ, reliquæ vacuæ, atque hoc pacto intra fimum equinum collocari debet ad putrefaciendum, quousque ipsa urina nigrescat, quod intra quadraginta vel quinquaginta dies contingere solet. Sed ut ipsa urina brevioris temporis spatio putrescat & nigrescat, hoc secreto habuimus & vero experimento comprobavimus, immiscendo & conjungendo cum prædicta urina, cyathum aquæ vitæ (*philos.*) quæ sit priùs rectificata quamoptimè, atque hoc putrefactionem accelerabit. Factâ putrefactione constitue urinam in urinali, (*cucurbita*) cum alembico & recipiente optimè clausis, cujus vasis duæ partes sint plenæ, tertia verò vacua, atque in balneo lento igne destillabis ex tribus partibus unam, vel quamdiu in capello procreet venas. Quibus venis elapsis & evanescentibus, recipientem remove, & occlusum optimè cum aqua destillata conservabis, quæ est ejus mercurius (*spiritus*) in loco frigido quantum poteris: Deinde destillationem continuabis augendo ignem, & destillabitur ejus phlegma, quod vehementiorem ignem exigit, ut alembicum exire possit; atque hoc modo continuabis destillationem, quousque corpus appareat ad similitudinem mellis vel picis fusæ; tum sine vas frigescere, & phlegma, quod destillabit, servabis. Posteà accipe primum mercurium seu primum spiritum, quem in principio destillasti, quem rectificabis hoc modo: Pone igitur illum in bociam magnam, cujus altitudo sit unius brachii & medii, posteà in collo bociæ immitte licinium (*lichniam*) bombacis tantùm, quantum sufficit ad occludendum os ipsius bociæ, quod licinium sit priùs madefactum oleo, & expressum, & filo canabaceo ligatum; ut ex collo ipsius bociæ ipsum, quandocunque volueris, poteris extrahere, nec intrà bociam valeat decidere. Appone demum bociæ alembicum cum recipiente, juncturis optimè clausis, cum flore farinæ & lineis fasciolis illitis, hoc est impastatis ipso bitumine farinæ ad collum bociæ firmiter alligatis, ne vasa respirent. Quo bitumine (*luto chymico*) desiccato, constitue bociam ad ignem balnei leniter ferventis, & materia sublima-

bitur in pretiosissimum salem. Hoc tamen adverte fili, ut rostrum alembici sit amplum & patens, ne sal ex cucurbita emergens ac sublimans obstruat os rostri ipsius alembici, cùm in recipientem emanebit, quod si fieret, rumperentur vasa, ut anteà quoque nobis accidit, cum hoc experimentum ad practicam contulimus. Cùm totum salem videris per destillationem transactum, remanebit in bocia quædam aqua phlegmatica, quam projice, quia nihil valet. Salem autem transactum cum cautela evacuabis, ac vase vitreo servabis quam optimè occlusum, quod sal erit volatile, & eo utemur ad corporum dissolutionem vel ad compositionem medicinarum. Est etiam alius modus prædictum spiritum sive mercurium animalem rectificandi sive purgandi. Accipe ergo illum animalem spiritum, ac destilla per balneum, & transacta medietate liquoris, remove recipientem, & quod in vase remanet projicito. Quod autem destillatum est, iterum destillabis, ex eo accipiens duas partes, quod in vase remanet iterum, ut suprà, projicito. Tertiò verò, quod transactum est, destillabis; & ex eo recipias paulò minùs totum, atque hoc modo spiritum sive mercurium animalem rectificatum perfectè habebis; quo poteris exanimare suam terram, quæ superiùs tibi mansit in similitudinem picis fusæ. Accipe ergo picem illam fusam, sive magis terram fusam, ac illi superinfunde tantum de prædicto spiritu animali, ut supernatet quatuor digitis, claude vas cum suo antenotorio, cum cera gummata, ne respiret. Posteà vas ipsum sive urinale concutias quamoptimè, ut spiritus incorporetur, & terra meliùs conjuncta spiritui dissolvatur, pone in putrefactione per duos dies naturales, deinde amoto antenotorio, & cum celeritate superimposito alembico cum recipiente, juncturis bene clausis ne respiret, destillabis per cineres. Cave tibi à fumo, cum vas aperueris, sunt enim potentissimi. Transacto igitur per destillationem toto spiritu, ignem augebis, ut anima imprimatur in aquam destillatam, ac denique iterum ita gradatim ignem augebis, quousque sublimetur alius sal sive sulphur. Cùm non ampliùs sublimabit, frigefacto vase collige sublimationem, quam cum spiritu animato collocabis nuper destillato. Posteà materiam duram & crematam remanentem in vase extrahe, & triturabis, & iterum illi, ut suprà de novo spiritu infunde, & clauso vase cum suo antenotorio iterum,

ut

ut ſuprà, putrefacias, amotóque antenotorio, & ſuprapoſito alembico cum recipiente firmiter occluſo, per cineres deſtillabis ſpiritum animatum. Quo tranſacto, iterum, ut ſuprà, in fine augebis ignem, ut aliqua pars olei tranſmittatur, atque alia pars ſulphuris ſublimetur. Cùm autem videris nihil ultra deſtillari, nec quicquam ſublimari, ſinito vas frigefieri, & animatum ſpiritum nuper deſtillatum cum altero prius deſtillato conſervabis. Sic etiam, ſi qua pars ſalis per ſublimationem aſcenderit, eam cum prædicto ſpiritu ſimul miſceto, ut ſuprà, & clauſo firmiter vaſe hæc omnia conſervabis. Tunc iterum ſuper terram de novo ſpiritu ſuperinfunde, ut ſupernatet tribus digitis, & annexo antenotorio, ut ſuprà putrefacias, ac demum per cineres, ut ſuprà deſtillabis. Cùm autem ampliùs nihil deſtillabit, ignem adjunctis lignis augebis, quantum poſſibile fuerit, ut terra ipſa calcinetur, ac in hac tertia operatione convertatur in beretinum ſive cineritium colorem. Mox frigefacto vaſe & amoto recipiente cum ſpiritu animato, cum reliquo ſpiritu animato conſervabis: Terram verò pone in vas fictile ſive cretaceum, quod ſit ſolidum ac ſufferre ignem poſſit, quod claude cum ſuo capello, ſubminiſtrans ei vehementem ignem, quantum fieri poſſit de lignis, atque ita per duos dies continuabis, tunc per id temporis ſpatium terram calcinaveris frigefacto deinde vaſe, extrahe dictam terram, quæ erit alba propemodùm vel beretini coloris clari & nitidi; ſupra quam infunde tantum de ſuo phlegmate, ut ſupernatet quatuor digitis, ac in cineribus ſinas fervere per quatuor horas, ac poſteà decantabis liquorem cautè in aliud vas, ac ſerva. Remanentem terram deſiccabis, atque illi infunde iterum de novo phlegmate, ut ſuprà, fac poſteà bullire ut ſuprà, mox decantabis, ut ſuprà, ac terram deſiccabis, ita magiſterium reiterabis, donec tota terra diſſoluta fuerit; vel tota ejus pars in illud phlegma imprimatur, quod fortè accidet terna vel quaterna diſſolutione. Si quid inſolutum permanſerit, projicito; eſt enim terra inanis. Quæ autem cum phlegmate tranſacta fuerit, eam tranſmitte per filtrum, poſtea iterum per pannum lineum ſubtiliſſimum tranſire facias; quo facto, diſſolutionem in igne cinerum lentiſſimo congelabis in urinali vitreo: Cui ſuppoſitus ſit alembicus cum ſuo recipiente. Quo congelato iterum diſſolve in eadem aqua nuper deſtillata per filtrum,

poſteà

posteà per pannum iterum transmittas, postremò congelabis, ut suprà. Hoc autem magisterium toties reiterabis, donec in filtro, nullam amplius terrestreitatem emittet. Tunc servato *salem nostrum armoniacum physicum*, *sulphur animale nostrum*, *mercurium animalem fixum nostrum*, de quo paululùm quid super laminam igneam colloca, & si fluat tanquam cera sine fumo, signum est, te habere argentum vivum fixum ac perfectè depuratum, cum quo plurima experimenta haurire poteris. Hic est ille mercurius, qui aptissimum nobis subsidium præbuit, ut in inferioribus experimentis comprobabitur.

Terræ huic exanimatæ redde spiritum animatum variis imbibitionibus, per modos descriptos in salium harmoniacorum vegetabilium præparationibus, quoniam unam esse viam & modum in animali & in vegetabili, nihil variando, dixit Lullius. *Cùm verò horum salium confectiones satis tædiosæ sint, pro coronide addemus Lullii modum accurtationis.*

Sal harmoniacum vegetabile per accurtationem Lullii,

In Testam. Noviss.

FIli cum Dei adjutorio illud sulphur (*naturæ*) potest mirabiliter accurtari, & modus talis est. Ut accipias picem nostram liquidam (*post abstractionem phlegmatis relictam*) & illam pone in cucurbita, in igne tertii gradus, & extrahes oleum, quousque sicca remaneat terra & combusta. Fili calcina, ut te docui, & depura terram, & sic separa sal ab ea, & super illam da quartam partem spiritus, qui est in secunda aqua (*jam ex pice destillatà*) & digere, ut suprà, abstrahendo posteà humiditatem (*superfluam, insipidam & rejiciendam*) iteratò da quartam partem, digere & exsicca, ut priùs, quousque terra sit prægnans. Signum erit quod amplius nihil destillabit (*phlegmatis vel humiditatis prædictæ*) sublima, & habebis vegetabile sulphur mundum & purum, & ejusdem virtutis cum primo, fili cum Dei timore monco, ne hoc excellentissimum accurtamentum alicui reveles.

Pari-

Parisinus in sua confectione salis harmoniaci vegetabilis oleum è pice Vini phil. extractum, superfluum & alienum esse dixit: Separa, *inquit*, omnes unctuositates superfluas, quæ perfecta & pretiosa elementa, in ista materia vegetabili permixta & latentia, comburunt, & ab ista compositione sunt alienæ. *Et paulò post:* Post separationem unctuositatis & substantiæ aëreæ superfluæ, quæ cætera hujus compositionis elementa pretiosa denigrat & comburit, suum spiritum ardentem & cœlestem ipsi affundes.

Imò ipse Lullius in antecedentibus oleum istud, ut & Vini hujus phlegma, in opere præsenti nullius esse valoris pronunciavit; nihilominus in hac salis harmoniaci accurtatione, non solummodò usus est oleo dicto, & quidem, (quod mireris) pro laboris tædiosissimi abbreviatione, sal harmoniacum autem ita confectum, ejusdem virtutis cum cæteris esse prædicat. Aliquando pro præsenti accurtatione unà cum oleo etiam aqua vel spiritu animato usus fuit sic:

Sal harmoniacum vegetabile aliud per accurtationem Lullii,

Libro de materia vegetabili in practica septima.

℞. *Vinum optimum rubrum*, destilla secundùm artem spiritum ardentem, ita ut comburat gossypium, posteà phlegma. Super materiam restantem in fundo alembici, crassam instar picis fusæ, affunde phlegma ad dimidii pedis superemineniam, bulliat per tres horas, decanta phlegma tinctum, aliud superaffunde, repetendo toties, usque non ampliùs tingatur. Si phlegma tuum non sufficeret, oportet, ut in balneo abstrahas phlegmata tincta; quibus evaporatis remanebit in fundo vitri oleum vegetabile. Tincturâ phlegmate extractâ, materia remanebit instar terræ siccæ, super hanc terram siccam funde de spiritu ardente ad quatuor digitorum supereminentiam, bulliat per duas horas, quod interea destillaverit reaffunde terræ, subsidat per duas horas, tum decanta spiritum animatum à spiritu vel anima terræ. Super terram funde novum spiritum facien-

faciendo, ut suprà, tribus vicibus. Terram nigram & calcinatam pone in vitro longi colli, cui affunde oleum vegetabile (*supradictum*) digere in cineribus per decem dies, quòd posteà decanta, & pone in alembico, cui adde quartam partem spiritus ardentis animati, digere in balneo vaporoso per 24 horas, tum superaddere continua singulis 24 horis reliquas tres partes spiritûs animati. Tum leniter destilla ex cineribus humiditatem superfluam, insipidam & inutilem, & augmentando ignem per gradus sublimabis sal volatile, &c.

Hactenùs de variis præparationibus salium harmoniacorum vegetabilium; jam persequemur Cœli vinosi alteram partem, videlicet variam horum salium reductionem in liquidam substantiam. Adepti utplurimùm salis harmoniaci veget. partem unam destillârunt per alembicum cum partibus tribus aquæ ardentis, cui liquori iterum addidêre salis prædicti partem, & destillavêre, idque repetierunt tertiùm aliquando quartùm, ita ut salis & Aquæ pondera sint æqualia, nam quò major salis ejusdem quantitas est, eò menstrui qualitas est fortior. Tandem menstruum circulavêre, ut inde evaderet purius & excellentius. Quamvis autem methodus hæc adeptis magis consueta fuerit, nihilominùs illorum vel curiositas vel sedulitas etiam alios adinvenit modos, ita loco aquæ ardentis, quâ præparârunt tam sal harmoniacum veg. quàm menstruum, aliquando receperunt aquam ardentem circulatam sive Cœlum vel Essentiam Vini phil. sub No. 1. *descriptam. Ita sit*

31. Cœlum vegetabile circulatum Lullii,

Lib. de materia vegetabili in practica quinta.

℞. V*Inum optimum album*, destilla spiritum ardentem usque comburat gossypium: Pone spiritum hunc in circulatorio duarum tertiarum vacuo, muni orificium cerâ, & sepeli in fimo calido, ita ut orificium sit inferiùs, & vitri fundus superius, ita circuletur & digeratur hic spiritus per 45 dies, vel eo usque donec magis subtile & clarum supernatet (*in forma*

ma olei, vide Cœlum vel Essentiam Vini phil. sub No. 1.) signo hoc viso, vitrum exime cautè, & acu perfora ceram, ut impurum effluat, tum subitò inverte circulatorium, ut purum vel magis subtile remaneat, quod appellamus *spiritum ardentem circulatum*, qui est suavissimi odoris. Jam recipe reliquum, de quo spiritus vini fuerit abstractus, & destilla phlegma. Et super materiam remanentem instar picis fusæ affunde phlegma dictum, ut supernatet per quatuor digitos, digere per duos dies in balneo, decanta phlegma tinctum, & aliud affunde, idque toties reitera, donec phlegma non ampliùs tingatur, quod est inutile in hac operatione. Terram jam calcina in Reverberatorio, & pulverisa, & impone alembico, & imbibe octava parte spiritûs ardentis circulati, digere in balneo per duos dies, & destilla ex cineribus humiditatem quandam superfluam. Continua hanc imbibitionem, digestionem, & destillationem, donec terra fuerit imprægnata spiritu sicco, qui erat in spiritu ardenti circulato, cujus erit signum, si ferè totum evaporabitur, cum parùm ejus fuerit projectum super laminam ignitam. Hanc terram imprægnatam in sublimatorio positam sublima secundùm artem in sal volatile, quod in balneo digere per duos dies, & ampliùs cum partibus sex spiritûs ardentis circulati, decanta leniter dissolutionem, & si quid restet indissolutum, cum hoc procede ut suprà. Hanc dissolutionem circulabis per 30 dies, & erit quinta Essentia comparanda in virtute cum Auro potabili veterum.

Quemadmodum juxta ponderis varietatem menstrua hæc vel debiliora fiunt vel fortiora; ita etiam magis vel minùs pura evadunt ex longiori vel breviori vel omninò neglectà circulatione, sunt etenim quædam hujus generis menstrua, quæ non circulavêre Adepti; pro exemplo erunt sequentia.

32. Menstruum vegetabile minus Lullii,

In libr. de materia vegetabili in practica prima.

℞. VInum optimum, (*rubrum* melius est) ejus libras duas cum alembico cæco; juncturis bene lutatis, pone in balneo, ad leniter putrefaciendum per 45 dies. Tunc appo-

 sito

ſito alembico augmenta calorem, ut deſtilletur ſpiritus ardens, quem ter rectifica per ſe, vel toties uſque quo ſit abſque omni phlegmate & comburat goſſypium, ſerva ſpiritum hunc ardentem bene clauſum in loco frigido. Accipe materiam remanentem in deſtillatione prima, & abſtrahe phlegma donec remaneat craſſa inſtar picis fuſæ, ſuper quam funde ſpiritûs ardentis tantum, ut ſupernatet per ſpatium quatuor digitorum, digere per tres dies in balneo, poſtea leniter deſtilla ex cineribus per tres dies, & medio ignis fortioris ſpiritus ardens tranſportabit ſecum animam, quod peragere non potuit in balneo; ſerva deſtillatum. Remanenti materiæ affunde novum ſpiritum, faciendo toties, donec tota anima fuerit tranſacta, quod cognoſces, ſi projiciendo parùm hujus materiæ ſuper laminam ignitam, nullum emittat fumum, quoniam materia jam deſpoliata eſt animâ ſuâ, quam nos appellamus *terram ſiccam*; Quam imbibe octavâ parte ſpiritûs ardentis animati, digere per tres dies in balneo, poſteà deſtilla leniter ex cineribus humiditatem ſuperfluam, inſtar aquæ communis inſipidam. Perage ſecundam imbibitionem cum ſeptima parte, & ſic continua faciendo, ut ſuprà, donec terra gravior ſit facta in quarta parte ſui ponderis, & erit diſpoſita, ut redigatur in ſal volatile per modum ſublimationis. Terram itaque hanc bene pulveriſatam pone in ſublimatorio adminiſtrando ignem ſecundùm artem, & quod invenies ſublimatum, album ad modum nivis, eſt ſal volatile, quod ſervabis in vitro bene clauſo. Accipe hujus ſalis volatilis partem unam, ſpiritûs ardentis partes ſex, digere in cineribus, & diſſolutio eſt quinta Eſſentia vegetabilis apta ad diſſolvendum corpora perfecta ſolis & lunæ; ad conficiendum Elixir, & alia medicamina pretioſa & benigna.

Sal harmoniacum vegetabile aquâ ardenti diſſolutum (pars ejus una ſalis in ſex ſpiritûs) componit præſens menſtruum; ſequens autem præparatur ex ſale harmoniaco, reſoluto per deliquium.

33. Men-

33. Menſtruum vegetabile per deliquium Lullii,

Lib. de materia vegetabili in practica ſecunda.

℞. V*Inum album* optimum, quod putrefac in balneo per 20 dies vel diutiùs, poſteà deſtilla ſpiritum ardentem ſecundùm artem uſque dum comburat goſſypium; abſtrahe deinde phlegma uſque remaneat in fundo alembici materia ſpiſſa inſtar picis fuſæ. Cui materiæ ſuperfunde tantum phlegmatis, ut ſupernatet per quatuor digitorum ſpatium, digere in balneo per duos dies, & in cineribus per unum diem; decanta phlegma tinctum; materiæ affunde novum phlegma, faciendo ut ſuprà, donec non ampliùs tingatur, & materia remaneat in fundo vaſis inſtar terræ albæ. Super hanc terram funde ſpiritum ardentem ad duorum digitorum eminentiam, digere per diem in cineribus, & anima, quæ in terra eſt intrabit ſpiritum ardentem, decanta ſpiritum ardentem animatum: Affunde iterum ſuper terram de ſpiritu ardente, faciendo id toties, ut ſuprà, donec ſpiritus non ampliùs extrahat animam, & terra remaneat in forma pulveris ſubtiliſſimi, deſpoliata totâ animâ ſuâ, quod cognoſces, ſi non ſumet ſuper laminam ignitam. Terram hanc digere per decem dies in balneo, poſteà pone in balneo, & affunde tantum phlegmatis tincti, ut ſupernatet per duos digitos, deſtilla in balneo, deſtillatum tanquam inutile quid abjice, tum rurſus affunde phlegma tinctum ſuper terram, reiterando ut anteà uſque dum nullum phlegma ſuperſit, & terra impræ̃gnata ſit omni tinctura, quæ erat in phlegmate. Facto hoc, imbibe terram ſpiritu ardenti animato, digere calore leni in balneo, uſque dum terra bene fuerit exſiccata, poſteà imbibe iterum & toties, ut anteà, donec ſpiritus ardens animatus fuerit à terra abſorptus, eáque volatilis facta, quod cognoſces, ſi parum ejus projectum ſuper laminam ignitam pro majori parte effumaverit. Poſteà pone materiam hanc in ſublimatorio, & ſublima igne ſublimationis, & ſublimatum eſt ſal volatile materiæ vegetabilis. Pone ſal iſtud volatile in phiala, digere in

balneo per diem, & reducetur in aquam, quam appellamus *menſtruum vegetabile*, quod eſt diſſolvens mirandum pro diſſolutione radicali duorum luminarium.

Aliquando menſtrua hæc confecêre adepti non ex ſale harmoniaco vegetabili, ſed ſequenti modo.

34. Mercurius vegetabilis Lullii,

Lib. de materia vegetabili in practica ſexta.

℞. V*Inum optimum odoriferum*, pone in circulatorio ſatis amplo, claude optimè cum ſulphure fuſo dictum vas, & putrefac in balneo per 12 vel 15 dies. Poſteà deſtilla ſpiritum & phlegma ſecundùm artem, uſque donec ſpiritus comburat goſſypium; ſuper materiam remanentem inſtar picis fuſæ funde partes ſex phlegmatis, digere per duos dies, in cineribus, agitando vas aliquando, decanta phlegma tinctum, aliud affunde, & faciendo ut ſuprà donec extraxerit omnem tincturam, & terra nigra remaneat in fundo alembici. Pone phlegma tinctum in alembico, & deſtilla in balneo, & quod remanebit in fundo vaſis, erit oleum vegetabile. Supra terram nigram autem funde ſpiritum ardentem ad ſupereminentiam quatuor digitorum, deſtilla ex cineribus, & deſtillatum erit ſpiritus ardens imprægnatus; materiæ affunde novum ſpiritum ardentem, reiterando ut anteà tribus vicibus, at in ultimâ augmentando ignem circa finem. Calcina terram igne reverberationis in albedinem, ex qua ſal fixum extrahe cum parùm phlegmatis. Sal fixum pulveriſatum pone in alembico, affunde ſpiritum ardentem animatum ad duos digitos, deſtilla leniter in balneo humiditatem inſipidam & inutilem, reitera ut antea uſque dum ſpiritus animatus aſcendat abſque ſuæ virtutis diminutione, & tum habebis ſal fixum acuatum, quod pone in alembico, & affunde oleum vegetabile ad trium digitorum ſupereminentiam, digere in cineribus per diem, augmenta ignem & deſtilla quicquid aſcendere poterit, deſtillatum ſerva cautè, quoniam eſt *mercurius vegetabilis*. Si verò quid reſtet de ſale in alembico, eaſdem repetere operationes oportet, uſque tandem omnis mercurius vegetabilis tranſeat per alembicum, qui extrahet tincturam

Auri

Auri calcinati cum mercurio vulgi & sale, & tandem cum sulphure, quæ est excellens quoddam Aurum potabile.

Aliquando sola cohobatione (absque omni imbibitione) hæc præparavêre menstrua; sit pro Exemplo

35. Aqua vitæ rectificata Lullii,

In Potestate Divitiarum.

℞. V*inum*, separa spiritum cautè, quantò citiùs & puriùs poteris, quia nunquam ita cautè ipsum separabis, quin aliquam in se partem contineat purioris substantiæ phlegmaticæ, id est, aqueitatis. Iste spiritus semel separatus vocatur *Mercurius*, id est, aqua ardens, cujus signum est, quod si intinxeris in eo pannum lineum, inflammabitur (*si accendatur priùs*) & non comburetur, si verò pluries separaveris (*rectificaveris*) vocatur *Lunaria rectificata* id est, aqua ardens rectificata, cujus signum est, quod pannus lineus tinctus in ea totaliter comburatur. Separa jam totum phlegma superfluum, donec nihil penitùs remaneat, & remanebit inferiùs pix in olla. Tunc Lunariam, id est aquam ardentem rectificatam commisce cum illa substantia, facta sicut pix mollis, bene movendo donec incorporetur, & pone ad destillandum, & quod egreditur, vocatur *sanguis humanus rectificatus*, quem quærunt Alchymistæ; item vocatur iste sanguis *Aër* vel *Ventus*, & de hac re loquutus est Philosophus cum dixit: Portavit illum Ventus in ventre suo. A residuo, destillando separa oleum superfluum (*vegetabile superiùs dictum*) per alembicum vitreum, donec nihil remaneat, quod oleum ad partem serva, quousque tibi dixero. Residuum verò erit substantia nigra & sicca, quam pulverisa subtiliter, & cum sanguine humano rectificato misce per minima, & dimitte stare simul per spatium trium horarum, & posteà destilla, & tunc hæc aqua vocatur *Aqua ignea rectificata*. Tunc caput mortuum calcina in furno reverberationis, donec efficiatur sicut calx, & calcem hanc misce cum aqua ignea rectificata, & destilla septem vicibus, & tunc vocatur *Aqua vitæ rectificata*.

Idem menstruum habent Paracelsus libro de Elixire Vitæ, &

Au-

Author Appendicis Volum. tertii Theat. Chym. *Menstrua hæc à supradictis ex sale harmoniaco confectis non differunt nisi præparatione, in illis tota terra vini phil. spiritu proprio redigitur in liquidam substantiam, quâ idem perficitur opus, sed alio modo. Huc referri debet menstruum Guidonis, quod ita componitur.*

36. Circulatum minus Guidonis,

In Thesauro chymiatrico.

℞. SPiritûs vini (*phil.*) libram unam, salis vini (*ejusdem*) uncias quatuor, misce, juncturis bene clausis destilla per alembicum in balneo, destillatum reaffunde & cohoba quater, & erit præparatum. *Lullius salia sua harmoniaca cum difficultate quadam redigit in liquidam substantiam, at Guido sal vini phil. quatuor cohobationibus destillat in idem menstruum. Abbreviationis causa quærenda est in præparatione istius salis; quæ duplex est, communis vel secreta: De communi ita Guido;* Destillato vini spiritu ardente, abstrahe phlegma, donec materia in mellis tenuioris substantia remaneat, quæ in cella frigida dabit cristallos, nitro similes, quæ dicuntur sal vini, quas exime & serva, residuum evapora parumper, & accipies plures, &c.

De secreta autem hujus salis confectione ipse etiam Guido pag. 8. Thes. ℞. Salis vini & spiritus vini ana uncias quatuor, digere per octo vel decem dies, abstrahe leniter in balneo, & ascendet tantùm phlegma, & habebis salis Vini uncias sex, cui sali iterum adde ana spiritûs sui, iterúmque digere per decem dies, & abstrahe phlegma, sali remanenti affunde novum spiritum, & procede ut suprà, & ita augmentabis sal vini juxtà placitum. *Hæc posterior salis Vini confectio, non solummodò sui ipsius multiplicatio est, & tam quantitatis, quàm qualitatis additio, sed insuper etiam est sui ipsius volatilisatio. Non mirum ergò est, quod sal, cujus medietas erat vini phil. spiritus, tam facilè ascendat cum eodem spiritu. Observandum est tamen quam maximè, ne nimia unctuositatis additione nimium temperemus salis vini ariditatem, & loco menstrui hujus generis conficiamus debilius aliquod secundi generis.*

Quod

Quod de menſtruis vegetabilibus dictum, hoc itidem intelligendum eſt de menſtruis animalibus. Pro exemplo dabimus,

37. Cœlum animale Pariſini,

In Apertorio.

℞. URinam puerorum, qui ſint inter octavum & duodecimum annum, bonæ diſpoſitionis & valetudinis, quam collige bonam & in bona quantitate, & pone in pluribus vaſis vitreis, quæ adimplere ultrà duas tertias non debes, ut eò melius poſſit circulari. Singulis decem menſuris urinæ admiſce C. noſtri (*aquæ ardentis phil. menſuram ſemis*) quod ſit abſque omni phlegmate, vaſa optimè cerà ſigillata pone ad putrefaciendum per 15 dies, & tum materiam invenies nigram & à ſua terreſtreitate ſeparatam. Et ſcias, quò longiùs remaneat in putrefactione, eò perfectiùs fit opus. Singulis quinque diebus mutandus eſt fimus. Tum effunde in vas, quod deſcripſimus in opere vegetabili, & deſtilla juncturis bene lutatis, uſque videas ſignum, de quo loquuti ſuimus in cap. B. ſed pro certiori ſigno deſtillabis tantummodò duas partes, tum amoto recipiente appone aliud, & continua deſtillationem, uſque dum remaneat inſtar ſyrupi vel picis fuſæ. Tum accipe has duas partes reſervatas, & deſtilla ex eodem balneo, recipiens tres partes ex quatuor, relictam quartam abjice. Ex his tribus verò deſtilla medietatem, & iterum deſtilla ex hujus medietatis quatuor partibus tres partes, quas bis deſtilla per ſe, & ſic habebis florem tuum rectificatum quo extrahimus Acetum acerrimum ex propria terra. Accipe ergo hanc terram in forma ſyrupi exiſtentem, cui affunde florem, (*ſpiritum*) ad trium digitorum eminentiam, claude vas alembico cæco & luta juncturas cum cera gummata, pone in putrefactione per tres dies naturales, oportet interdum commovere materiam in vaſe lutato, ut partes ſalinæ eò meliùs diſſolvantur. Poſteà depone alembicum cæcum, & appone alembicum commune, verùm in hac mutatione caveas, ne ſalium acredo noceat oculis tuis. Tum deſtilla leniter in cineribus & quum tali calore extraxeris to-

toram aquam, adauge ignem, ut oleum vel anima ejus ascendat etiam unà cum aqua destillata, cujus pars sublimabitur, pars altera instar pulveris albi adherebit superficiei terræ: Sine frigescere, sublimatum collige, collectum pone in aqua sua, claude vas optime quoniam continet florem (*spiritum*) animatum. Tum exime terram aridam remanentem, quam in pulverem redige in lapide porphyrio, cui affunde florem (*sive spiritum*) ad trium digitorum latitudinem, putrefac per tres dies, destilla ex cineribus, augendo ignem cum ligno ut suprà, toties iterabis istud magisterium usque dum terra remaneat cineritii coloris. Tum eam calcinabis in reverberatorio, utì te docuimus in opere minerali *in cap.* 2. & ita habebis terram animalem præparatam, plenam tantæ virtutis, ut exprimi nequeat. O potentia absoluta, à qua reliquæ omnes dependent potentiæ, cuinam rei similem infudisti virtutem? Nemo comprehendet tam magnum secretum; nullus credet nisi ipsemet viderit per experientiam, sicut nos vidimus. ℞. Florem animatum, quem rectifica ter in cineribus, terras (*feces terrestres*) semper abjice. Tum destilla in balneo tres partes à quatuor, residuum abjice. Hoc repete adhuc semel; tandem destilla totum, ita habebis florem animatum rectificatum. Recipe jam vas magnum (*cucurbitam*) & impone florem rectificatum, occlude os vasis gossypio, appone alembicum cum recipiente & leni calore cinerum totum vel maxima pars sublimabitur in forma salis pretiosissimi, quo (si velis) acues C. nostrum, quod denuò circulabis juxta *cap. D. D.* quocum potes perficere omnes tuas operationes, quas docui in *cap. præcedentibus*, quas citiùs complebis hoc menstruo.

Verumenimverò si desideres sulphur animale naturæ, necessarium est, ut protinùs sublimes, postquam rectificaveris florem desideratum, videlicet imbibendo terram juxtà modum & ordinem, quem diximus in opere vegetabili, hoc est, cum octava parte, septimâ, sextâ, quintâ, & quartâ, sublima & utere, sicut in opere vegetabili, videlicet acuendo florem animatum suo sulphure animali sublimato, circulando & faciendo omnia utì in opere vegetabili. Nunc fili vides, quo amore te prosequor, cùm talia toties atque toties repetam, tantóque labore, ne de me conquerendi ansam haberes, & ut expertus esse in re qualibet, in qua te errare posse, mihi persuaseram.

Idcò

Ideò repetimus & deſcripſimus in hoc capite, quod nullus philoſophus unquam fecit in magno ſuo volumine; & facilè crediderim, nullum philoſophorum auſum fuiſſe tam longam & amplam practicam ac hanc noſtram deſcribere. Quod omne procedit ex paterno meo affectu erga te, quo te obſtrictum volumus ſub pœna divinæ diſplicentiæ, noli cuipiam hanc detegere, ſed potiùs combure eam, quam citò eam reduxeris in uſum, uti ſæpe ſæpiùs nobis promiſiſti. Ulteriùs te admoneo, quòd contendere velis, ut vivas juxtà triumphans Evangelium gratiæ & pacis; rejice & vita ſocietates & actiones malas, uti ſæpiùs te admonuimus; ſecùs autem ſi facias, non placebis illi, qui eſt dator hujus famoſæ ſcientiæ, omnis boni & gratiæ.

Ex Receptis annotamus.

1. *Ea quæ in præcedenti quinto genere annotata fuêre, hûc etiam referri poſſe, cùm menſtrua hujus generis ſolâ materiâ differant ab antecedentibus hæc ex vino phil. tantùm, illa ex fixis rerum diverſarum ſalibus confecta fuêre, verùm quoad ſublimandi methodum, vel modum conficiendi ſalia harmoniaca vegetabilia, tam hæc quàm illa in omnibus conveniunt.*

2. *Salia hæc harmoniaca dici ſulphura naturæ. In præparatione Vini philoſophici terra quædam invenitur, quæ ſulphur exiſtens in ipſo mercurio vegetabili, mercurium proprium coagulans dicitur, ob quam terram vocarunt aliam quamcumque terram exanimatam & fixam* Sulphur, *ſpiritum verò animatum (Eſſentiam, Tincturam, &c.) appellavêre* Mercurium, *hoc ſulphure coagulandum, ambo verò hæc, cùm in unum corpus fuerint redacta & ſublimata, vocarunt* ſulphur Naturæ (*non amplius fixum ſed*) ſublimatum.

3. *Salia hæc dici* naturæ ſulphura, *ad diſtinctionem* ſulphuris contra naturam, *hoc eſt, cujuſcunque acidi.* Ignis, *inquit Ripleus*, differt multis modis; unus enim eſt ignis naturalis, alius innaturalis, alius elementalis, & alius contra naturam. Ignis naturalis eſt is, qui provenit ex influentia ſolis & lunæ, atque ſtellarum, à quibus generantur ſpiritus aquarum ardentium, vapores eſſentiales mineralium, atque etiam virtutes natura-

les rerum viventium. Innaturalis est ignis occasionatus, qui vocatur ignis humidus artificialiter factus à philosophis. Vocatur etiam ignis primi gradûs, qui per simplicem contemperantiam caloris vocatur Balneum, stufa, sterquilinium, in hoc igne fit putrefactio nostri lapidis. Ignis elementalis est qui fixat, calcinat, & comburit & nutritur rebus combustibilibus. Ignis contra naturam dissolvit in potentia, terit, interficit, & destruit potentiam gubernativam formæ lapidis: Nam dissolvit lapidem in aquam nubis cum destructione formæ specificæ. Vocatur autem ignis contra naturam, quia operatio illius est contra omnes naturales operationes, ut asserit Raymundus. Nam omnia quæ natura composuit, hic ignis destruit & ducit ad corruptionem, nisi addatur illi ignis naturæ, &c. *Med. phil. pag.* 135. Quare & quatuor sunt ignes in arte nostra, scilicet naturalis, qui est menstruum sericonis; innaturalis, id est, fimus equinus vel vindemiæ, & hujusmodi; elementaris hoc est qui lignis & aliis combustibilibus fomentatur, & contra naturam, hoc est, omnes aquæ corrosivæ factæ ex vitriolo, salibus & hujusmodi rebus. *Viatic. pag.* 342. *Sed de his alio loco, videlicet libro quinto.*

4. *Salia hæc statim post sui sublimationem in usum esse adhibenda.*

5. *Aquam vitæ phil. etiamsi quoad posse rectificatam, in se tamen superfluam quandam continere humiditatem: quam de se ejicit vel circulando per se, uti in præparatione Cœli Lullii, vel imbibendo in rebus fixis, ut in dictorum salium confectionibus.*

6. *Menstruum ex Cœlo Lullii, essentiâ vel oleo vini phil. confectum reliquis quidem non esse fortius, quoad salis harmoniaci præparationem, etiamsi citiùs cum hoc oleo, quàm aquâ ardente simplici id conficiatur, sed quatenus sal harmoniacum modò confectum non in tenui aqua phil. sed in oleo sive aqua vitæ circulata, commisceatur iterúmque circuletur.*

7. *Diversimodas horum salium sublimationes quàm maximè nobis exponere tam ipsius spiritus vini, quàm menstruorum horum naturam, insupérque commendare Lullii incomparabilem harum rerum experientiam.*

8. *Men-*

8. *Menſtrua animalia, licèt ex urina aliiſque partibus humanis confecta, minùs propriè tamen ſic dici, quamdiu ipſius ſpiritus vini phil. materia fuerit vegetabilis & ſolummodò re animali acuata. Imò ipſe Vini phil. ſpiritus etiam ex animali Regno confectus, ut & acuatus, à menſtruis tamen vegetabilibus ſimplicibus non differret in diſſolvendi proprietatibus, quia unà cum dictis menſtruis vegetabilibus ſimplicibus plurimùm diſtaret à tingendi facultate menſtruorum vegetabilium compoſitorum à quibus diſtingui debet, ubi aliàs inter vegetabilia menſtrua numerari poſſet.*

acut

ſauri.

VII. Genus.

Menstrua vegetabilia composita ex menstruis prædictis simplicibus.

38. Circulatum majus Guidonis,

Pag. 4. Thesauri. Chym.

℞. SPiritûs vini (*pl*[illegible]ncias sex, salis vini (*ejusdem*) uncias quatuor, [illegible] optimè clauso destilla spiritum in balneo, quem reassunde super sal vini, iterúmque destilla, ídque fieri debet duodecies. Tum digere per mensem in balneo rorido; factâ putrefactione exime, & destilla ex cucurbita, & alembico bicipiti sive duorum rostrorum, in balneo, & spiritus vini ascendet per rostrum superius in suum recipiens, phlegma verò per inferius in suum vas. Exime sal vini, cui affunde medietatem spiritûs vini, & destilla ex retorta in alteram vini partem, destilla adhuc semel desuper residuum, & sal omne ascendet in menstruum fortius. Quod si desideres debilius, adde spiritûs vini uncias sex (alias,) at si velis debilissimum affunde majorem quantitatem spiritûs, verùm juxtà prædictum pondus, nostrum fit menstruum vegetabile magnum vel circulatum majus.

Annotationes.

Hactenus de menstruis vegetabilibus simplicibus; sequuntur nunc quæ composita dicuntur, non quasi pluribus componantur ingredientibus, sed quod simplicibus sint fortiora, tam in suis dissolvendi quàm tingendi qualitatibus. Menstrua hujus generis non differunt à prioribus in materia, nec in præparandi methodo, sed pondere tantùm, eò fortiora enim fiunt menstrua, quò ma-

majorem addideris ariditatem unctuoso Vini phil. spiritui. Guido suum circulatum minus confecerat ex salis vini parte unâ & spiritûs vini partibus quatuor; Circulatum verò majus componit ex salis vini partibus duabus, & spiritûs vini partibus tribus. Quò major salis quantitas sumitur, eò fortius fit circulatum. Circulata minora extrahunt rerum essentias sive tincturas; at circulata majora dissolvunt corpus totum in magisterium, quemadmodum apparebit libro secundo.

Menstrua vegetabilia composita fiunt etiam, si menstrua vegetabilia simplicia sumantur, loco spiritûs vini phil. in omnium illorum descriptionibus. Ita fit

39. Menstruum acutum Guidonis,

Pag. 8. Thesauri. Chym.

℞. MEnstrui vegetabilis (*circulati minoris sub* No. 36. *descripti*) libram unam, salis armoniaci (*communis*) uncias duodecim, destilla per retortam primò leni igne, deinde fortiori, & sal armoniacum pro parte ascendet, reaffunde, & destilla adhuc semel. Tum iterum adde uncias duodecim novi salis armoniaci, destilla fortiter ex cineribus, reaffunde & cohoba adhuc bis, & habebis menstruum nostrum acutum.

Sal armoniacum vini phil. spiritu redactum in liquidam substantiam, menstruum est quarti generis, at idem sal cum circulato minore Guidonis destillatum, menstruum fit non simplex, sed compositum, eóque præstantius, ob tantam novi salis armoniaci quantitatem additam. Parisinus in tertio menstruorum genere spiritum Vini phil. acuit melle crudo; quo modo fit menstruum simplex hujus generis, fit autem compositum, si sali suo fixo permisceatur, & destilletur per alembicum.

40. Cœlum majus Parisini,

In Apertorio.

℞. B. Id est vinum rubeum putrefactum, ut scis; pone in cucurbita vitrea cum suo alembico & recipiente bene

lu-

lutatis, & pone in balneo, in quo sit tantum aquæ, ut supernater dictam lunariam per duos digitos, & destilla leniter, & protinus videbis apparere venas in alembico, continua destillationem quamdiu apparuerint, & venæ hæ erunt instar lachrymarum claræ ad modum cristalli, & cum venerit mors (*phlegma*) qui occidit spiritum, dictæ venæ vel lachrymæ cessabunt & apparebunt rotundæ, ut perlæ. Tum temporis remove recipiens, quod claude, ne evaporet spiritus, & repone in loco frigido. Et ita separasti ejus animam (*spiritum*) quamvis sui mortis parùm adhuc in se contineat, & hoc modo continuabis destillationem (*mutato jàm recipiente*) donec omne ascenderit phlegma odoriferum, & materia remaneat instar picis susæ, nigræ & crassæ, quam ne nimium exsicces observa, sed usque ad signa dicta tantùm. Et ita habebis duo fermenta ex nostro B. Cave alicui reveles hanc practicam quam tibi communicamus sub periculo tuæ animæ. Quia fores causa multi mali in hoc mundo, perpetrandi à filiis iniquitatis. Propterea repone eam in manibus Dei omnipotentis, qui scit voluntatem eorum, qui vivunt juxtà suam voluntatem & triumphans Evangelium, & pro hujus gloria extraxisti formam ex B. & eodem modo extrahere potes ab omnibus individuis animalibus & vegetabilibus. *Cap. secundum significatum per C. &.* Ejus animam (*spiritum*) reservatum in loco frigido, & destilla in Balneo ejus medietatem, vel usque venæ pretiosæ ascendere desinant, rectifica adhuc bis, observatis iisdem regulis, sed tertiâ & quartâ vice; quamprimùm appareant venæ, cessa destillare, & tenta num comburat linteum; quod si non, repetatur destillatio, donec id faciat. Posteà cohoba per se quater vel sexies in balneo. Et ita habes modum idoneum rectificandi dictam materiam vel animam (*spiritum*) quæ est tantæ virtutis, ut nulla lingua exprimi queat, vel recitare secreta, quæ Deus æternus ipsi concesserit. Uti cùm essemus Venetiis, urbe famosa, ambo vidimus ejus quædam experimenta. Et ita serva eam bene in loco frigido.

Cap. tertium significatum per D. D. Declaratâ jam methodo rectificandi & separandi spiritum ardentem nostrum à sua morte, ejus virtutem & potentiam depravante. Nunc scias, ipsum non habere potentiam dissolvendi duo luminária, & reducendi ea in actum, nisi prius acuatur, ut tibi dicam; Etiam-

si

ſi præparatio hæc docenda ſit in generalibus *in cap. F.* nihil ominus, ne ullum tempus amittas, quamprimùm rectificaveris ſpiritum tuum ardentem dictum aliâs primum florem, mallem ut ipſum protinùs poneres in practicam: Quam in hoc capite ſignificavimus duplici hac litera D D. quarum una indicat ejus acuitionem, altera ſuum regium acuens, id eſt, ſal è melle extractum, eo modo quem tibi ſæpiùs monſtravimus, hoc eſt, cum pretioſiſſima ſua aqua (*mellis ſive menſtruo in genere tertio ſub* No. 10. *deſcripto.*) Et licèt aqua hæc ſatis ſit bona, attamen aqua hæc acuata ſuo pretioſiſſimo ſale, de quo eris certior, tibi recompenſabit tuum laborem, largitérque te ſuſtentabit, uſque dum attingas finem tui laboris, medicinam magnam. Nunc ad propoſitum.

℞. Mel apium juvenum, album, pone in putrefactione in cucurbitis magnis cum ſuis alembicis in balneo, & fac, ut quotidiè bulliat per horam; reliquum temporis maneat in calore temperato, & hoc facies per ſpatium quindecim dierum naturalium. Tum affunde tantum C. ut ſupernatet quatuor digitorum latitudine, claudendo alembicis cæcis, & ponendo in putrefactione per tres dies naturales. Tum appone alembica cum ſuis recipientibus & juncturis bene lutatis deſtilla ex balneo, & cum ex octo partibus ſeptem fuerint deſtillatæ, vel (*quod ſignum eſt certius*) cùm videris aſcendere lachrymas rotundas vel guttas, depone recipientia, quæ optimè clauſa, ne aliquid evaporet, reſerva in loco frigido, pro ſui acuitione; poſteà continua deſtillationes eodem caloris gradu, uſque nihil aſcendat ampliùs, verùm ſi neceſſitas requirat ut augeatur ignis, cave ne fiat nimiùm, & cùm nihil aſcenderit dicto regimine, remove etiam hæc recipientia, & ſerva ea, quia continent aquam ſecundam ſive phlegma pro extractione pretioſiſſimi ſalis. Jam pone materiam tuam in cineribus, & deſtilla calore tertii gradûs, deſtillato oleo, ſine ut frigeſcat materia, quam tritam reverbera in patina fictili in reverberatorio per octo dies, vel uſque quo ſatis fuerit calcinata, ſignum erit, quando eam inveneris coloris cineritii. Tum affunde de phlegmate reſervato tantum, ut cooperiatur per duorum digitorum latitudinem; vaſe clauſo alembico cæco, ſervetur in balneo per duos vel tres dies, decanta liquorem, & novo affuſo phlegmate repetatur toties, donec extraxeris omne ſal, quod excellet nivem

in

in albedine. Et hoc est sal istud, quo acuimus nostrum C. simplex (*spiritum ardentem pro menstruo quinti generis*) hoc est, quod ambobus luminaribus dat principium vegetationis, reducens ea in naturam quintæ Essentiæ. Et eodem etiam acuere potes & augmentare propriam suam aquam (*mellis sive menstruum tertii generis*) quæ potentiam habet vegetandi omnia mineralia. Hoc solo te supportabis in tuis necessitatibus. Adeò, fili, ut oporteat agere gratias potentiæ absolutæ. Cave, ne alicui reveles tam magnum secretum, nam istud jam declaravimus tam planè, ut impossibile sit ulteriùs aliquid addere. Nunc recipe decantationes tuas, quas abstrahe in balneo, ut remaneat sal albissimum, quod dissolves, filtrabis, & congelabis ter, & erit idoneum pro omnibus tuis operationibus. Jam descendamus ad practicam acuitionis.

℞. Salis prædicti unciam unam, cui bene pulverisato affunde partes quatuor C. D. id est, spiritûs primi (*ardentis, sed quia hoc spiritu fieret menstruum quinti, & non hujus generis, ideò accipiatur C. melle acutum, sive Cœlum mellifluum Parisini, menstruum tertii generis.*) Alembico cæco & juncturis optimè clausis putrefac per duos dies naturales, tum alembico & recipiente appositis destilla in cineribus. Finitâ destillatione sumas pondus salis remanentis in retorta, cui adde quadruplum C. putrefaciendo & destillando in cineribus, ut suprà, & magisterium iterabis toties, donec sal omne ascendat unà cum spiritu suo cœlesti, aliàs C. & hoc modo acuabis & multiplicabis juxtà placitum. Sed reminiscere partem unam salis requirere partes quatuor C. (*in hoc loco, cœli mellifluui Parisini.*) Et scias me tibi non enarrare fabulas, sed valdè distinctè tibi declaro ordinem veræ practicæ, hoc pacto tamen, ut quamprimùm eam deduxeris in actum, velis eam omninò occultare, considerando quantâ obscuritate philosophi antiqui sua protulerint, quod tamen non egerunt, nisi ut prohiberent, ne ignorantes nimium erigerent suas cristas; eâdem etiam ratione nos desideramus, ut sicut te sæpè sæpiùs admonuimus, velis servare secretè & tempore conveniente & loco elaborare pro temetipso & pauperibus Jesu Christi.

Cap. quartum significatum per E. Debebamus reddere gratias infinitas bonitati Dei æterni, quòd tantâ liberalitate nos docuerit modum conficiendi Cœlum nostrum, & capaces reddiderit

diderit gratiæ tam admirabilis & inæstimabilis. Certum est, quum prima vice absolvissem secretissimam hanc scientiam, & vidissem veram transmutationem, attonitus quasi fui, & sæpè elevando oculos meos in Cœlum, prostratus fui in terram agendo gratias Deo omnipotenti. Nunc ad propositum.

℞. Vitrum magnum tantæ capacitatis, cujusmodi unum tibi monstraveram Murarii, in quod pone istius menstrui libras duas vel tres, claude optimè, & circula in balneo vel fimo equino, sed cave ne in fimi mutatione circulatio impediatur, & ita circuletur per spatium quadraginta dierum naturalium, & tum invenies materiam tuam claram instar cristalli cum hypostasi in fundo, quæ erit instar serici, quam decanta cautè in aliud vitrum, serva bene clausum in balneo, & habebis menstruum vegetabile simplex (*si fuerit confectum ex spiritu ardente & sale mellis, compositum verò si ex Cœlo mellifluo Paristni & sale mellis præparatum.*) Cœlum nostrum tantæ virtutis est, ut nequeat exprimi, hôc peragimus veram calcinationem & dissolutionem luminarium cum conservatione humidi radicalis. Hoc est, quod reducet tam imperfecta quàm perfecta metalla de potentia in actum. Et quamvis videatur me tibi non delineasse figuram vitri, scio tamen, & reminiscor, me horum quædam reliquisse in ædibus tuis, aliáque plura de cucurbitis nostris, quorum quodlibet bonum est. Gubernabis teipsum juxtà tuam discretionem, quum sufficienter tibi aperuerimus viam veritatis in hoc capite.

Ex Receptis observamus.

1. *Menstrua hujus septimi generis à superioribus simplicibus differre non in materiis, nec conficiendi modis, sed ingredientium ponderibus & usu.*

2. *Menstrua hæc non tingere dissoluta sua, quod alias menstruorum compositorum proprium est. Omnis quidem mercurius vegetabilis suum proprium in suo ventre continet sulphur tingens & sibi & aliis sufficiens, utì libro tertio & præsertim libro quinto demonstrabitur, nihilominus quatenus rebus magis tingentibus non acuatur, dicimus, quemcunque spiritum vini phil. carere tincturâ.*

VIII. Genus.

Menstrua vegetabilia composita ex menstruis vegetabilibus simplicibus, & argento vivo vulgi vel reliquis metallis.

41. Ignis Gehennæ Trismosini ex spiritu vini phil. & mercurio sublimato,

Pag. 7. aurei Velleris Germ.

℞. ALuminis calcinati, nitri, ana partes duas, salis tosti partem unam, misce, recipe hujus mixturæ & mercurii sublimati ana libram unam, sublima lege artis, sublimatum cum nova mixtura salium misce & sublima, idque repete tertia vice. Huic mercurio ita sublimato & pulverisato affunde spiritum Vini (*phil.*) quem abstrahe in balneo ad oleitatem, cohoba aliquoties, & quartâ vice ascendet mercurius unà cum spiritu vini, destillatum rectifica, donec post se nullas relinquat feces, & erit aqua ardens instar ignis Gehennæ. Hanc aquam porrò rectifica ex cineribus usque ascendat nullâ relictâ residentiâ; ultimò destilla per chartam septuplicem ex balneo, & habebis aquam verè spiritualem quam vase optimè clauso serva, quia valdè volatilis est.

Annotationes.

GEnus proximè antecedens annumeratur quidem circulatis majoribus, sive menstruis vegetabilibus compositis; quoniam istius generis menstrua dissolvendi viribus quidem præstant cæteris menstruis simplicibus, non tamen tincturâ: Quâ tam hoc, quàm illa carent. Jam verò quæ dabimus, præstantiora erunt; dissolvent non tantùm,

tùm sed dissolvendo insuper tingent res in iis dissolutas, adeòque meliores efficient. Non tantùm extrahent rerum essentias, sed corpora tota transmutabunt in magisteria. Inter hæc primum obtinent locum aquæ mercuriales vegetabiles ex argento vivo vulgi & menstruis vegetabilibus simplicibus, compositæ. Adepti enim complures argentum vivum vulgi dixere apertum metallum, sic edocti per experientiam; solvitur enim citiùs reliquis metallis, ariditatéque sua magis temperat unctuositatem spiritûs vini phil. quàm individua in antecedentibus menstruorum generibus hactenùs adhibita. Hac de re audite Philosophos, & præ cæteris celsum Paracelsum Adeptorum facilè principem, qui, si metalla, *inquit,* intendis in magisterium convertere, & totum corpus planè in essentiam tingere, oportet, ut accipias præcipuum & apertum metallum, cui reliqua omnia in natura cognata sunt, idque in sua matrice quæ in aqua sita est, & mater omnium metallorum appellatur (*circulato minore ex sale com. Paracelsi*) corrumpas, à superfluis expurges & in primum Ens liquidum reducas, hoc est, Acetum acerrimum metallicum, primum Ens mercurii. *Libr. X. Arch. cap. 3. pag. 37.*

Quemadmodum ex herbis (veluti ex vite) essentia temperata educitur, qua ipsâ ex omnibus generis herbis & radicibus essentia sua similiter extrahi potest, adeò, ut mercurius vini non suam propriam naturam, sed ejus cum quo essentificatur, ostendat. Pari ratione ex metallis & mineralibus, similis mercurius vel spiritus ex aperto & medio metallo mercurio extrahitur. *Libr. X. Arch. pag. 39.* Mercurius vivus mater est omnium septem metallorum, & meritò mater metallorum dici debet, est enim metallum apertum. *Libro de rebus naturalibus pag. 87.*

Quare recolite ea, quæ suporius dicta sunt de semiperfectis generatis naturalibus, inter quæ unum est mercurius vivus, qui non in compactionem perducitur, sed in liquiditate relinquitur; præterea sciendum, quamlibet rem generatam, quæ aperta est, ut argentum vivum, esse similem domui non clausæ, in quam quilibet intrare potest. Ita enim mercurius patet, ut quilibet medicus ex eo accipere possit, quæ velit, sed de auro, argento, stanno, &c. non ita se res habet; illa enim janua est clausa per coagulationem, donec per artem fiat apertio, dissolutio, & reductio in primam materiam, quæ quidem

dem multa impedimenta habent, quæ in mercurio non sunt, est enim patens, nec indiget nisi directione præparationis. *Tract. 2. libri 2. de morbis metallicis. 723.*

Basilius adstipulatur Paracelso, inquiens: In principio generationis primum omnium est argentum vivum apertum, ac leviter coagulatum, quoniam parùm salis ipsi communicatum habet, ideò magis spirituale est quàm corporeum, cætera metalla derivata à sua essentia plus salis habent, ideò magis corporea sunt reddita. *Libro de Rebus natur. & supernat. cap. 2.*

Chortalassæus idem testatur, dicendo: Varii coloris argentum vivum extat, album, subcæruleum, griseum, nigricans, aliud pigrum, aliud velox, in seipso tamen metallum apertum, & facilè transmutabile corpus habet. *Cab. pag. 359. Volum. sexti Theat. Chym.*

Ne autem desperes in inquirendo sulphure, *inquit Sendivogius*, tibi sacrosanctè dico, illud in auro & argento esse perfectissimum, sed in argento vivo facillimum. *Pag. 213. libr. de sulphure.*

Ex veteribus addam Arnoldum qui ita libr. 1. cap. 7. Rosarii. Medicina est tam in corporibus metallicis, quàm etiam in argento vivo secundùm naturam, cùm unius sint reperta naturæ; sed in corporibus quidem difficilius, in ipso vero mercurio vivo propinquiùs, non autem perfectiùs. Ex solo argento vivo faciliùs & propinquiùs non perfectiùs invenitur, cum ipse sit pater omnium istorum luminarium, & omnium liquabilium, ab ipso siquidem omnia sunt, & ideo in ipsum omnia resolvuntur, quoniam natura naturam amplectitur propriam, amicabiliùs, magisque gaudet cum ea, quàm cum extranea. In ipso namque est facilitas extractionis illius subtilis substantiæ, &c.

Inter metalla igitur nullum datur, quod citiùs coeat cum vini philos. spiritu, faciliúsque alteretur, quàm argentum vivum, quippe quo nomine pro metallo aperto ab Adeptis habitum fuit; metalla, & cætera corpora mineralia difficillimè dissolvuntur à vini phil. spiritu; verùm semel huic spiritui connexa, æquè ac mercurius commutantur in tertium quid, nunquam divisibile in constitutiva sua, videlicet metallum & spiritum. Metallum hoc apertum, salium aciditate quandoque magis apertum reddidere, sic Trismosinus pro igne suo Gehennæ aliquoties sublimavit mer-

cu-

curium communem. Summè tamen cavendum est, ut ejusmodi menstrua ex mercurio sublimato confecta diuturniori circulatione, vel repetitis cohobationibus ab omni liberentur salium aciditate dulcificando, cum verò operatio hæc sit periculi plena, imò contra menstruorum vegetabilium regulam, quæ quodcunque excludit acidum; ideò consultum duximus, tyronibus tutiùs esse, mercurio crudo uti, quàm sublimato. Horum loco itaque commendabimus menstrua ex argento vivo crudo confecta.

42. Mercurius alchymicus Ripléi.

In Concord. Raym. & Guidon.

℞. MErcurii crudi bene purgati unciam unam, nostri igniti Tartari seu salis vegetabilis superioris (*in quinto genere sub* No. 23.) reservati uncias tres, & conterantur ambo simul optimè super marmore, donec incorporentur, tunc ponas in tepido balneo, & totum dissolvatur in lac quoddam album. Totum istud ponas super libram mercurii crudi, & dissolvatur totum in simile lac, & sic facies in infinitum. Hic mercurius dissolutus in balneo putrefiat, posteà destilletur in cineribus primo igne leni, & ascendet quædam aqua insipida, quæ abjiciatur: Tunc igne magis aucto, ascendet alia aqua magis spissa, quæ quidem aqua dissolvit omnia corpora, putrefacit, mundat & figit ea; ad extremum vehementiori igne oleum ascendet aurei coloris, quod pro fermento rubro dissolvendo, & pro Elixire rubeo multiplicando conservari debet, est enim nostrum aurum singulare, nondum à natura fixatum.

Alibi loco Tartari igniti, (id est, spiritûs vini phil. in sale Tartari, exsiccati, vel salis armoniaci vegetabilis ex sale Tartari confecti, sed nondum sublimati) usus est Ripleus aliquando menstruo quodam vegetabili simplici, quocum composuit aquam mercurii exaltatam, ut sequitur;

43. Aqua

43. Aqua mercurii exaltata Riplei, *Cap. 12. Philorcii.*

℞. NIgrum *nigrius nigro* & destilla aquam, & fortifica illam cum pipere, squilla, pyrethro, euphorbio, solatro, anacardo, granis Paradisi, staphisagria & similibus in acuitate. Hoc verò secretum est magnum. sumatur aqua quintæ fortificationis, & destilletur, & ponatur super mercurium, ut natet desuper per spatium duorum digitorum vel trium, & obturato vase, ne respiret, ponatur mercurius in balneo ad solvendum per mensem, quod autem ex eo solutum fuerit, evacuetur in aliud vas & servetur. Nova autem aqua fundatur super mercurium non solutum, & procede, ut suprà, sic continuando, donec habeas libram unam mercurii dissoluti. Tunc pone dissolutum simul in balneo per quindecim dies, & post hoc destilla, & quod ascendet, seorsim serva in vase, ne respiret, & super fæces remanentes pone novam aquam, & procede per balneum, ut suprà, & hoc opus continua, donec totus mercurius exaltetur. Non est autem hoc opus inertium & pigrorum. Vocatur autem ista aqua sic exaltata apud philosophos multis nominibus, est enim *Lac Virginis*, *Aqua roris Maii*, & *Aqua mercurii.*

Nigrum nigrius nigro & vinum phil. esse synonyma superiùs probavimus ex Lullio; istius aquæ vel spiritûs fortificationem sive acuitionem cum pipere, squilla, &c. docuimus in secundo genere. Mercurius autem, licèt sit metallum apertum, satis tamen difficulter dissolvitur in prædicto menstruo secundi generis, quò fortiora autem menstrua vegetabilia simplicia sunt, eò citiùs etiam solvitur, exemplum habebis in sequenti aqua gloriosa Lullii, ubi mercurius dissolvitur spatio sex dierum in cœlo vinoso Lullii, sexti generis menstruo.

44. Aqua

44. Aqua gloriosa argenti vivi Lullii,

In Testam. Novissimo.

℞. ARgenti vivi vulgi libram unam, & pone in vase vitreo, & superpone de vegetabili menstruo (*superiùs in sexto genere sub* No. 30. *descripto*) quod supernatet per quatuor digitos, pone in balneo vel fimo per sex dies, & totum dissolvetur in aquam gloriosam, eleva menstruum per balneum lene, & in fundo vasis remanebit tibi lumen perlarum & anima metallorum. De hoc intelleximus *in cap. quod incipit*: Oportet nos cum eo incipere & cum eò finire. Tunc accipe illam aquam gloriosam argenti vivi, quæ erit libra una, & misce cum libris duabus de menstruo vegetabili cœlificato (*de Cœlo vinoso à nobis sub* No. 30. *sic dicto*) & totum fiet una aqua, cum qua dissolves omnia corpora tam perfecta quàm imperfecta pro creatione sulphuris nostri.

Eodem ferè modo præparat menstruum, quod incalcinatum vocat.

45. Menstruum incalcinatum Lullii,

In Experim. XXXIV.

℞. MErcurii vulgaris, qui sit advectus ex Hispania inter pelles signatos sigillo hispanico, ne quid sophisticationis contineat, ipsum per camuscæ pellem transmitte, mox aquam accipe mercurialem, extractam à mercurio per magisterium, ut te docuimus in experimento trium vasorum, ut scis; atque ita solve mercurium. Cùm autem totus fuerit solutus, auter ab illo aquam per balneum, & remanebit in fundo vasis mercurius in forma olei. Hoc ergo utemur ad incerandum (*circulandum potiùs*) in nostrum cœlum sive nostrum menstruum cœlificatum. Accipe igitur quatuor libras menstrui cœlificati (*cœli vegetabilis sub* No. 17. *in quinto genere descripti*) & unam libram prædicti mercurii in oleum redacti,

ac

ac ſimul invicem conjunge, tum demum incalcinatum menſtruum habebis, quo diſſolves duo luminaria ad conſervationem ſuæ formæ, non ſolùm eam conſervando, verùm etiam propagando eam in infinitum.

Hujus menſtrui receptum clarum eſt; exponendum tamen eſt, quid ſibi velit per aquam mercurialem extractam per magiſterium trium vaſorum, cujus menſtrui deſcriptionem ita legimus.

46. Aqua mercurialis per magiſterium trium vaſorum Lullii,

In Exper. XIII.

℞. MErcurium Hiſpaniæ, qui cum ſigillo Hiſpaniæ in veſicis advehitur, ne ſophiſticetur: Ipſum ſublimabis hoc modo: Accipe vitriolum deſiccatum ab omni phlegmate, & ſalem communem præparatum, & crepitatum, ſive priùs igne aduſtum, conjunge cum his duobus mercurium terendo quàm optimè, poſtmodùm in vaſe ſublimabis in principio igne levi, poſteà augebis ignem, quouſque perfectè ſublimetur. Frigefacto vaſe collige ſublimationem cautè, caveas tibi à fumoſitatibus, ſunt enim venenoſæ, ſublimatum quàm optimè imbibas oleo tartari *per deliquium*) & calce viva. Deinde materiam intra retortam conſtitue, ſubminiſtrando ignem, donec vivus ipſe mercurius in recipientem emanaverit. Iterum ut ſuprà, cum novis iiſdem materiis ſublimabis, denique ut ſuprà, per retortam vivificabis. Hoc pacto iteretur magiſterium quater. Recipe igitur hunc mercurium ſic præparatum, & cum aqua vitæ (*philoſophica*) fervere facias, deſiccatum tranſmitte per corium capræ. Recipe igitur hunc mercurium, & illum conſtitue in vaſibus (*tribus aludelibus*) quorum alterum alteri ſit firmiter & fortiter annexum, ac undique forti luto ſapientiæ coopertum, poſteà conſtitue furnum, in quo aptè hæc vaſa collocentur, ita ut omnia æqualiter ignem habere poſſint, ſed recipiens nullo pacto ignem ſentire debet, ſic etiam roſtrum primi vaſis, per quod mercurius debet intromitti extra furnum ſuperesse debet. Subminiſtra poſteà ignem dictis vaſis, ut candeſcant,

&

& intus & extrà fiant ignita, posteà per cannam supereminentem extrà furnum immitte mercurium, ac protinùs claude os cannæ cum bombace, & propter asperitatem ignis brevi tempore pars ipsius mercurii transibit in recipientem, una pars verò in similitudinem aquæ, separa aquam à mercurio, & serva, quod verò remanet vivum, iterum injicito in vas dictum ut suprà toties, donec per ignis asperitatem totum transeat in aquam, singulis vicibus evacuando recipientem in aliud vas, & clausum optimè conservabis. Posteà ℞. hujus aquæ uncias quatuor, & unciam olei sive salis primi experimenti (*salis tartari spiritu vini phil. impregnati*,) & simul cum dicto sale transmitte, destillando illam aquam per cineres igne lentissimo à principio, posteà in fine ignem augendo donec ampliùs non destillet. Deinde recipe novum salem, vel oleum ejusdem primi experimenti, & conjunge cum illa aqua paulò antè destillata, ac iterum per cineres, ut suprà, destillando transmitte. Hoc autem magisterium quinquies iterabis, singulis vicibus cum unciis tribus dictæ aquæ commiscendo unciam unam dicti salis, vel olei primi experimenti, destillando ut suprà per cineres eodem gradu ignis, ac eodem, quo suprà, pondere tam aquæ, quàm salis sive olei. Atque hoc pacto, auxilio Dei, habebimus aquam mineralem, ac vegetabilem unitam simul, quæ potestatem habet dissolvendi mercurium & cuncta metalla, præsertim duo luminaria. Ad cujus aquæ multiplicationem hoc pacto procedendum est. ℞. Unciam unam mercurii purgati, & uncias quinque aquæ acutæ dictæ (*modo præparatæ*) conjunge hæc duo simul in bocia parva, quam claude optimè, tum protinùs mercurius dissolvetur, quam dissolutionem statue in urinali parvo, cum alembico & recipiente, juncturis bene clausis, destillando per cineres, & totum in aquam transibit, relicta in fundo vasis aliqua terrestreitate nullius momenti. Hàc ergo ratione dictam aquam multiplicare poteris, quantum libet, videlicet accipiendo ipsius quinque partes, & unam mercurii purgati, dissolvendo priùs per alembicum, ut suprà destillando.

Mercurium sublimatum, ut communi modo purgetur, revivificat per oleum tartari & calcem vivam; jam purgatum digerit in aqua vitæ, putà philosophica; communis enim hic nihil prodesset vini spiritus, ubi in hac digestione cum aqua vitæ phil. argentò

vivo adhæret multum unctuositatis permanentis, maximè illud alterantis, deinde istud injicit diversis aludelibus invicem sibi & recipienti connexis & ignitis, ut convertatur in aquam mercurialem. Modum destillandi per vasa ignita apud adeptos frequenter in usu fuisse passim invenio, verùm num abbrevlationum, vel exquisitioris vel brevioris elaborationis, vel alterius mihi incognitæ causâ hunc excogitaverint, me latet. Basilius libr. Particularium, in Particul. solis *non mercurium quidem, sed aurum aquâ phil. aliquoties extinctum destillat per vas ignitum in liquorem rubeum.* ℞. Auri fulminantis, *inquit*, partem unam, florum sulphuris partes tres, leni igne calcina ad sulphuris consumptionem usque, materiam ignitam extingue in spiritu vini, guttulis aliquot spiritûs tartari (*menstrui vegetabilis ex sale tartari*) acuato. Decanta spiritum, & pulverem, ad ignem sicca; cui exsiccato iterum adde partes tres florum sulphuris, calcina & extingue, ut anteà. Hoc opus repete sexies, ut auri pulvis fiat butyri instar mollis & pinguis, qui cautè est exsiccandus, quoniam parvo liquescit igne, pulverem hunc parumper calefactum injice in retortam tubulatam, benéque ignitam, & tubulo statim clauso destillabis guttas rubeas cadentes in optimum vini spiritum in recipiente propositum. *Si aurum in vini phil. spiritu aliquoties extinctum fit molle ac pingue, quidni etiam hoc fieret in mercurio vulgi, digesto juxta receptum, in eodem vini spiritu? At esto, quòd Lullius sibi tantummodò proposuerit, argentum vivum redigere in liquorem acidum communem, ex hoc tamen, addendo sal tartari primi experimenti, componit menstruum vegetabile quinti generis, cum quo argentum vivum vulgi dissolvit, & in aquam mercurialem redigit. Hâc mercuriali aquâ denuò mercurium communem dissolvit & abstrahit, ut maneat in forma olei, quod mercurii oleum in cœlo vegetabili dissolutum circulat, circulatum verò menstruum incalcinatum vocat. Loco olei mercurii si sumas mercurium crudum in veram primam materiam mercurii redactum, & hoc sale armoniaco mercuriali cœlum vegetabile acuas, idem, imò multò meliùs conficies menstruum incalcinatum. Modus conficiendi sulphur naturæ argenti vivi vulgi sequens est:*

Sal

Sal harmoniacum mercuriale, sive Mercurius mercurii Lullii,

In Exp. XVIII.

℞. MErcurium bis sublimatum cum vitriolo & sale, ipsum sublimatum constitue super laminam ferream optimè priùs contritum; cum eo jungas duas uncias stanni calcinati, & statue in loco humido, & dissolvetur. Iterum sublima, & pone super laminam ferream, ut suprà, & totum dissolvetur, atque hoc pacto potes tantum mercurii dissolvere, quantum volueris. Posteà accipe hanc aquam; & eam septies rectificabis per cineres, vel donec ampliùs terrestreitatem non emittat, posteà destillabis eam per balneum igne lento, ac ex decem partibus destillabis unam, quæ nullius est utilitatis, est enim phlegma, quod contraxit ex loco humido, mox scias pondus aquæ remanentis in fundo, & quaternis quibusvis unciis apponas singulas uncias de sale vegetabili primi vel secundi experimenti, nam sunt ejusdem vigoris, deinde destillabis per cineres calidos cum alembico & recipiente, juncturis optimè clausis, quæ cum destillata fuerit tota, iterum illi novum salem adjunge, servato eodem pondere, quo suprà, tam salis quàm aquæ, atque eam denuò destillabis, ut suprà, atque hoc eodem modo quater destillabis, adjuncto singulis destillationibus novo sale, ut suprà, ac destillando per cineres, atque ita habebis aquam mercurialem ad omnes physicas operationes aptam. Cæterùm accipe mercurium vulgi, lotum cum aceto & sale, & transactum per pellem camusciæ, illum pone in vase, & si de mercurio fuerit pondus unius unciæ, illi quatuor uncias adjunge prædictæ mineralis aquæ & superposito antenotorio super cineres, fine, ut leviter bulliat, & breviter totum dissolvetur, quam dissolutionem evacuabis transferendo in aliud vas, cum cautela, ut si qua pars reliqua sit terrestreitatis in fundo, separetur à dicta dissolutione, nec enim est utile transmitti in dictam aquam. Hoc autem modo dissolvere potes de mercurio, quantum volueris. Præterea accipe prædictum mercurium

dissolutum, & putrefacito per 30 dies in balneo vel fimo calido, quod in denos quosque dies transmutari debet, ut calor continuus perseveret, nec extinguatur. Factâ putrefactione remove vas, & apposito alembico cum urinali & receptorio, juncturis bene clausis, destillabis per balneum totam aquam, mercurius autem remanebit albus in vase, sicut nix. Tum illi tantum superinfunde de hac aqua, quam nunc destillasti, ut supernatet quatuor digitis, reliquum aquæ servabis in suo vase optimè clauso, in loco frigido: Mox superposito vasi suo antenotorio, juncturis obstructis, pone in putrefactione per diem naturalem. Posteà amoto antenotorio, & superposito alembico cum recipiente bene clauso, destillabis per cineres, & augebis ignem, ut anima transeat in suam destillatam aquam. Postremò cessante destillatione; sine vas frigefieri; amove recipientem, & servato firmiter clausum, nam quod intùs destillatum est spiritus animatus. Materiæ verò remanenti in vase, id est, urinali, superinfunde iterum de aqua destillata tantum, ut supernatet quatuor digitis, & annexo antenotorio vas constitue in putrefactione, ut suprà, ac subinde amoto antenotorio vicissim & superposito alembico cum suo recipiente, quo spiritûs animati alteram partem servaveras, juncturis optimè clausis, iterum per cineres destillato, ac ultimò similiter ignem augebis, ut in destillatam aquam anima transeat, ut suprà. Post frigefacto vase in receptorio ipsum spiritum animatum conserva, ut suprà, optimè clausum, ac remanenti materiæ in fundo iterum infunde de nova aqua, ut suprà & putrefacies, ut suprà, per cinerem destillando. Spiritum in idem receptaculum transmitte, ubi alterum servasti. Hoc pacto iterabis magisterium toties, quousque corpus remaneat mortuum, nigrum, omníque humiditate destitutum, quod hoc signo comprobabis; accipe modicum de corpore illo nigro sive terra, & pone super laminam ignitam, & si videbis nullum fumum emittere, neque ab igne evolare, tunc accipe ipsam terram, & pone in parvula pila optimè lutata, & vitrea, atque ore optimè clauso, eam constitue in ignem reverberationis per 24 horas. Post ipsam terram calcinatam remove, & sterne intra cineres calidos optimè clausam, ne aliquam humiditatem attrahat. Cæterùm accipe aquam animatam, atque eam per cineres septies rectificabis, quam aquam animatam & vivi-

vivificatam divide in duas partes, quarum altera utemur ad vivificationem terræ, altera verò ad dissolutionem solis & lunæ. Accipe ergò alteram partem dictæ aquæ, & scias pondus terræ superiùs servatæ, contere priùs, pone in urinali, deinde superinfunde illi de prædicta aqua partem quartam sui ponderis, & annexo antenotorio bene clauso, pone vas in balneum, ut aquam balnei non attingat, sed solo vapore materia calefiat, atque ita permaneat per quatuor dies. Deinde amoto antenotorio, & superposito alembico destillabis per cineres lento igne ad similitudinem solis, & emanabit humiditas quædam insipida, quam projicito, nihil enim valet. His peractis iterum imbibe cum quarta parte spiritûs animati, ut suprà, digerendo ut suprà, & per cineres destillando, ut suprà, humiditatem. Hoc pacto toties magisterium hoc reiterabis, donec totum corpus suam humiditatem sive animam reassumpserit, & album remaneat instar nivis, quod corpus extrahe & siccabis, & contere, contritum in parvam bociam constitue quam optimè lutatam luto sapientiæ, & obstructo ore ipsius bociæ cum bombace, ipsum vas collocabis in furno cinerum; sed adverte, quoniam si ignis sit nimis violentus, materia transibit in oleum, nec poterit sublimari, & periculum erit, ne vas frangatur, quod nobis accidit; id quod te admonitum volumus, ut ignem levem persequaris, donec materia sublimetur. Hoc etiam notabis, hanc sublimationem etiam posse fieri in igne turris (*athanoris*) eóque non sublimabitur materia, nisi spatio trium vel quatuor dierum.

Quæ quidem sublimatio erit albissima, sicut squammæ piscium, vel tanquam talcus. His peractis extrahe cautè magnesiam, materiam primam vulgaris mercurii nostri, salem nostrum armoniacum, sulphur nostrum; quod servabis in parvula bocia bene clausa intra cineres, calidos instar solis, quod autem in fundo remanebit; & non poterit sublimari, projicito, quia nullius est valoris ob evacuatum pretiosum semen.

Hic mercurium cum Jove calcinato super laminam ferream dissolvit per deliquium, cum quo sal vegetabile primi vel secundi experimenti (sal tartari spiritu vini phil. impregnatum vel in sal harmoniacum vegetabile sublimatum) *in æquali pondere* (per vices tamen) *cohobat per alembicum*; (loco hujus menstrui sumere licitum est cœlum vegetabile Lullii) *menstruo hoc dis-*

dissolvit argentum vivum vulgi, istúdque in oleum album redigit, ex quo oleo spiritum animatum extrahit, repetendo opus, usque dum mercurii terra remaneat nigra, fixa & absque fumo in lamina ignita. Terram hanc exanimatam atque reverberatam, imbibendo eam quarta parte spiritûs animati septies rectificati, revivificat, usque facta sit alba & volatilis, quam tum sublimat in sal harmoniacum mercuriale, cujus confectio ab antecedentibus salium harmoniacorum descriptionibus non differt; quod si cum cœli vegetabilis Lullii partibus quatuor permisceatur, menstruum inde fit quod dicitur incalcinatum, eóque fortius, quo sal harmoniacum istud est oleo mercurii fortius, quod si autem hæc prima materia mercurii circuletur per suum tempus, menstruum perficies, quod cœlum mercuriale dici meretur.

Guido menstruum incalcinatum præparat non ex mercurio vulgi, sed metallorum, solis vel lunæ.

47. Menstruum pro lapidibus pretiosis Guidonis,

Pag. 92. Thesauri. Chym.

℞. MEnstrui vegetabilis acuati (*sub* No. 38. *vel* No. 39. *in septimo genere descriptis*) partes quatuor, olei mercurii solis vel lunæ partem unam, misce. *Alibi oleum mercurii metallorum pag.* 84. *describit hoc modo.* ℞. Mercurii solis (*cujus descriptionem dabimus inferiùs, libro tertio*) libras tres, leonis rubei (*auri sublimati, de cujus præparatione suo loco, in libro secundo*) uncias duodecim, vel in æquali pondere, misce optimè, pone in cucurbita cum suo alembico, luta bene, & augendo ignem per gradus, sublima, & partim mercurius ascendet vivus, partim in forma sublimati albi vel cineritii, & circa partem inferiorem vitri, citrini coloris, mercurium vivum iterum admisce sublimato, iterúmque sublima, ídque toties donec totus mercurius sit sublimatus. Quem ita sublimatum pone in phialis fundi latioris, & in quàlibet uncias octo ad putrefaciendum in balneo per mensem & dimidium, & denuò per mensem & dimidium in balneo rorido, & sublimatus mercu-

curius solis resolvetur in oleum nigrum, quod rectifica per alembicum, primò igne leni, deinde fortiori, tandem fortissimo, ita habebis oleum mercurii solis.

Sed præter mercurium, metallum illud apertum, etiam ex reliquis metallis etiamsi magis occlusis hujus generis menstrua confici possunt, cujus exemplum habemus in menstruo lunari Lullii.

48. Menstruum lunare Lullii,

In Experimento XXIV.

℞. MErcurium vulgi, atque illum lavabis cum aceto, postquam ejus terrestreitas remota fuerit, transeat per corium camusciæ; deinde illum pone in illa tua vasa, quorum formam superiùs habuisti (*sub* No. 46.) in istis igitur vasis mercurium constitues, ac destillabis toties, donec totus transeat in aquam, ut superiùs te docui. Deinde accipe uncias quatuor hujus aquæ mercurialis, & in ea dissolve unciam unam mercurii vegetabilis secundi experimenti (*salis tartari sublimati, sive salis harmoniaci vegetabilis ex sale tartari confecti*) fac ut transeat per alembicum simul cum prædicta aqua mercuriali, posteà in quaternis quibusque unciis aquæ, fac ut dissolvas singulas uncias mercurii, ut suprà, præparati (*vegetabilis*) pone in putrefactione per octo dies, deinde destillabis per cineres, ultimò ignem augebis; ita ut transeat in id, quod destillatum fuerit, in quo solve mediam unciam argenti cupellati, deinde putrefac per tres dies, postea destilla per cineres, ultimò augebis ignem aliquantulum, ut per aëream resolutionem tota claritas transeat, vel albedo ipsius lunæ in hac tali destillatione.

Non totum argentum, sed ejus partem volatiliorem in salium harmoniacorum confectionibus, (spiritum animatum dictam) extrahit menstruo trium vasorum sub No. 26. *jam descripto, cum ejus descriptione ibidem elucidatà, quæ in Recepto præsenti obscuriora sunt, illustrare potes. Aliquando spiritum animatum lunæ, & spiritum animatum solis invicem conjungit & circulando redigit in menstruum admirabile, hoc modo.*

Cir-

49. Circulatum majus vel acetum acerrimum Lullii,

In Experimento XXV.

℞. MEnſtruum vegetabile ſimplex de tribus individuis *ſuperiùs ſub* No. 26. *deſcriptum.* Deinde recipe lunam, eam calcinabis cum mercurio, deinde illud præcipuè advertas, ut ex luna calcinata mercurius totus removeatur; ac eodem modo calcinabis ſolem cum mercurio, poſteà totus mercurius removeatur ab eo prorſùs: Singula hæc duo corpora ſingulis per ſe ſeparatim patellis vitreis ſtatue, ac illis ſingulis per ſe ſeparatim ſuperfunde de melle deſpumato, miſcendo optimè calces duorum corporum cum melle ſuper cineres, ut bulliat. Poſteà aquâ deſtillatâ calidâ lavando, ab ipſis calcibus mel ipſum removebis, & calces remanebunt in fundo vaſis. Pòſt ipſas calces melle iterum commiſcebis bulliendo, ut ſuprà, ac cochleari commiſcendo, ut ſuprà; atque hoc pacto ter tuum opus iterabis tam in calce lunæ, quàm ſolis. Accipe poſteà hæc duo corpora calcinata & lota, & conſtitue in vas ſolutorium per ſe ſeparatim, & illis ſuperinfunde de menſtruo ſuperiori cœlificato (*de tribus individuis*) tantum, ut ſupernatet tribus digitis, claude vas antenotorio, juncturis optimè clauſis cum cera gummata, ut nullo modo reſpirare poſſit: Statue illum in balneum per diem naturalem, ut leniter bulliat, poſtmodum per duos alios dies pone ſuper cineres, ſine ut leniter bulliat, ut ſuprà. Tum partem ſolis, quæ diſſoluta fuerit, ſeparatim in aliud vas per ſe evacuando transferas, quæ ſolutio coloris erit flavi. Sic etiam diſſolutionem lunæ per ſe ſeparatim elicias & transferas in aliud vas proprium, quas diſſolutiones ſingulas ſingulis in vaſis, ut ſuprà, in balneo conſervabis. Lunæ autem diſſolutio erit coloris cærulei vel viridis. Terram verò tam ſolis quàm lunæ inſolutam deſicca ſuper cineres: Quo facto, iterum cuique ſuperinfunde de novo menſtruo circulato, & clauſo vaſe antenotorio, ut ſuprà, in balneum collocabis, & leviter bullire facias, ut ſuprà, poſteà eandem bullitio-

ſitionem proſequere ſuper cineres: Poſtremò diſſolutionem cujuſque corporis, ut ſuprà, decantabis in ſuum vas transferendo, ubi ſuperiores aliæ diſſolutiones ſervatæ fuerint per ſe ſeparatim. Hoc autem magiſterium toties iterabis, quouſque ſol totus & luna tota diſſolventur. Has verò diſſolutiones per ſe ſeparatim putrefacias ſpatio 40 dierum, putrefactione facta ſingulas diſſolutiones ſingulis urinalibus ſeparatim conſtitue cum alembicis, & recipientibus obſtructis, juncturis quamoptimè clauſis, ac in balneo priùs deſtillabis totum menſtruum, corpora verò remanebunt in forma olei. Deinde iterum illis ſuperfunde tantum de ſua aqua, jamdudum deſtillata, ut ſupernatet tribus digitis; claude vas antenotorio, & pone in putrefactione per 24 horas, quibus exactis amove antenotorium, & ſuperpone alembicum cum ſuo recipiente, & juncturis clauſis deſtillabis lento igne per cineres. Ultimò augebis ignem aliquantulùm, ut in aquam tranſeat aër (*ſpiritus animatus.*) Poſtremò itidem majori ignis gradu urgebis, donec in aërem tranſcendat ignis (*anima magis viſcoſa*) frigefactis vaſis ſuperinfunde iterum remanenti materiæ de nova aqua ſervata, ſpiritu animato priùs cujuſque corporis in ſuo recipiente bene clauſo, ne reſpiret, claude iterum urinale cum antenotorio, putrefaciendo, ut ſuprà, ac poſtremò per cineres deſtillabis ut ſuprà, ultimò, ut ſuprà, ignem augebis. Sic magiſterium iterabis toties, quouſque utraque corpora ſolis & lunæ ſeparatim per aëream revolutionem tranſmittantur per alembicum. Quod ſi tota hæc corpora non tranſibunt per deſtillationem, parùm quidem remanebit, quod ſervato pro reliquis experimentis. Cæterùm accipe ipſum ſpiritum animatum ſolis, illum rectifica per ſe ſæpiùs per cineres, ſed cave, ne quicquam removeas de terreſtreitatibus, quæ ſingulis rectificationibus remanebunt in fundo vaſis, imò potiùs ſemper ſuper eaſdem feces deſtillatam aquam reducito, quouſque ad plenum ſepties peregeris opus. Eundem autem ordinem ſervato in rectificatione aquæ lunatæ animatæ ſuperiùs ſervatæ.

His denuò peractis, conjunge has duas aquas inter ſe invicem, quæ conjunctio dicitur patris & matris, maſculi & fæminæ, viri & mulieris. Atque ſic habebis majus menſtruum animale, vegetabile & minerale ſimul junctum. Ac tria hæc in unam ſubſtantiam redacta, quod quidem in vaſe firmiter clauſo,

ſo, ita ne reſpiret, per 60 dies circulabis; peracta circulatione habebis menſtruum majus, deductum in actum, cujus tanta eſt potentia, ut nullo ſermone poſſit efferri. Hoc ergò eſt menſtruum illud admirabile, quod corpora cuncta diſſolvit, cum conſervatione formæ vegetativæ & tranſmutativæ. Hoc, inquam, eſt illud menſtruum in ſe tantum odoris & fragrantiæ continens, ut nihil conferri poſſit. Hoc denique eſt menſtruum reſolubile, quod innumeris penè nominibus appellârunt ſapientes, acetum acerrimum, quod aurum convertit in ſpiritum. Hæc eſt Aqua ſicca, Aqua ſolis, & Aqua vitæ.

Pariſinus menſtruum hoc quod aliàs mercurium majorem vel menſtruum compoſitum vocat, hac methodo confecit.

50. Circulatum majus Pariſini,

In Apertorio cap. G.

℞. Lunæ optimæ & calcinatæ uncias tres, ſolis etiam juxta cap. H. (*in quo calcinationes metallorum deſcribuntur more communi*) calcinati uncias duas, ſingulis per ſe in ſuo vitro poſitis affunde E. circulati ſive quintæ Eſſentiæ ſimplicis (*melle acuatæ; id eſt, cœli melliflui ſub* No. 10. *deſcripti*) ad quatuor digitorum ſupereminentiam. Vaſa alembicis ſuis cæcis clauſa pone in balneo per duos, & in cineribus per alios duos dies. Cùm videris aquas quodammodò tinctas, has decanta, & diſſolutiones per ſe ſerva optimè clauſas in balneo, calcibus indiſſolutis iterum ſuperaffunde E. digerendo, decantando & repetendo toties, donec ſolare & lunare corpus fuerint reducta in liquidam ſubſtantiam. Tum deſtilla compoſitum (*diſſolutionem*) ſolis & compoſitum lunæ in balneo, & corpora remanebunt in vitri fundo inſtar olei. Aquis verò in balneo abſtractis à dictis luminaribus, injice ſulphur vegetabile juxtà ſolis & lunæ pondera, & ſpatio duorum dierum diſſolvetur in balneo, quamprimùm autem ſulphur dictum in quolibet ſuo vaſe fuerit diſſolutum, quodlibet affunde ſuo oleo metallico. Ne autem erres, ſcias ſulphur tuum diſſolutum eſſe iſtud, cujus præparationem docuimus *in cap. L.* hoc videlicet, quod extractum eſt à vino (*phil. aliàs ſal harmoniacum vegetabile dictum*

ctum.) Pone vasa in putrefactione per octo dies, tum abstrahe aquas in balneo quamlibet per se, tum novæ aquæ affunde ad supereminentiam duorum digitorum, claude vasa alembicis cæcis, & digere per diem in balneo, tum appone alembica ordinaria, & destilla leniter ex cineribus aquas, posteà auge ignem, ut aër etiam ascendat in aquas. Vasibus frigefactis, affunde novam aquam singulis residuis, claude alembicis cæcis, digere in balneo per noctem, posteà destilla in cineribus, ut anteà hoc toties repetes, usque extraxeris totum succum duorum luminarium, serva terras. Sed signum infallibile erit, si ejus parùm fuerit projectum super laminam ignitam, non fumet, quoniam dicta terra erit exanimata, ambas has terras invicem mixtas serva in digestione cinerum, ad recipiendum suos mercurios (*aëres, sive essentias destillatas*) utì docebimus *in cap. L.* (*in confectione salium harmoniacorum mineralium, vel metallorum auri & argenti.*) Jam recipe succos ambos dictorum luminarium, id est, illorum animas vel mercurios, jam destillatos per alembicum, & conjunge invicem destillando per alembicum in cineribus, si verò remaneret quædam limositas terræ, hanc superioribus reservatis adde, & hoc facies sexies, semper removendo limositates. Recipe vas amplum, vel cucurbitam cum alembico unius facturæ, in quo funde menstruum tuum compositum, claudendo orificium operculo vitreo, albumine ovi, calce viva, & chartâ bibulâ, hoc exsiccato, luta deinceps nostro bitumine ex ana picis, ceræ & mastichis, confecto, & pone ad circulandum in balneo physico, utì tibi monstravimus in ædibus magistri Angelo in urbe famosa Veneta, cum conficeremus menstruum simplex circulatum. Et circuletur per 40 dies naturales, his præterlapsis videbis menstruum nostrum vel mercurium cristallo splendidiorem, & quovis odore magis odoriferum. Hoc menstruum, fili, potestatem habet dissolvendi duo luminaria, & reducendi de potentia in actum, & scias hoc solo, addito tamen ejus fermento rubeo vel albo, circulando conficies particularia projectionis magnæ. Hoc illud est de quo tractavit Raymundus Lullius, dux noster, in sua Epistola accurtatoria inquiens: Dissolutione solis peracta, & aqua inde abstracta in balneo, scias aurum factum esse spirituale, & irreducibile in pristinum suum corpus, cui si addas centum partes mercurii vulgi, hunc congelabit in aurum

verum; ulterius fili, si dictum aurum congelatum in gummi dissolvatur in aqua quadam, & detur patienti cujuscunque etiam infirmitatis, in admodum paucis diebus redibit in suum bonum temperamentum. Canitiem & cætera senectutis signa removet, restaurat pristinam juventutem, & conservat sanitatem usque ad terminum à Deo æterno præfixum. Scias etiam, si descripturus essem miracula singula (& sanè hæc miracula facilè dicenda veniunt,) & singulos effectus, mercurio hoc peractos, de quibus, ut memini, satis tibi viva voce declaraverim, & exposuerim varia dicta ducis nostri in libro quintæ Essentiæ, &c.

Ex Receptis annotamus,

1. *Menstrua hæc antecedentibus omnibus esse fortiora, utpote aridis melioribus acuata, ideóque non extrahere rerum essentias, sed totum corpus dissolvere in magisterium.*

2. *Menstrua hæc esse metallorum & mineralium magisteria, adeóque medicamina.*

3. *Variis ea & diversis jam nobis cognitis modis confici.*

4. *Salia harmoniaca metallorum confici per modos salium vegetabilium.*

5. *Quodlibet istorum propriè dici* mercurium philosophorum, *vel* mercurium mercurii, auri, argenti, ferri, *&c.* sublimatum; mercurium antimonii, sulphuris communis, *&c.* sublimatum, *quoniam mercurii sublimati vulgi instar, facillimè resuscitatur aquâ calidâ vel aceto, in argentum vivum currens auri, argenti, ferri, antimonii, &c. quemadmodum librorum sequentium exemplis certiores futuri sumus.*

6. *Menstrua vegetabilia simplicia, ceu aquas permanentes, etiam permanere cum rebus metallicis, iisdémque adhærere perfectissimè non pro medicinis tantùm, sed pro lapidum quoque pretiosorum confectione, imò tincturarum tam particularium quàm universalium. Quoad menstrua vegetabilia simplicia quòd extrahant vegetabilium essentias, eadémque composita, quòd conficiant magisteria pro usu medico, facilem impetrabimus assensum; unctuosum verò & summè inflammabilem vini phil. spiritum ex vegetabilibus & animalibus combustibilibus confectum, tincturæ alicujus alchymicæ esse constitutivum, assertio omninò paradoxa vi-*

pretiosorum

videbitur. Idcircò admonendi sumus adeptos rejecisse quidem vegetabile & animale quodcunque combustibile, ceu inutile quid pro tincturis suis: vegetabilium verò & animalium elementa purificata, & incombustibilia reddita vel in ipso opere incombustibilitatem assumentia, sprevisse nunquam; quanquam, declaraverint ea esse (absque lapidis fermento) insufficientia, quemadmodum & metalla sola absque menstruis his. Metallis igitur permixta efficiunt tincturas tam particulares quàm universales pro metallis, testante Ripleo qui dicit: Si tu studes conficere aurum & argentum arte philosophica, ad illud nec ova nec sanguinem accipias, sed aurum & argentum, quæ naturaliter & prudenter calcinata sunt, & non manualiter. Novam enim generationem forâs producunt augentia suum genus, ut omnes aliæ res naturales. Quod si verum esset, ut quisque posset perficere in rebus non metallicis cum emolumento, in quibus colores reperiuntur aspectu jucundi, ut in sanguine, urina, ovis & vino, aut in mediis mineralibus effossis ex fodinis; attamen necesse esset, illorum elementa primò putrefacere, & cum elementis corporum perfectorum matrimonio conjungi. *Libr. 12. portar. porta* 1. Elixir, *pergit*, non debet fieri ex vino, in quantum est vinum, neque ex ovis, capillis, aut sanguine, in quantum sunt ova, capilli, aut sanguis, sed solummodò ex elementis, ideò investigare debemus, ut habeamus elementa in excellentia suæ simplicitatis, & rectificationis. Nam elementa, ut dicit philosophus Bacon in suo speculo, sunt radices & matres omnium rerum viventium.

Verum tamen elementa supradictorum non intrant in opera Elixirium, nisi per virtutem & commixtionem cum elementis spirituum (*quorum quatuor recensent: Argentum vivum, sulphur, arsenicum & sal armoniacum com.*) & corporum metallicorum, atque ita, ut dicit *Rogerius Bacon*, intrant & perficiunt magnum Elixir. *Med. phil. Chym. cap.* 3. Nos, *inquit ulteriùs*, accipimus neque de primis principiis, eò quod sunt nimis simplicia, neque ex ultimis, quia sunt grossa & fæculenta, sed tantùm de mediis, in quibus est tinctura, & verum oleum separatum ab immunda terrestreitate & aquâ phlegmaticâ; ideò dicit Raymundus in hunc modum: Unctuosum humidum est materia proquinqua nostri argenti vivi physici. Et quamvis ita sit, quòd corpora illa, in quibus ii mercurii abscondun-

duntur, vendantur palàm ab Apothecariis vili pretio, juxta sententiam philosophi in hunc modum dicentis: Sulphura nostra sunt nobis ab Apothecariis comparata vili pretio, tamen nisi intelligas artem separationis elementorum juxta doctrinam Aristotelis in epistolà ad Alexandrum libro de secretis secretorum, ubi dicit: Separa subtile à grosso, rarum à spisso, & quando habueris aquam ex aëre, aërem ex igne, ignem ex terra, tunc habes plenam artem: Nisi hoc inquam intelligas, parùm aut nihil efficies in opere meo. *Pupilla alchym. pag.* 298. *Pluribus hæc probare non hujus loci est, sufficit igitur nobis pauca hæc quasi per anticipationem, libris sequentibus de hac veritate fusiùs tractaturis.*

7. *Nomen* (Ignis Gehennæ) *menstrui Trimosini menstruorum mercurialium proprium esse & commune. Argentum enim vivum calidissimæ, imò igneæ naturæ esse affirmant adeptorum plurimi; pauci negant, pro metallo id frigidissimo habentes.*

Ex affirmantibus ipse celsus fuit Paracelsus, inquiens: Compertum habemus, mercurium interiùs caloris maximi esse, & nulla ratione aliâ quàm frigore maximo coagulari posse. *Libro.6. Archid. magis.* Quotquot mercurium humidæ frigidæque naturæ esse judicant, aperto errore victi sunt, quia est de sua natura summè calidus & humidus; cujus occasione semper & perpetuò fluit. Nam si humidæ frigidæque naturæ esset, aquæ congelatæ similitudinem haberet, sempérque durus & solidus existeret, ignísque calore ut alia metalla, ipsum liquefieri foret necesse, quo quidem non indiget, cùm liquationem & fluxum habeat ex proprio calore sibi naturaliter insito, qui tenet ipsum in fluxu perpetuo, vivúmque facit, ut nec mori neque congelari queat. *Cœlum phil.* §. *de calore merc. pag.* 124. Nullum huic liquefactioni (*fluxui argenti vivi*) multò minus ejus origini potest inveniri nomen, quo vocetur, & quia calor nullus tam vehemens, qui huic æquiparari possit, Ignis Gehennæ illi comparari debet. *Cœlum philos. can.* 1. 121.

Basilius idem docuit, inquiens: Quoniam mercurio igneus spiritus sulphuris incorporatus est invisibiliter, ideò sese in fluxu conservat, neque coagulari potest, &c. Mercurius enim merus est ignis, unde à nullo igne comburi potest, nullus ignis ipsum attingit, ut ipsum prorsus destruat, aut enim, &c. *Currus Triumph. Antimonii* 40.

Et

Et Sendivogius: Ego ipse mercurius ignis sum, &c. spiritus meus & spiritus ignis amant se, & quoad potest, unus comitatur alterum, &c. si quis ignem cordis mei noverit, vidit ignem cibum meum esse, & quo diutiùs ignem spiritus cordis mei comedit, pinguior erit, cujus mors posteà vita omnium rerum est, &c. ignis sum intùs, ignis mihi cibus est. *Dialog. mercurii pag.* 515. *Volum.* 4. *Th. Chym.*

Ripleus per res calidissimas Lullii, (*menstruum vegetabile acuentes, sine quarum virtute, non sit sufficiens dissolvere metalla nisi longo tempore*) *mercurium intellexit*: Cogor, *inquit*, dicere, quòd hæc omnia, quæ Raymundus loquutus est (*de rebus calidissimis*) cooperta & tecta sunt pallio philosophiæ, nam animus illius est, ut dissolutio fiat cum spiritu vini, sed intentio quoque illius est, quòd in hoc spiritu (*vini phil.*) habeatur aliud menstruum resolubile, quod solummodò ex genere metallorum est. *Medul. phil. p.* 168. Est enim aqua Raymundina, de qua Maria prophetissa sic: Fac aquam tuam, sicut aquam currentem ex duabus Zaiboth (*mercuriis*) minerali & vegetabili divinitùs elaboratam, hoc est, simul circulatam in cristallinam aquam, &c. quia, ut dicit Raymundus. Cùm sit in mercurio punctum igneitatis, cujus potentia fit dissolutio, oportet, ut hoc animetur aqua mercurii vegetabilis, aliâs dissolvere rem nullam potest. Et hæc est aqua habens omnia illa, quibus indiges, & virtute ejus reformantur margaritæ. Et hæc aqua vegetabilis composita, ratione mercurii (*mineralis*) dissolvit statim omne corpus; & ratione vegetabilitatis (*menstrui vegetabilis*) suæ, revivificat omne corpus; & ratione suæ attractivæ virtutis (*symbolicæ naturæ*) facit oleum de omni corpore, & mercurius trahit ad se suum simile, scilicet mercurium corporis. De hac aqua dicit Raymundus in *Compendio Art. Transm. ad Regem Robertum.* Noveris, o Rex serenissime, nostrum lapidem non nisi ex solo argento vivo fieri, scilicet ex vegetabili & minerali componi. Et ideò antiqui philosophi dixerunt, lapidem non componi nisi ex una re sola, hoc est, argento vivo. *Viatic. pag.* 345.

Propter hanc argenti vivi igneam naturam, aquæ mercuriales dictæ sunt ignes Gehennæ. Ob aquam mercurialem, specificum corrosivum dictum fuit à Paracelso Ignis Gehennæ. Libro de specif. pag. 29. *Circulatum majus ex mercurio præparatum*

ve-

vocat ignem viventem, summum ignem, & cœlestem ignem.

Si in actum deducere vis, *inquit*, (*vitam occultam antimonii in ejus regulo*) oportet ut illam vitam suscites cum suo simili igne vivente vel aceto metallico, in quo igne à pluribus philosophis multifariam processum fuit. Quoniam verò in fundamento consenserunt, omnes ad scopum destinatum pervenerunt, &c. Ignis tamen ille seu corporalis vita in mercurio vulgi multò perfectior ac sublimior reperitur, quod manifestè suo fluxu testatur, esse nempe in eo summum ignem, cœlestémque vitam absconditam; quapropter quicunque metallicum suum cœlum (*arcanum lapidis sive antimonii*) ad summum graduare cupit, & in actum reducere, ipse debet primò ex corporali vita (*mercurio vulgi*) primum Ens liquidum tanquam cœlestem ignem, quintam essentiam & acerrimum acetum metallicum extrahere, &c. *Libro X. Archid. cap. 6. pag. 39.*

Ex negantibus, qui mercurium frigidæ naturæ esse statuunt, est imprimis tam doctrinâ quàm genere illustris Bernhardus, dum dicit: Cùm ipse mercurius componatur ex quatuor elementis, calefactis igitur istis à communibus & generalibus, per suum proprium motum naturalis calor excitatur, ab ejusmodi motione pariter ignis & aër existentes in mercurio moventur & sensim elevantur, cum digniora sint elementa, quàm aqua & terra mercurii, nihilominus humiditas & frigiditas dominantur, &c. *Libr. Alchym. pag. 766. Volum. 1. Theat. Chym.* Argentum vivum cum sit frigidissimum potest reddi calidissimum brevi tempore, & eodem modo temperatum potest fieri cum temperatis subtilissimo artis ingenio. *Epist. ad Thomam pag. 57. Art. aurif. Notatur porrò Arnoldus de Villa nova dixisse libro, quem Rosarium nominavit, quòd mercurius crudus, id est, argentum vivum, quod suâ naturâ sit frigidum & humidum, per sublimationem efficiatur calidum & siccum, deinde per revivificationem fiat calidum & humidum simile complexioni humanæ, &c.* Ubi dicit: Ille Arnoldus quamvis in aliis scientiis fuerit reverendus Doctor & ingeniosus, in hac tamen arte fortè experimenta sine causarum doctrina tractavit.

Quòd autem in prima purgatione spiritum crudum (*argentum vivum*) à minoribus mineralibus salsuginosis sublimari dicit, & quod ipse mercurius, qui suâ naturâ frigidus est & humidus, efficiatur pulvis naturâ calidus & siccus, ut ait;

hoc

hoc quidem operi nostro philosophico nihil prodest. Sed posito, quòd ex mercurio talem faciat pulverem, qualem dicit, utpote per sublimationem à salsuginosis exsiccatum & calidum: Illæ tamen purgationes vanæ sunt & impertinentes, imò nocivæ ad opus nostrum perficiendum, &c. Et si instando dicatur, quòd sicut per scoriarum mercurii purgationes, dictus Arnoldus sublimando exsiccavit; sic etiam, ut dicis Thoma, per revivificationem ipsum humectavit, & ipsum mercurium reddidit calidum & humidum, conformem suo (*humano*) corpori in natura. Hoc quidem non obstat, mi Doctor reverende, nec veritatem artis philosophicæ impugnat, imò magis error in arte naturali apparet. Nam, ut clarum est, Arnoldus docet, (si sonum verborum spectes) mercurium sic exsiccatum per aquam ferventem, in quam projicitur, revivificari, & dicit effici calidum & humidum, cùm primùm sublimatus esset calidus & siccus. Sed quis verè philosophus diceret, mercurium vel aliud metallorum per aquam simplicem, quantumvis calidam & ferventem, internâ qualitate in natura mutari, sed humiditatem sibi naturalem acquirere, & sic revivificari? Nihil ergo in hac revivificatione acquirit mercurius, propterea quòd aqua communis ipsum non decoquit, nec alterat: Quia ipsum non intrat, nec ingreditur, & quod non intrat & ingreditur, non alterat; quia omne alterandum primò est permiscendum. Potest siquidem talis aqua quasdam scorias supernatantes in mercurio abstergere ab eodem, sed novam qualitatem illi infundere non potest. Qualem enim naturam mercurius retinuit in pulverem redactus & mortificatus per sublimationes, talem omninò naturam servabit per aquam revivificatus. Hoc autem in reverentiam & honorem dicti Arnoldi dictum esse volo: Sed naturæ veritatem & experimentum contemplor & defendo. *Circa finem Epistolæ ad Thomam.*

Verùm quicquid sit, prudentiæ nostræ est, nullis adhærere opinionibus cujuscunque etiam sint authoritatis, sed veritati soli. Quo respectu argentum vivum neque frigidum nec calidum esse dicimus, eò tamen quod sit facilioris dissolutionis, quàm cætera metalla, huic generi menstruorum esse aptissimum; Aquas verò mercuriales inde præparatas, ex libertate chymica, ignes Gehennæ dici posse, quamvis adepti præter has aquas etiam alia men-

ſtrua ignem infernalem nominaverint, cujuſmodi eſt acetum acerrimum Riplei in ſexto genere. Quod verò Arnoldus Lullii magiſter de ſua argenti vivi reductione in primam materiam ſive eſſentiam, non ſatis intellectus fruſtráque notatus fuerit à Bernhardo per aquam ferventem, communem bullientem intelligente, ſequentia probant ex ipſo textu deprompta argumenta. Arnoldus librum ſecundum Roſarii ſui *diviſit in quatuor opera principalia, ſcilicet ſolvere, abluere, reducere & figere. Uti patet ex* cap. 1. prædicti libri. *De primo opere, videlicet lapidis diſſolutione* cap. 2. *ita:* Lapidem ſiccum & groſſum (*aurum vel argentum*) diſſolvere oportet in argentum vivum, ut in ſuam reducatur materiam primam. Et hoc totum ſolùm fit per argentum vivum, eò quòd ipſum ſolum habet ſolem & lunam ad ſuam materiam vel materiam primam redigere. Sed quia argentum vivum habet in ſe fæculentiam terream, & aduſtibilem abſque inflammatione & aqueitatis ſubſtantiâ, neceſſe eſt ſuperflua demere, & abſentia ſupplere, ſi plenam medicinam volumus. Terrenam autem fæculentiam oportet omninò per ſublimationem demere, &c. *Hanc mercurii ſublimationem vel depurationem deſcribit ſequenti capite tertio.* Ingenium (*modus*) igitur ipſius terreæ ſubſtantiæ ſuperfluæ remotionis eſt, ipſum ſemel vel bis ſublimare à vitro (*vitriolo olim ſic dicto*) & ſale, donec ipſius albiſſima ſumatur ſubſtantia. Cum verò albiſſima aſcenderit, projice in ſerventi aqua, donec redeat in argentum vivum. Poſt tolle ab eo aquam, & operare cum eo, quoniam non eſt bonum operari cum ipſo, niſi priùs hoc modo purgetur, unde dicit Avicenna: Primum incipere eſt, ut ſublimetur mercurius, poſteà ſolve eum, ut redeat in primam materiam ſuam, & ſublima totum. Tunc in hoc mercurio mundo mitte corpora munda æquali lance librata, &c.

Si ſonum verborum ſpectemus, Bernhardus merito ſuâ longa argumentatione correxit Arnoldum; ſed ſi ſenſum verborum, hic nihil eſt correctione dignum. Aqua fervens, menſtrui Arnoldini nomen, eſt ſummum iſtud & ferè unicum, quod in tota libri practica occultatum eſt ab Arnoldo, quod ſi manifeſtaſſet, totam ſecretiorem Chymiam proſtituiſſet. Quòd verò non communem intellexerit aquam ferventem probatur ſequentibus.

1. *Au-*

1. *Aurum vel argentum dissolvendum est in argentum vivum sive materiam primam, primum Ens, essentiam, &c. per argentum vivum non vulgi, sed philosophicè præparatum. Nihil aurum reducit in primam materiam, quàm prima materia, uti hîc prima materia mercurii vulgi, mercurius mundus sive mercurius mercurii. Regulam habent adepti, quòd prima materia primam materiam præparet: Itaque sicut mercurius mercurium, essentia essentiam, & magisterium magisterium; ita mercurius philosophorum solis vel lunæ, seu primum Ens, Essentia, &c. præparari non potest nisi mercurio philosophorum, primo Ente seu Essentiâ quadam; quare in hoc recepto intelligimus per aquam ferventem, mercurii essentiam, minimè vero communem aquam calidam.*

2. *Argentum vivum mundum, sive prima materia mercurii per aquam ferventem confecta ex argento vivo sublimato, mercurius currens esse nequit, quoniam in forma liquoris est. Nam,*

Primò, Dissolutio auri cum mercurio mundo facta filtranda est. Vice post vicem contere, & imbibe, & coque in balneo, post destilla per filtrum quousque transeat ipsum (*scilicet dissolutum metallum in menstruo.* cap. 3.)

Secundò, In auri dissolutione tinctura tantùm extrahitur relicto corpore. Esto, longanimis, *inquit*, & non festinanter extrahas tincturam, nec festinanter aut velociter quæras perficere, quia primus error in hac arte est festinatio, &c. Corpora soluta ad naturam spiritûs sunt redacta, & nunquam separantur, sicut nec aqua mista aquæ, quippe quia natura naturâ lætatur, quum sponsa cum sponso copulatur; quæ verò non dissolvuntur, non habent partes subtiles, nisi mollificentur. Ideò charissime, indiges, ut in dissolutione lapidis labores, scilicet partes suas puriores disgreges ab ipsis, ut gravioribus partibus abjectis opus cum levioribus perficiatur. *Cap.* 3.

Tertiò, Mercurius sive prima materia auri, mercurio mundo præparata liquida etiam est. Cap. 3. Principium operis nostri est dissolvere lapidem nostrum (*aurum vel argentum*) in mercurium vel in aquam mercurialem *cap.* 4. *non mirum ergò si mercurius per aquam ferventem præparatus dicatur aqua:* Ex-

pedit, *inquit*, corpora solvere per aquam, id est, per argentum vivum. *cap.* 3.

Quartò, *Quoniam ab omni re extrahit oleum.* Pone, *inquit*, super substantiam corporis, cujus oleum extrahere volueris, purissimi mercurii tantum, ut superemineat quatuor digitis vel plus, quod melius est, deinde accende sub eo ignem lentum; donec videris ejus oleum, id est, aërem, paulatim ascendere seu elevari super mercurium; collige eum cautè, & serva seorsum, &c. *cap. X.*

3. *Processus hic Arnoldi ordinarius est, & modus separationis elementorum dictus ab Adeptis, qui absque menstruo vel vegetabili vel minerali non confici potest.*

4. *Aqua fervens apud Adeptos nomen usuale menstrui est.* Dissolve, *inquit Lullius*, solem purissimum in aqua sua ferventi, posteà separa phlegma, & remanebit sol inferiùs, &c. *Codicill. cap. XLIII. pag.* 203. Iste ignis comburit aurum magis quàm ignis elementalis, quia continet in se calorem naturæ terrestris, & resolvit sine aliqua fortitudine (*vi*, *effervescentia*, *vel corrosione*) quod non potest facere ignis communis, ideò tibi præcipimus, quod de rebus magis calidis, quas habere poteris, facias magisterium; & habebis aquam calidam, quæ resolvit omnem rem fortem. *Vade mecum, pag.* 272.

Quam phraseologiam ipse non nescivit Bernhardus, ex Morieno: Qui scitote, *inquit*, nostrum Latonem esse rubeum, sed inutilis nobis existit, usque dum albus fiat. Scitote etiam aquam tepidam (*calidam*, *ferventem*, *unius menstrui synonyma*) penetrare ac albifacere, quemadmodum ipsa est (*alba*) & ignem humidum vaporosum omnia operari; rursus Bendegid, Johannes Mehungus & Haly: Vos qui dies & noctes quærentes, vestras dilapidatis pecunias, facultates & opes vestras consumitis, atque tempus, inutiliter torquetis ingenia vestra circùm librorum subtilitates, admonitos ex charitate volo, per compassionem, velut pater motus ergà filium, ut, inquam, albificetis Latonem rubeum per aquam albam suffocatam & tepidam, cæterùm frangite tot sophisticos libros, tot regimina, tantásque subtilitates relinquite; mihi credite, ut bene sit vobis. *Libr. Alchym.* 770.

5. *Ar-*

5. *Arnoldi aquam ferventem fuisse menstruum aliquod vegetabile simplex probatur ex nigredine dissolutionis*; collige, *inquit*, ad partem supereminens nigrum, quoniam illud est oleum ac verum dissolutionis signum, quia quod est solutum, pervenit ad sublimitatis finem, unde separatur ab inferioribus ascendens sursum, & petens altiora loca. *cap. 3. Rosarii.*

Hæc autem salvâ reverentiâ & honore Bernhardi dicta volumus; veritatem & Arnoldi experimentum contemplamur & defendimus.

IX. Genus.

IX. Genus.

Menſtrua vegetabilia compoſita ex menſtruis vegetabilibus ſimplicibus, & rebus tingentibus priùs fixatis.

51. Circulatum majus, ſive acetum acerrimum metallicum Paracelſi,

Lib. X. Arch. pag. 38.

SI mercurius vulgi in primum Ens liquidum reduci debeat, tunc eſt ante mortificandus, & formâ ſuâ exuendus, idque fit per varias ſublimationes cum vitriolo & ſale communi, ut poſtremò fiat inſtar criſtalli fixæ. Deinde ſolve illum in ſua matrice nempe in primo Ente ſalis (*circulato minore ex ſale, ſive aqua ſalis circulati ſuperiùs ſub* No. 27. *deſcripta*) putrefac per menſem: Corrumpe cum novo Arcano ſalis (*circulato minore*) ut impurum in fundo præcipitetur, purum verò in criſtallos vertatur. Lapillos ſublima in reverberio clauſo, cum ſublimatum eſt inverte ſemper, quouſque in ruborem deveniat, ſublimatum hoc extrahe cum ſpiritu vini ad ſummum rectificato (*vini phil.*) ſepara ſpiritum vini (*deſtillando*) reliquum (*tincturam ſiccam vel crocum mercurii*) ſolve ſuper marmore (*per deliquium*) & digere per menſem, affunde novum ſpiritum vini, digere ad tempus & deſtilla; Tunc Arcanum primi Entis mercurii in liquida ſubſtantia tranſcendet, quod à philoſophis acetum acerrimum metallicum, & in noſtris Archidoxis circulatum majus appellatur. Idémque de antimonio, gemmis, cæteríſque metallis intelligendum eſt.

An-

Annotationes.

M*Agna inter genus hoc & antecedens est differentia, licèt ambo tractent de aquis mercurialibus. Antecedentes ex mercurio crudo compositæ erant. Circulatum hoc Paracelsi ex mercurio quidem, sed fixato priùs, conficitur. Antecedentes erant limpidissimæ; circulata hæc majora clarissima quidem sunt, sed insuper rubicundissima, adeoque antecedentibus, in suis tincturis longè præstantiora. Receptum considerabimus in sua membra divisum, in quorum primo, argentum vivum toties sublimat Paracelsus, donec fiat instar cristalli fixæ, id est, instar cristalli mineralis sive communis, pellucidus & clarus. Hoc membrum uti commune, ita minùs necesse est explicari.* Libro de Renovat. & Restaur. *Mineram auri vel antimonii tritam tantummodò accipit pro eodem opere, quæ tamen corpora magis occlusa sunt quàm metallum apertum, mercurius; hinc istud etiam absque sublimatione satis aptum esse videri potest pro dissolutione in circulato sale. Ad Recepti elucidationem addemus descriptionem* libri de Renov.

℞. Mineralis auri vel antimonii minutissimè triti libram unam, salis circulati libras quatuor. Mixta simul digerantur in equino fimo per mensem; inde fiet aqua, cujus ab impuro separetur purum, hoc in lapidem coagulato, quem vino cenificato (*lenificato*) calcinabis, & separabis iterum, & super marmore solves. Aquam hanc putrefieri finito per mensem, inde fiet liquor, in quo signa fiunt omnia, ut in Ente primo auri vel antimonii. Quare meritò primum Ens vocamus earum rerum. Non secùs de mercurio, necnon aliis intelligendum erit.

In membro secundo mercurium ita sublimatum dissolvit in sale circulato, primo Ente salis, Arcano salis, Aquâ salis circulati (synonyma circulati minoris Paracelsi) putrefacit vel digerit, præcipitat cum novo circulato sale, filtrat, tandémque in cristallos, sive vitriolum philosophicum redigit. In Recepto libri de Renov. *rerum pondera addit:* Recipe, *inquit*, mineræ auri vel antimonii libram unam, salis circulati libras quatuor, *& porrò digerit, & impurum à puro separat, & in cristallos coagulat. Aliquando dissolvit corpora menstruo quodam mineralis,*

quod

quod bis vel ter abstrahit ab iis, optiméque ab omni aciditate, aqua communi pro posse edulcorat iterum. Ita sulphur commune dissolvit in fortissima aqua forti (aqua regis, Paracelsi in 18 genere describenda) ter cohobat in materiam nigram, quam aquâ destillatâ edulcorat. Libro de morte Rerum.

Perinde enim est, ac si aurum vel antimonium circulato minore tantùm dissolvantur, & redigantur in vitriolum philosophicum; vel si argentum vivum, ob temporis abbreviationem, in sui sublimatione, salium acido priùs impregnetur, adeóque pro opere magis apertum reddatur, & deinde circulato minori commisceatur, digerendo & præcipitando purificetur, tandémque redigatur in vitriolum philosophicum; vel si ob majorem temporis accurtationem, sulphur menstruo minerali, id est, acido & circulato minori invicem permixtis, commisceatur, posteáque liberetur ab acido, ita ut cum circulato minore fiat idem vitriolum philosophicum, quocunque enim modo fit vitriolum phil. at de his vitriolis inferiùs in menstruorum mineralium Receptis.

In membro tertio, lapillos seu cristallos mercurii sublimat toties in reverberio clauso, (id est, ovo philosophico) semper invertendo istud, donec vitriolum mercurii figatur tandem in præcipitatum rubicundissimum. Membrum hoc illustrabunt sulphuris & antimonii sublimationes in reverberio clauso. Abstracta fortissima aqua forti aliquoties à sulphure, materiam residuam inde nigrefactam optiméque edulcoratam reverberat (*id est, sublimat in reverberio clauso & cum sublimatum sit, invertendo reverberium clausum, sive ovum phil. toties & semper, quousque in ruborem deveniat*) sicut, *inquit*, antimonium, tum fiet primò album (*sublimatum*) posteà flavum, tertiò rubrum (*præcipitatum*) ut cinnabaris. Quo habito gaudere debes. Est enim initium divitiarum tuarum. Hoc reverberatum sulphur tingit altissimè quamlibet lunam in præstantissimum aurum, & corpus humanum in suam summam sanitatem plus quàm scribere licèt, tantæ virtutis est hoc reverberatum (*nota*) fixatum sulphur. *Libro de morte Rerum pag. 95. Antimonii reverberatio extat* pag. 67. Chyr. majoris. *Ita,*

℞. Antimonii in subtilissimùm Alcool (*in vitriolum philosophicum cum circulato minore*, per modum mercurii *in circulato majore; vel in materiam nigram & edulcoratam iterum*, per mo-

modum sulphuris (redacti quantum sufficit, in clauso reverberatorio ad spatium unius mensis reverberetur (*semper invertendo reverberatorium, quamdiu sublimabitur materia*) & evadet volatile leve, primò album, mox luteum, deinde rubrum, postremò purpureum seu violaceum. *Antimonio per sublimationem ita fixato extrahit spiritu vini phil. tincturam, quam nobilissimam, pretiosissimam & tantùm non divinam Lili essentiam vocat.*

In quarto membro mercurium præcipitatum, & spiritu vini phil. extractum, solvit per deliquium, digeritque cum novo vini phil. spiritu, totiésque cohobat donec ascendat per alembicum in primum Ens sive essentiam mercurii, mercurium circulatum, circulatum majus ex mercurio, &c.

In Recepto observamus.

1. *Argentum vivum, antimonium, sulphur, imò aurum, argentum cæteráque metalla, menstruo aliquo vegetabili simplici dissoluta, reverberata deinde sive sublimando fixata, soluta per deliquium, destillatáque in liquidam substantiam, esse argentum vivum, antimonium, sulphur, aurum, argentum, &c. circulatum; sive circulatum majus de mercurio, antimonio, sulphure, &c.*

2. *Menstrua hæc dici circulata, quoniam à veteribus circulabantur per 30 vel 40, aliquando 60 dies.*

3. *Circulata hæc dici majora, ut distinguantur à circulatis minoribus minùs excellentibus, cùm majora majorem vim habeant & rebus dissolvendis impertiantur tincturam.*

4. *Circulata hæc esse metallorum & mineralium prima Entia sive essentias graduatas, & si quid iis excellentiùs esse posset inter volatilia, cùm de essentia modò fixata sive Astro, in essentiam multò nobiliorem, Arcanum dictam, sint exaltata.*

5. *Circulata hæc esse medicamenta sive Arcana medica.*

6. *Circulata hæc esse rubicundissima.* Lapillos sublima, *inquit Paracelsus*, quousque in ruborem deveniant. *Ex reverberato antimonio ad purpureum vel violaceum colorem extrahit tincturam Lili. Ex reverberato autem sulphure conficit animam metallorum, de qua ita:* Quòd autem Hermes dixit; quòd sola

 ani-

anima ſit illud medium, quod conjungat ſpiritum corpori, non ineptè ſenſit. Cùm enim ſulphur ſit illa anima, & ſicut ignis, omnes res maturet & excoquat, poterit etiam ſpiritum ligare cum corpore & unà incorporare & unire, ita ut inde valdè nobile corpus gignatur. Quanquam non vulgare combuſtibile ſulphur pro anima metallorum habendum eſt, ſed anima eſt aliud quid, quàm corpus incombuſtibile & incorruptibile. Quare à nullo igne comburi poteſt, cùm ſit tota ignis, & revera nihil aliud eſt quàm quinta eſſentia ſulphuris, quæ ex reverberato ſulphure per ſpiritum vini (*phil.*) extrahitur, & coloris rubei & pellucida exiſtit ſicut rubinus: Quod quidem magnum & præſtans Arcanum eſt ad tranſmutanda alba, & ad coagulandum mercurium vivum in fixum & probatum aurum. Hoc tibi pro theſauro diteſcendi commendatum habeas, & meritò hoc unico arcano in Tranſmutatione metallorum contentus eſſe debes. *Libr. 1. de gener. Rerum Nat. pag. 87. Si mercurius, antimonium, & ſulphur per reverberationem fixata, & vini phil. ſpiritu extracto ſunt rubra, rubini inſtar pellucida, ſequitur eadem corpora, vini phil. ſpiritu volatiliſata, rubicundiora evadere. Hinc Dianæ menſtrua varii coloris eſſe obſervamus, aliquando alba, lactea & opaca; aliquando limpida & clariſſima; aliquando iterum rubicundiſſima & pellucidiſſima; ita ut cum grano ſalis ſumenda ſint argumenta Bernhardi menſtruorum diaphaneitatem negantis*: Ubi ſatui, *inquit*, ex minoribus mineralibus faciunt, & extrahunt aquas corroſivas, in quas projiciunt ſpecies metallorum & eas corrodunt. Putant enim propterea illas ſolutas eſſe ſolutione naturali, quæ quidem ſolutio requirit permanentiam ſimul, ſcilicet ſolventis & ſoluti, ut ex utroque, nempe maſculino & fœminino ſemine, nova ſpecies reſulter. Amen dico tibi, quòd nulla aqua naturali reductione ſpeciem metallicam diſſolvit, niſi illa, quæ permanet eis in materia & forma, & quam metalla ipſa ſoluta poſſunt recongelare. Quod in aquis fortibus non contingit, ſed potiùs eſt deturpatio compoſiti, utpote corporis diſſolvendi. Nec corporibus pertinet aqua in ſolutionibus, quæ eis in congelationibus non permanet; mercurius eſt hujuſcemodi, & non aquæ fortes ſeu quam ſatui exiſtimant aquam mercurialem limpidam & diaphanam. Si enim diviſerint & obſtruxerint homogeneitatem mercurii, quomodo ſtabit & conſervabitur pro-

por-

portio prima seminis fœminei? *pag. 60. Epist. ad Thomam.* Elixir & Azoth, *pergit*, hoc est spiritus vitalis (*vitæ, aqua vitæ phil.*) & anima (*spiritus animatus*) fugitiva, non sunt diaphana, nec transparentia, nec sicut oculi lachryma clara, nec quivis spiritus dissolvens. *pag. 94. ejusd. Epist.* Quod in diaphano liquore claro & transparenti fieri non potest. Quoniam si Elixir & Azoth prædicta, id est spiritus & anima diaphaneitatem referrent & haberent, jam in proportione terra aquam dimisisset, & ab illa separata esset, quæ inspissavit & coagulavit partes ejus, opacitatem fecit in Elixir & Azoth, fecitque formam stare congelabilem metallicam. Nam in fixis speciebus metallicis restringendis, oportet, ut restringens agat in restringibilem, & congelans in congelabilem, quod fieri non potest in prædicta aqua diaphana & clara. Aliter autem accidit in vegetabilibus, in quibus aqua simplex & diaphana per decoctionem in ipsis vegetabilibus inspissatur, quæ tamen examine ignis tandem evanescit & evaporat: Quia non est permanens, & fixa in compositione, quia terram naturaliter sibi homogeneam secum in compositione non habuit, sicut argentum vivum; quæ quidem terra causa est permanentis fixionis in homogeneis. Quare aqua simplex congelatione non potest fixari cum vegetabilibus, sicut mercurius cum metallis. Si ergò mercurius diaphaneitatem acceperit in opere philosophorum, jure irrestringibilis substantiæ permanebit, nec congelabitur super Latonem ad formam, speciem, & proportionem metallicam, qui nec secum, nec in se defert suimet ipsius congelationem, sicuti aqua terram; quæ quidem terra, ut dictum est, est mercurialis; & causa prima inspissationis, coagulationis, & fixionis. Si ergò ista aqua ita maneat extrà proportionem metallicam, quomodo similes species ex hac compositione procreari poterunt? Errant itaque illi, qui sic putant aquam limpidam transparentem ex mercurio extrahere, & ex illo multa mira operari. Nam sit ita, quòd talem aquam perficiant, nihil tamen prodesset ad opus, nec ad ejus naturam & proportionem, nec posset restaurare seu ædificare speciem perfectam metallicam. Quam citò enim mercurius à sua prima natura permutatur, tam citò prohibetur ingredi opus nostrum philosophicum, quoniam perdidit naturam spermaticam & naturam metallorum. Ex his ergò notum est, quid veritatis contineat, & in quo contraria & aliena sit opinio

tua, cùm dicis, oportet ad perficiendum summum Elixir habere gummam, in qua sunt omnia ei necessaria, continentem quatuor elementa, & est aqua clarissima sicuti oculi lachryma, spiritualis facta, quod facit aurum merum esse spiritum. Nam corpus non penetrat corpus, sed subtilis substantia spiritualis congelata, quæ corpus penetrat & colorat. Esto ut dicis, honorande mi Doctor, quod naturæ non conjunguntur, nisi gummâ vel re oleosa, &c.

Si contra omnem aquam mercurialem non permanentem, aquâ forti vel quocunque alio vulgari menstruo limpidam redditam, Bernhardus disputasset tantùm, non simul contra Thomæ de Bononia, aquam mercurialem limpidissimam, tum prædicta argumenta magnarum essent virium; nunc verò limpiditati menstruorum hujus, ut & aliorum Adeptorum objecta, velut inefficacia repercutiuntur. Eadem terra, quæ minùs bene dissoluta, opacitatis causa est in menstruo permanente Bernhardi, ea ipsa exactè dissoluta limpiditatis causa est apud Thomam, inspissans & coagulans aquam æquè bene, si non meliùs, ac si minùs dissoluta fuisset. Diaphaneitatem menstruorum defendunt Lullius, Parisinus, & Adeptorum plurimi. Lullius cœlum suum vinosum clarum pronunciat, serenum & resplendens adinstar stellæ cœli in Test. Novisf. pag. 8. *De quo ipso menstruo Parisinus ita* in appendice Elucidarii pag. 273. Vol. 6. Th. Chym. Tunc quintam essentiam adamante lucidiorem & clariorem videbis, quæ stellarum claritatem superat, adeò ut dubium sit, an in vitro contineatur, necne.

X. Genus.

X. Genus.

Menstrua vegetabilia composita ex menstruis vegetabilibus compositis & corporibus metallicis.

52. Menstruum Neapolitanum Lullii, *In Exper. XIII.*

℞. LUnam, & cum argento vivo vulgi calcinabis, scilicet amalgamando, ac posteà ipsum amalgama triturando cum sale communi præparato, mox ipsum mercurium exhalare facias lenissimo igne, deinde ferventa aqua destillata salem ipsum removeto, & sic lunam calcinatam habebis. ℞. Lunam calcinatam, & quatuor partes aquæ mercurialis (*per tria vasa ignita superius sub* No.46. *descriptæ*) illi superfunde, & vas clausum cum suo antenotorio statue super cineres, ut leviter bulliat, & videbis viridem colorem sive cæruleum, quem liquorem cautè in aliud vas transfunde, ita ut fæces non conturbentur, materiam in fundo remanentem desiccabis igne lento, adinstar solis. Posteà scias pondus dictæ calcis, ac illi iterum superinfunde quatuor partes dictæ aquæ mercurialis super unam partem calcis, & clauso, ut priùs, vase cum antenotorio suo, sine ut iterum bulliat, quod inde dissolutum fuerit, ut suprà, in aliud vas transfunde ac conjunge cum dissolutione prima. Illud tamen adverte, ut dictam materiam dissolutam semper in balneo conserves, donec totum opus dissolutionis absolutum fuerit; iterando toties magisterium, donec totum lunare corpus fuerit plenè dissolutum ac transactum, quod quidem nobis accidit intra duas vices, ac in putrefactione per quatuordecim dies constitue. Deinde transferas in urinale, conjunctum pariter cum suo recipiente & alembico,

bico, juncturis quàm optimè clausis. Posteà destillabis in furno cinerum; tum ignem augebis, ut corporis anima in sua aqua impressionem faciat. Frigefacto vase, scias pondus terræ lunaris in fundo remanentis, nam credo non ampliùs quàm duabus octavis (*drachmis*) de corpore non soluto remansurum ex tota uncia, reliquum erit perfectè dissolutum. Quod si plus remanserit de terra insoluta, tunc super infunde tantum de sua aqua nuper destillata, quantum superemineat tribus digitis, & clauso vase cum antenotorio, pone in balneum per diem naturalem, mox amoto antenotorio & superposito alembico cum recipiente optimè clauso per cineres destillato, in fine destillationis augendo ignem, ut suprà. Hoc autem iterabis, quousque per aëream revolutionem totum corpus lunare per alembicum transmittatur, atque hoc pacto, auxilio Dei habebis menstruum, quo solem potes dissolvere.

Annotationes.

HActenus argento vivo acuimus vel spiritum vini philosophici vel menstrua hoc spiritu confecta, quæ tantam inde acquisiverunt dissolvendi facultatem, ut Adeptorum plurimi hisce aquis mercurialibus contenti, de fortioribus menstruis desierint inquirere. Ipse Lullius aquam mercurialem, quam gloriosam vocat, ad conficiendum mercurium philosophorum ex omnibus metallis & mineralibus, sive sal harmoniacum metallorum, sufficiens dixit, imo appropriatum menstruum. Scias, *inquit*, fili in veritate & Dei fide, quòd nullum naturæ sulphur alicujus metalli sublimaretur absque ista aqua argenti vivi vulgi. *Test. Noviss. pag.* 12.

Verum-enim-verò in hoc decimo menstruorum genere alia adhuc composuêre menstrua adepti, prædictis aquis mercurialibus varia insuper addentes corpora, juxtà varios usus & illorum placita. Lullius ut nobilius pro dissolutione auri componeret menstruum, menstruo mercuriali addidit argentum. Si fortè menstruo indigebat pro perlis, perlas cum menstruo mercuriali conjunxit. Si conficere aurum potabile vellet, ex auro & argento præparavit menstruum ad hoc magis adæquatum, mediante tamen menstruo quodam mercuriali, & sic de aliis; utì in sequentibus observabimus exemplis.

53. Men-

53. Menſtruum pretioſum pro perlis Lullii,

In Comp. animæ Tranſmut. pag. Volum. 3. Th. Chym.

℞. LUnariæ liquorem ex tertiâ rectificatione vel ſecundâ (*aquam ardentem phil.*) affunde ſuper argentum vivum, ut natet deſuper per tres digitos, & pone ad inhumandum per tres dies naturales, & magna pars ejus diſſolvetur cum aqua lunariæ, quam decanta, & ſuper fæces pone liquorem recentem, & pone ad inhumandum in fimo vel balneo, & reitera, donec mercurius fuerit totus in aquam reductus.

Poſteà deſtillationes omnes conjunge & abſtrahe in balneo, & dum videris eam quaſi ſpiſſam, ita ut aqua mercurii & argenti vivi (*vegetabilis & mineralis*) ſit libra ſemis, pone ad inhumandum per ſex dies naturales. Poſteà mittas intùs margaritas, & intra decem horas diſſolventur. Exubera tum eas per modum, quem docuimus in exuberatione metallorum, uſque quò convertantur in ſal (*harmoniacum ſive ſulphur naturæ Perlarum*) cujus unciam diſſolve in libra ſui menſtrui prædicti, & deſtilla quater. Et tum pone intùs margaritas, & veluti in ſpatio octavæ partis horæ diſſolventur propter majorem menſtrui ſubtilitatem, &c.

Quemadmodum pro menſtruo Neapolitano (quod ita dici poteſt, eò quòd iſtud Lullio Neapoli revelatum fuerit ab Arnoldo de Villa Nova) argentum menſtruo mercuriali per tria vaſa ignita confecto conjungitur, ita menſtruum hoc pro perlis componitur ex ſale harmoniaco perlarum, & menſtruo mercuriali ſive aqua glorioſa mercurii, quæ ſi circulentur ambo per ſuum tempus, inde conficies cœlum perlatum.

Pro Auro potabili menſtruum ex Auro & Argento præparat hoc modo.

54. Men-

54. Menſtruum mercuriale compoſitum Lullii,

In Experim. XXXIV.

℞. UNcias tres lunæ, atque uncias tres ſolis: Quæ duo ſeparatim calcinabis, ut habes in ſuperioribus experimentis (*in menſtruo Neapolitano*) videlicet cum mercurio, quem poſteà ex dictis metallis exhalare facias. Hæc autem corpora calcinata, ſeparatim collocabis in ſingulis vaſis ſolutoriis, ſuper ea infunde de menſtruo incalcinato (*ſuperiùs ſub* No. 45. *deſcripto*) tantum, ut ſupernatet quatuor digitis; claude vas antenotorio, putrefac in balneo per duos dies, ac per duos alios dies inter cineres inſtar caloris ſolaris. Tum decanta ſolutionem, & reſiduum exſicca. Cùm vero deſiccatum fuerit, iterum illis ſuperinfunde de menſtruo incalcinato, ut ſuprà, in clauſo vaſe putrefaciendo in balneo, poſtmodum ſuper cineres; ac diſſolutiones ſingulas (*auri & argenti*) in ſingula vaſa ſua evacuando, ut ſuprà. Si quæ inſoluta remanſerint, ut ſuprà, deſiccabis ac diſſolvas, quouſque totum quod reſtat corporis ſit plenè diſſolutum, tum ſtatue ambas diſſolutiones in putrefactione per 20 dies naturales. Factâ putrefactione accipe illas diſſolutiones, & per ſe ſeparatim in ſuo urinali conſtitue cum ſuo recipiente, juncturis optimè clauſis deſtillabis per balneum aquam utriuſque (*metalli*;) in fundo vaſorum remanebunt corpora ad ſimilitudinem mellis fuſi ſive olei. Super ea (*olea*) iterum funde de ſua aqua propria deſtillata (*menſtruo jam ab oleis abſtracto*) per balneum tantùm, ut ſupernatet tribus digitis, ac ſuis antenotoriis utrumque vas occlude, ac repone in putrefactione per diem naturalem: Mox remotis antenotoriis & appoſitis alembicis, juncturis optimè clauſis deſtillando per cineres, ultimò augebis ignem, ut anima ſive elementum aëris tranſeat in ſuam utriuſque aquam deſtillatam, ac demum ignem ultrà quantum fieri poſſit, augebis, ut in aërem elementum ignis tranſeat. Sed lunari compoſito non neceſſe eſt rubedo vel ignis. Completa deſtillatione

tione sine vas frigefieri, & amove ab illis recipientia, quæ singula quàm optimè clausa servabis, ne respirent, & singulis singulas schedulas sive inscriptiones appone, ne alterum pro altero accipias, cùm fuerit opus persequendi. Cæterùm super terras (*auri & argenti ex destillatione relictas*) infunde iterum, ut suprà, de aqua sua per balneum destillata, ac annexo antenotorio putrefac ut suprà, mox per cineres destillabis, utrique vasi annexo suo proprio recipiente, ubi eorum corporum animas conserva veras, atque hoc pacto magisterium toties iterabis, donec terræ exanimatæ fuerint, ac radicali humore destitutæ. Tunc accipe illas terras, & contere quam optimè, & simul conjunge: Postmodum eas constitue in pila vitrea, ac super cineres calidos conservato, donec tibi dixero, quid ex illis sit faciendum. Cæterùm accipe spiritum animatum lunæ, atque ipsum per cineres rectificabis, deinde accipe spiritum animatum solis, atque eodem modo septies per cineres rectificabis; limositates (*terram residuam*) autem, quas emittet spiritus solaris in singulis rectificationibus servabis intra, ut optimè clausum sit ignis elementum, (*in formâ terræ.*) His ergò rectificationibus peractis: Tum accipe spiritum animatum solis, & spiritum animatum lunæ, & simul conjunge: Pone postmodum eos ad circulandum in vase grandi sicut illud, quo circulavimus menstruum simplex. Fiat hæc circulatio per 60 dies, quo termino elapso habebis verum menstruum minerale (*non acidum, sed ex mineralibus sive mercurio, auro & argento confectum*) quo innumerabilia experimenta operari poteris.

Huc referri debet menstruum quod à Basilio dicitur,

55. Spiritus mercurii dulcis Basilii,

Cap. 2. Libri de Rebus Nat. & Supernat.

℞. MIneræ cinabarinæ argenti vivi, & mineræ optimæ auri ana partes æquales, quibus pulverisatis & mixtis affunde oleum mercurii per se ex mercurio sublimato, & putrefacto confectum (*id est, oleum ex mercurio sublimato tantùm, nullis quidem aliis additis ingredientibus, nisi vini phil.*

spiritu, vel menstruo aliquo vegetabili, sine quibus confici non potest,) digere hæc per mensem, & extractionem habebis cœlestem potiùs, quàm terrestrem; Extractionem abstrahe in balneo, & phlegmate abstracto remanebit oleum in fundo ponderosum, dissolvens omnia metalla in momento. Cui adde spiritus vini (*phil. vel spiritum vini igneum Basilii*) partes tres, circula in pellicano ad rubedinem sanguineam, & dulcedinem incomparabilem. Circulatum affunde super tartarum ad albedinem calcinatum, & destilla forti igne mercurii spiritum, spiritu vini remanente in tartaro.

Inter hunc spiritum; aliumve ejusdem nominis distinguendum est, ne unus pro alio accipiatur. Basilius enim præparavit etiam spiritum mercurii ex spiritu albo vitrioli, de quo variis in locis, libro de particularibus, præsertim in particulari lunæ, cujus spiritus descriptio extat inferiùs inter menstrua mineralia, quia acidus est. Alter verò spiritus mercurii, utpote hic noster, dulcissimus est & fragrantissimus, de quo etiam habetis in particulari lunæ, *ut &* cap. VII. libri de Rebus Nat. & supernat. *ubi lunæ crocum dissolvit in spiritu albo vitrioli, ut & fragrantissimo spiritu mercurii.*

Parisinus composuit menstruum mercuriale compositum pro tincturis alchymicis ex suo circulato majore & prima vel media substantia argenti vivi vulgi hoc modo.

56. Menstruum incalcinatum Parisini,

Cap. G. Apertorii.

℞. Circulati majoris (*superiùs sub* No. 50. *descripti*) libram unam, mercurii præparati, modo quem docebimus cap. X. uncias duas, misce, & scias menstruo hoc fieri veram putrefactionem. Verum quam-primùm fuerit incalcinatum, hoc est, tali mercurio permixtum, non ampliùs usurpatur pro corporibus humanis, sed solummodò pro medicinis metallorum, dictum verò cap. X. hoc est, ut sequitur:

Cap. X. de reductione mercurii vulgi in primam materiam vel mediam substantiam.

NUnc fili dabimus tibi plenariam instructionem & declarationem decoquendi & reducendi argentum vivum vulgi in suam materiam primam vel substantiam mediam, & quemadmodum in antecedentibus declaravimus modum reincrudandi duo luminaria; ita jam demonstrabimus vias & media decoquendi dictum mercurium. Primò docebimus modum, distinguendi bonum mercurium à malo, sophisticato & corrupto: Qui modus est, ut recipias mercurium vulgi, asportatum ex Hispania in coriis sigillatis, vel si careas hoc, recipe alium quemcunque, & parùm ejus pone in cochleari argenteo calefacto, ita ut mercurius evanescat, & si residuum ejus erit vel albi vel citrini coloris, bonus est; sed si erit alterius coloris, malus est, & minimè idoneus pro opere nostro, quia sophisticatus. Tum recipe vitrioli romani libras duas, funde istud in vase vitreato, fuso adde mercurii libram unam, & tantum salis com. præparati, agita & misce omnia agitaculo, evaporando humiditatem sub tali calore, qui similis sit solari. Tum eximatur materia, teratur & ponatur in sublimatorio, & mercurium sublimabis per gradus ignis usuales. Vasis frigefactis exime sublimatum, cui in retorta posito affunde aquæ vegetabilis absque phlegmate (*aquæ vitæ phil. rectificatæ*) ad tres vel quatuor digitos. Coquatur in balneo per duas horas, tum destilletur in cineribus, ut ascendat aqua vegetabilis. Posteà cooperiatur retorta cineribus, & augmentando ignem ascendet mercurius vivus in aquam ardentem. Decanta aquam à mercurio, quem iterum sublimabis cum novis materiis, idque sexies, semper abjiciendo fæces. Nota autem has septem sublimationes semper peragendas esse in aludelibus, quoniam nullo alio modo separabis pulverem adustibilem ascendentem in aludelibus, & ut te instruam, ne quid erres, repetam magis distinctè methodum dictarum septem sublimationum. Modus hic est, ut accipias vas vitreum ad modum cucurbitæ strictioris, cum suo alembico cæco, perforato in ejus superiori parte, in hoc ponas vitrioli optimè pulverisati partes duas,

mercurii partem unam & ſalis præparati partem unam, miſcendo omnia bene, materiâ leniter jam exſiccatâ, appone alembicum cæcum vel potiùs aludel, notetur tamen, quòd cucurbita non ſit cooperta cineribus ultra unam tertiam evaporatâ humiditate; per calorem lenem; occlude foramen aludelis cum pauco goſſypio, & augmentando ſublima, omnibus frigefactis exime ſublimatum tam ex aludele quam cucurbitâ, ex quâ (*ſi modò non fuerit frigefacta*) diſſolve fæces aquâ calidâ, ita purgabis facilè dictum vitrum pro uſu ſuo. Jam miſce novas materias cum ſublimato tuo, & ſublima, ut anteà, & hoc repete ſepties. Tum ſublimatum contere in pulverem ſubtiliſſimum, pone in cucurbita ſupradicta cum ſuo alembico cæco vel aludele, & cum ſuo etiam alembico communi ob rationes operationis differentis à ſuperiori. Sublimato in cucurbita poſito affunde menſtrui ſimplicis animalis vel vegetabilis (*menſtrui animalis ſub* No. 37. *vel vegetabilis ſub* No. 29. *deſcripti; in antecedentibus autem aquam vegetabilem rectificatam, id eſt, aquam ardentem recipere juſſit*) tantum, ut emineat per tres digitos, occlude alembico cæco, & in cineribus digere per 12 horas, tum depoſito alembico cæco appone alembicum commune, & abſtrahe menſtruum in balneo, depone iterum alembicum, & appoſito aludele, pone vas in cineribus eouſque, ut tegatur materia exiſtens in vitro, da ignem per gradus donec omnis humiditas ſit exhalata, foramen in ſuperiori parte aludelis goſſypio occlude, augmenta ignem, ut ſublimetur mercurius. Sublimatione peracta & vaſibus frigefactis, deme aludel, & quod in eo invenies ſublimatum non eſt ad propoſitum noſtrum, ſiquidem iſtud eſt pars illa aduſta, quæ non intrat magiſterium noſtrum. Deinde collige ſublimatum ad latera cucurbitæ quod clarum erit inſtar criſtalli, & cave ne permiſceatur cum ſuis fæcibus; hoc contere, cribra, pone in eodem vaſe à fæcibus purgato, & affunde menſtruum in balneo abſtractum, claude vitrum cum aludele, digere per 12 horas ut ſuprà, depone aludel, appone alembicum commune, deſtilla in balneo, depoſito alembico hoc, appone aludel & ſublima in cineribus, fæcibus abjectis, ut & parte aduſtiva ex aludele, collige dextrè mediam ſubſtantiam ex cucurbita. Hâc methodo ſublimabis ſepties, vel donec nullas relinquat fæces in cucurbita. Habito hoc ſigno, accipe dictam ſubſtantiam,

contere,

contere, & pone in vase vitreo, affunde menstruum simplex vel animale vel vegetabile ad trium digitorum supereminentiam, claude vas cum alembico cæco, digere leniter per duos dies in cineribus, tum dissolutionem decanta in aliud vas, & quod remanserit in vase, exsicca temperato calore, simili solari, cui affunde novum menstruum, claudendo vas alembico cæco ut suprà, & reitera methodum eandem usque tota pars dissolubilis fuerit dissoluta, & in fundo vitri remanebit terra indissolubilis abjicienda, quia nullius valoris est. Jam recipe omne dissolutum, hoc est, decantationes vestras, & pone ad destillandum in balneo, & destillato menstruo, appone aludel & in cineribus sublima substantiam cristallinam, quæ verè dici potest prima materia mercurii; Hæc est illa substantia media, quâ incalcinamus menstruum nostrum (*circulatum majus sub* No. 50. *descriptum*) & componimus particularia infinita, utì te docuimus superiùs. Hæc etiam vocatur lapis mineralis. Nunc fili poteris procedere per infinitas vias, has tamen insequendo, quas tibi monstravi; & nota, Mercurium ita reductum, esse hunc, de quo Dux noster Raymundus loquitur, mentionem faciens de lapide minerali, ut & in *ultimo capitulo libri* Vade-mecum *& in pluribus aliis locis voluminum suorum.* Hic est iste mercurius de quo Arnoldus de Villa Nova tractat *in Rosario suo*, & tibi enarramus, nisi mercurius reductus fuerit in materiam primam cum dicta aqua vegetabili vel animali, penitùs impossibile esse, cum eo præstare aliquid boni, ratione suæ corruptionis magnæ, existentis in ejus cruditate.

Ex Receptis hujus generis annotamus,

1. *Menstrua posse & debere confici juxtà usus destinatos. Nam non solummodò desiderantur, ut dissolvant corpora promiscuè, sed aptè etiam, ne rei dissolvendæ tincturam inquinent heterogeneâ aliquâ menstrui ipsius tincturâ, sed potiùs illustrent.*

2. *Menstrua hæc, semel composita, si novo addito subjecto repetatur compositio, quoties toties majori virtute dotari, ubi è contrario notum est, menstrua communia hoc modo debilitari.*

3. *Menstrua hæc esse fragrantissima, summæque dulcedinis & rubeo-*

rubedinis, nihilominus dici acetum acerrimum, quod aurum dissolvat in spiritum.

4. *Menstrua hæc esse metallorum essentias vel magisteria per magisteria vel essentias confecta, invicémque permixta in circulata composita.*

5. *Non ex auro & argento tantùm sed etiam ex imperfectis metallis & mineralibus hæc confici posse circulata composita.*

6. *Quemadmodum sal harmoniacum ex perlis: Ita etiam ex coralliis aliisque aridis confici posse.*

7. *Paristni primam mercurii materiam, essentiam potiùs esse, quàm magisterium, citiùs quidem præparari sale harmoniaco mercuriali Lullii, at non esse ejusdem, sed minoris virtutis.*

8. *Paristnum defendere Arnoldum de Villa Nova in sua mercurii sublimatione,* (descriptâ in Rosario,) *contra collegam suum Bernhardum.*

9. *Hanc Paristni primam materiam mercurii venenosam esse, quare pro metallis tantùm, non pro medicinis humanis eam esse adhibendam monet ipse. Si tamen menstruum hoc incalcinatum, more reliquorum circuletur, fieri innocuum, & medicamentum optimum.*

XI. Genus.

XI. Genus.

Menstrua vegetabilia composita graduata ex menstruis vegetabilibus compositis, cœli & terræ influentiis impregnatis.

57. Aquæ æthereæ & terrestres metallorum Lullii pro confectione lapidum pretiosorum.

Canon. 43. distinct. 1. lib. quintæ essentiæ.

℞. AQuam mercurii, quæ facta sit per modum, quem diximus in nostro Testamento (*novissimo*) & in libro, qui mercuriorum intitulatur (*menstruum mercuriale sive aquam gloriosam argenti vivi vulgi superiùs sub* No. 44. *descriptam*) & in ista aqua, fili, dissolves unciam semis lunæ purissimæ, post dissolutionem filtratam, separetur aqua à fæcibus (*destilla menstruum ab argento per alembicum*) in qua ascendet limositas argenti. Hæc aqua, fili, est resolutiva omnium aliorum corporum & ipsius argenti vivi, cujus virtute, fili, margaritæ reformantur in natura pristina per modum, quem diximus in *nostro Testamento, & in compendio super Testamentum & Codicillum missum Regi Roberto.*

Secunda aqua sic fit. ℞. Plumbi mediam unciam, & de prædicta aqua quantum sufficit, postquam videris plumbum dissolutum, separa aquam per destillationem filtratam (*dissolutionem plumbi filtra*) & fæces extra mitte, quia nihil valent, post hoc verò destilla aquam per balneum (*abstrahe menstruum in balneum*) & serva fæces (*plumbum dissolutum*) ad tempus opportunum.

Tertia aqua sic fit. ℞. De cupro unciam unam, & illud dissolve in tantâ quantitate aquæ primæ, quantâ volueris, & tibi visum fuerit, & dimitte illam quiescere in ampulla suâ, in

in frigido loco per unam diem naturalem, post hoc verò separa aquam viridem per filtri linguam, & primas quidem fæces extra mitte (*quod remanet in filtro abjiciendum est*) deinde destilla aquam per alembicum & serva fæces secundas.

Quarta aqua sic fit. ℞. Unciam unam stanni purissimi de Cornvallia, quod est purius omni alio, & illud dissolve in aliqua quantitate primæ aquæ & destilla (*per filtrum*) aquam (*dissolutionem*) illam cum limositate sua, & fæces quæ remanserint, extra mitte, deinde destilla aquam per alembicum & serva (*residuum sive stannum dissolutum*) fæces secundas.

Quinta aqua sic fit. ℞. Ferri purissimi unciam unam, & dissolve ipsum in tanta quantitate quod sibi sufficiat de prima aqua, post hoc destilla per filtrum, & mitte fæces extra, & destilla aquam per alembicum & serva fæces secundas.

Sexta aqua sic fit. ℞. Auri purissimi unciam unam, & dissolve ipsum per modum, quem tibi diximus *in nostro Testam.* scilicet cum lunaria pura (*cum menstruo vegetabili simplici absque argento vivo & argento*) mixta cum tanto pondere quintæ aquæ (*ex ferro jam præparatæ*) & fac sicut fecisti de aliis.

Item, fili, tu omnia ista metalla dissolvere potes hoc ordine. Factâ aquâ primâ, in illa dissolve metallum, quod modo secundario tibi dissolvere præcepimus (*scilicet plumbum*) deinde fac de isto sicut priùs tibi diximus. In hac aqua secunda dissolvas metallum tertium (*cuprum*) & in aqua tertii metalli dissolvas metallum quartum (*stannum*) & in aqua quarti metalli dissolvas quintum metallum (*ferrum*) & in aqua quinti metalli dissolvas metallum sextum (*aurum*).

De quavis istarum aquarum accipe secundùm quod tibi visum fuerit ad dissolvendum metallum. Fili, hæ limositates metallorum dicuntur quintæ essentiæ sive mercurius mineralis, quem philosophi consideraverunt in opere alchymico (*in tincturis alchimicis*) & lapidifico (*in lapidum pretiosorum compositionibus*) & in opere medicinali (*in medicamentorum præparationibus*) sed fili in opere alchymica, istæ quintæ essentiæ considerantur subtiliùs, quia in subtiliori materia (*esse debent*) propter quod fit per divisionem elementorum (*ut in libro tertio hujus voluminis*) dicemus. In lapidibus verò (*pretiosis conficiendis*) quintæ essentiæ (*prædictæ*) non sunt ita in tanta sub-

ſubtili materia. In medicina verò quælibet (*duplex hic præparandi modus*) reſpectum habet.

Dicto de quinta Eſſentia mineralium (*de aquis metallicis*) qualiter poteſt haberi à manibus noſtris, nunc congruum eſt, ut dicamus de diviſione illarum in generali. Et fili mi, facias ſic. Quando metalla tua fuerint diſſoluta, tu quippe divides aquam quamlibet (*priùs filtratam, per deſtillationem à ſuo reſiduo*) & diviſam quamlibet aquam, (*jam deſtillatam*) in partes duas, & unam partem uniuſcujuſque partis pones cum propriis fæcibus (*metallo reſiduo, quod aqua in deſtillatione reliquerat*) in alembico vitreo, & deſtillabis in Limum deſerti, qui eſt aër factus ex duobus corporibus, in furno, quem tibi priùs deſignavimus cum igne ſuavi, & reſplendet cum magna virtute minerali, & cum magna limoſitate appropriata, ad virtutes cœleſtes recipiendas. Et quamcunque illarum aquarum mittes in ampulla vitrea cum collo longo, & rotundo, & poſt hoc claude ejus orificium cum cera communi, & poſt cum maſtice, & quamlibet illarum ampullarum pone in ſereno loco taliter, ut nec lapis, nec aliqua alia res nociva poſſit tangere vitrum.

Fili, capias fæces materiales, à quibus limum reſolviſti, quæ ſunt ſecundæ fæces per evaporatam ſublimationem in partibus aquarum, quas miſiſti ad ſerenum locum (*capias caput mortuum ex deſtillatione cujuſcunque Limi deſerti, ſive fæces tertias, nam primæ in filtro remanentes rejectæ fuêre; ex ſecundis Limus deſertus fuit deſtillatus; fæces verò Limi deſerti ſunt, quas hic ſecundas vocat*) & illas mittes in ampulla vitrea cum collo longo, quæ contineat duas palmas, & intromitte partem ſuæmet aquæ, quæ reſervabatur de illa limoſa ſubſtantia jam dicta, & claude ampullas cum clauſorio ceræ, & aluta & maſtice, ſicut alteri feciſti, & ſepeli illas (*aquas metallorum*) in horto, in terra bene graſſa, in profundo unius palmæ cum dimidia, & ponas etiam aliam rem in gyro colli (*circa collum vitri*) ampullarum, quod apparet extrà, ad illius conſervationem, & ſit hîc per unum annum integrum. Fili unius naturæ ſunt aquæ, quæ mittuntur in terram, & alteriùs quæ ponuntur ad aërem; quoniam fili, illæ quæ mittuntur in terram, habent vim & virtutem induativam, coagulativam atque fixativam; Et illæ, quæ ſunt in aëre, habent virtutem & proprietatem in-

indurandi coagulandi & fixandi; passivè tamen intellige fili. Finito anno, tu habebis omne illud, quod in mundo desideratur ad hoc opus, &c.

Annotationes.

Mireris forsitan, quod menstruis hisce altiorem hunc assignaverimus locum, cùm sint pluribus antecedentium generum menstruis tam quoad ingredientia, quàm quoad præparandi methodum inferiores. Quod quamvis ita sit, nihilominus menstrua hæc, dum vel aëri per annum exposita, vel terræ tamdiu concredita fuerint, menstruorum prædictorum fiunt optima & præstantissima, utì inferiùs ex illorum usu patebit. Impræsentiarum illustrabimus harum aquarum confectiones. Aquas primæ methodi hoc modo conficit: In aquâ gloriosâ argenti vivi, acuatâ insuper lunâ, dissolvit plumbum, cuprum, stannum, ferrum, & aurum, dissolutiones singulas filtrat, fæcibus abjectis, filtratas abstrahit in balneo ad siccitatem, aquas destillatas dividit in duas partes, in quarum una dissolvit proprium in dissolutionis abstractione relictum metallum, quod deinde destillat in liquorem, quem limum desertum, quintam essentiam vel mercurium mineralem vocat, & in aëre suspendit per annum pro aqua ætherea. Caput mortuum Limi deserti dissolvit in altera parte aquæ reservatæ, & sepelit in terra pro aqua terrestri. In Compendio animæ Transm. pag. 208. Volum. 4. Theat. Chym. *Mercurii vulgi etiam & argenti aquas reliquis addit; mercurii aqua sic fit.* ℞. De mercurio vulgi unciam unam, & dissolve ipsum in aqua dissolvente (*prædicta*) in digestione I. (*cineris*) destilla per filtrum, de fæcibus ne cures, secundas verò, (*peracta destillatione per alembicum, in fundo relictas*) serva.

Lunæ aqua sic fit. ℞. Unciam unam argenti purissimi, & dissolve in tanta quantitate aquæ dissolventis, quantum tibi bene visum fuerit, & destilla per filtrum, & rejice fæces primas; pòst destilla per alembicum in digestione de H. (*balneo*) & serva fæces secundas, de omnibus aquis fæces secundas servabis in vase suo, quamlibet per se.

Prætereà (in Compendio animæ) *non dividit aquas destillatas in partes æquales*, utì in libro essentiæ, *sed dissolutiones metallorum pro medietate destillando abstrahit pro aqua terrestri, al-*

alteram autem medietatem destillat pro aqua ætherea. Tu quidem, *inquit*, sis cautus in resolutione limorum, quia de quolibet Limo duas aquas seu partes facias, destillando medium Limi, quem pones ad partem, quia ex ista parte primâ, fit aqua terrestris; & aliam partem (*mediam*) similiter destillabis, ex qua fit aqua aërea, quæ suspenditur in sereno loco, ut suprà dictum est, per annum. *Pag.* 209. *Volum.* 4. *Theat. Chym.*

Aquæ per methodum posteriorem confectæ magis compositæ sunt quàm prioris modi; primæ præparabantur promiscuè menstruo lunari, hæ secundæ non ita; menstruo etenim lunari conficitur aqua plumbi; quâ plumbi aquâ fit aqua cupri; hâc cupri aquâ componitur aqua stanni; aqua stanni parat aquam ferri; aqua auri verò dissolvitur menstruo lunari, cui dissoluto additur medietas aquæ ferri. Mira metallorum commixtio! ne dicam confusio; cujus tamen rationes procul dubio habuit subtilissimus philosophus. Hæc methodus extat quoque in Lapidario Cap. 9. & sequentibus.

Ex Receptis annotamus.

1. *Aquas æthereas esse metallorum essentias per annum Cœlorum influentiis expositas.*

2. *Aquas terrestres esse essentiarum corpora menstruis propriis dissoluta, & per annum sepulta.*

3. *Non metallorum tantùm, sed totius Regni mineralis essentias tali modo præbere aquas æthereas & terrestres.*

4. *Aquas has astrorum cœlestium impregnatione præcipuas suas acquirere virtutes. Adepti de cœlorum influentiis varias tenuêre sententias. Quidam Planetarum situs, aspectus, & illorum determinata tempora huic operi quàm maximè necessaria esse voluerunt; alii autem contrarium statuerunt. Ex asserentibus audiamus* Thomam Norton, *Adeptum Anglum, qui ita* Cap. 6. sui Ordinalis pag. 99. Theat. Chym. Britannici.

The fifth Concord is known well of Clerks,
Between the Sphere of Heaven, and our subtill Werks.
Nothing in Earth hath more simplicitie,
Than th' Elements of our stone will be,

Wherefore they being in Work of Generation
Have most obedience to constellation:
Whereof concord most Kindly and convenient
Is a direct and fiery Ascendent,
Being sign common for this Operation,
For the multitude of their Iteration:
Fortune your Ascendent with his Lord also,
Keeping th' Aspect of shrewes them fro;
And if they must let, or needely infect,
Cause them to look with a trine Aspect.
For the White Work make fortunate the Moon,
For the Lord of the fourth House likewise be it done;
For that is Thesaurum absconditum of old Clerks,
So of the sixth House for servants of the Werks,
Save all them well from great impediments,
As it is in Picture, or like the same intents.
Unless then your Nativity pretend infection,
In contrariety to this Election.
The Vertue of the mover of the Orbe is formall,
The Vertue of the Eighth Sphære is here instrumentall,
With her signs and figures, and parts aspectuall.
The Planets Vertue is proper and speciall.
The Vertue of the Elements is here material.
The Vertue infused resulteth of them all:
The first is like to a Workmans mind,
The second like his hand ye shall find,
The third is like a good instrument,
The Remnant like a thing wrought to your intent.
Make all the premises with other well accord,
Then shall your merits make you a great Lord.

Inter negantes ipse Lullius est, qui ita: Non dicimus, quòd sit opus Artistæ, operari cum figuris & cœli imaginibus, per cognitionem suorum motuum, sicut quamplures philosophi asserunt. Sed sufficit tibi habere cognitionem influentiæ caloris cœlestis informati per figuram cœli & stellarum, quorum ratione infunduntur virtutes in materia aptè appropriata, quæ illas recipit per naturalem artistæ industriam cum resolutione, quæ fit perartem naturæ similem, &c. Et in

in hoc passu Philosophi fuerunt illusi ad illorum reprehensionem, qui cognoverunt, quòd cœlestis virtus sit nimis communis omni elementatæ naturæ, sua enim magna nobilitate omni tempore determinationem accipit, quoniam in rebus mixtis influitur tam per artem quàm per naturam, & hoc fit ratione virtutum naturalium, quæ sunt sibi subjectum & proprium retinaculum tali modo, ut secundùm proprietates materiæ, & ejus speciem recipiat ejusmodi virtutem, quæ posteà talia condit per naturam, quæ pro miraculo reputantur. Item notet quilibet artista, quòd natura operari non potest nisi per minimarum partium successionem, nec etiam potest recipere aliquas virtutes nisi successione suæ operationis, nec etiam possunt totum simul, nec constellationes possunt sufferre alicujus temporis stationem punctuatim in certa virtute, quæ confestim non diversificetur; Et etiam dato, quòd posset, tempus constellationis est ita minimum ratione circulorum revolutionis ut citiùs transeat de una virtute in alteram, &c. *Libr. Essent. dist.* 1. *pag.* 18.

Poterit, *inquit Paracelsus*, ingeniosus artifex diligenti animadversione præparare metalla, sic ut ratione verâ ductus, metallorum transmutationis perfectionem, opere suo vel regimine magis promoveat, quàm cœlestium signorum duodecim, atque Planetarum septem cursus faciunt; quos etiam in his observare superfluum est, velut & aspectus, mala sive bona tempora, diem aut horam, hujus vel alterius planetæ statum prosperum vel infelicem, quæ nec juvare possunt in Alchymiæ naturalis arte, multò nocere minùs, si verum aliàs possibilem processum habueris, operare cum libuerit, sin in te, vel operationibus tuis & intellectu, fuerit aliquis defectus, planetæ syderáque cœlestia tibi deficient. *Cœlum phil. pag.* 125.

Si dicant, *inquit Geber*, quòd à certo situ unius vel plurium stellarum detur metallorum perfectio, quem ignoremus, respondemus nos, hunc situm & motum nos non curare, nec etiam, ut illum sciamus, necessariò requiri: Quoniam non est species aliqua generabilium & corruptibilium, quin ex individuis ejus quotidiè, & in omni instanti fiat generatio & corruptio. Et ideò patet, quòd omni die situs talis stellarum est bonus & perfectivus quarumlibet specierum individuorum, & corruptivus simpliciter. Non ergò expedit necessario artifi-

cem

cem ſtellarum ſitum expectare, licèt eſſet utile, quia ſufficit ſolùm viam naturæ diſponere & adminiſtrare, ut ipſa, quæ ſagax eſt, diſponat ſitibus convenientibus mobilium corporum. Nihil enim poteſt natura perficere ſine motu & ſitu mobilium. Unde ſi naturæ artificium diſpoſueris & conſideraveris, quæcunque ex contingentibus hujus magiſterii fuerint, debitè, perficietur ſub debito ſitu per naturam ſibi convenientem, abſque conſideratione illius. Cùm enim videmus vermem ex cane vel alio animali putreſcibili deductum in eſſe, non conſideramus immediatè ſitum ſtellarum, ſed diſpoſitionem aëris circumſtantis, & alias cauſas putrefactionis perfectivas, præter illum. Et ex tali conſideratione ſufficientes ſcimus vermes ſecundùm naturam in eſſe, producere. Natura enim ſibi invenit convenientem ſitum, licèt a nobis ignoretur. *Summa perfect. libr.* 1. *parte* 2. *cap.* 11.

Petrus Bonus Ferrarienſis eandem habet de Influentiis ſententiam.

Ad rationem nonam, *inquit*, dicimus quod verum eſt, quod per motum & lucem corporum ſupercœleſtium, & per eorum determinatos ſitus, & aſpectus introducuntur formæ in inferioribus: Sed non eſt neceſſe, nos ea ſcire, nec poſſumus ſcire, niſi in genere quodam confuſo, ſcilicet ex parte ſolis in quibuſdam, qui eſt cauſa quatuor temporum anni: Quia certis temporibus fiunt ſeminationes & meſſes, & plantationes: Et in quibuſdam animalibus, ut equis & aſinis & accipitribus & falconibus, periodis certis ſolaribus, fiunt conjunctiones ad coitum & generationem. In quibuſdam autem omni tempore fiunt hæc indifferenter, ut in homine, columbis, & gallinis. Unde ſi volumus generare vermem ex carne putreſcibili, non conſideramus ſitum quemquam ſtellarum; ſed ſolum diſpoſitiones aëris circumſcribentis & alias putrefactionis cauſas. Similiter ſi ova ſub fimo aut ſimili loco, ad pullorum generationem ponamus, quocunque tempore dabitur forma ſuo loco & tempore præfinito à cœleſtibus, abſque noſtra conſideratione in hoc. Eodem modo in generatione calcis & vitrioli, & auri, & uſiſur, & ceruſſæ, & minii, & cinabaris; ſimiliter in compoſ. tyriacæ & aliarum confectionum, quia hæc quocunque tempore & quacunque hora poſſunt fieri. Virtus enim cœleſtis eſt valdè communis ad omnia, & recipit terminationem per virtutes

tutes & dispositiones eorum, quæ sunt subjectum ejus in rebus elementatis & elementis, quia, sicut dictum, virtutes cœlestes operantur in tota natura generabilium & corruptibilium continuò secundùm materiam sibi dispositam aut propriè aut communiter. Unde dixit Lilium: Quod opus non causatur à motu superiorum, quia omni tempore fieri potest. Et Rasis in 70 in libro Reprehensionis: Tempus non operatur in hoc aliquid. Et addit: Quia si tempus operaretur in eo, esset vile apud gentes. Si ergo in hoc magisterio omnia contingentia suo tempore rectè concurrant, introducetur forma sua sub debito situ & aspectu stellarum, tempore præfinito in materia absque consideratione aliqua in hoc. Unde dixit Plato; quòd secundùm meritum materiæ infunduntur virtutes cœlestes, &c. Sed de rebus, in quibus infunditur forma accidentalis, nova & occulta, à cœlestibus, ut patet in arte imaginum, oportet necessariò, ut sciamus & custodiamus determinatos situs & aspectus corporum cœlestium tempore proposito: Quia à solis illis imprimitur forma talis, & tempore tali, & non alio, sicut patet in libris Astrologiæ de electionibus horarum, imaginum, & bellorum; ædificiorum, & itinere, &c. Quia ergo ars alchymiæ non est talis, ideò non expedit, ut hæc sciat. *Margar. pretiosa pag.* 731. *Vol.* 5. *Th. Chym.*

XII. Genus.

XII. Genus.

Menstrua vegetabilia composita summè exaltata ex menstruis vegetabilibus compositis graduatis.

58. Limi ætherei & cœlestes Lullii pro tincturarum alchymicarum confectionibus.

In Testam. Novissimo.

℞. SUlphur auri (*mercurium philosophorum ex auro confectum, sive sal harmoniacum solare*) & ponas in vase vitreo, & superfundas illi de menstruo vegetabili cœlico jam tibi noto (*cœlo vinoso Lullii sub* No. 30. *descripto*) tantum sui ponderis, & ponas in digestione balnei per sex dies, deinde per balneum destilla; posteà infunde de novo menstruo ad sui pondus, & pone in digestione balnei per sex dies, posteà pone in cineribus per unum diem, destillando totum, quod poterit destillari, & pone cum alio priùs destillato. Et iterum pone de novo menstruo & digere, & destilla, ut priùs. Et toties reitera hoc regale magisterium, donec tota terra sive sulphur dictum evacuetur aëre suo, id quod fit viginti duabus vicibus, si sciveris laborare. Posteà accipe omnes destillationes, & pone illas in balneo, & destilla totum menstruum, & vide, si totus aër maneat ad modum liquoris, tunc cognosces terram esse evacuatam aëre suo. Quòd si non fuerit, reitera cum novo menstruo in balneo, digerendo & in cinere destillando, ut suprà, usque ad tres vices. Et tunc totum sulphur nostrum erit evacuatum suo aëre. Tunc accipe aërem, quem servâsti, & pone super ipsum totum suum menstruum, quod est illud, cum quo evacuasti aërem, & superfunde super terram sulphuris auri, & pone in digestione in balneo per octo dies, posteà in dicto balneo

neo extrahe totum menſtruum per unum diem, & per alium in cinere extrahe totum aërem, & ignem, quantum poteris, ſcilicet in alio receptaculo, quod cognoſces, quando aër incipit mutare colorem ſubrubeum. Serva iſtum ignem ad partem, & iterum pone aërem cum menſtruo abſtracto ab eo, vel cum alio, & pone ſuper terram in balneo, & digere per ſex dies, & deſtilla in dicto balneo totum menſtruum per unum diem, & ignem in cinere, ſeparando deinde quodlibet per ſe, ut ſuprà feciſti, & ſerva ignem in balneo. Et iterum pone aërem cum menſtruo ſuper terram in qua eſt ignis, & digere, ut ſuprà, & toties reiterabis hoc magiſterium, donec terra ſit bene evacuata ſuo igne, quod fit in quadraginta vicibus ſeu iterationibus. Tunc te oportet terram ſublimare per hunc modum. ℞. Illam terram, quæ remanſit poſt ſeparationem aëris & ignis, & ponas illam in vaſe vitreo, & ſuperfundas de menſtruo vegetabili ad quantitatem terræ, & ponas in balneo, per unum diem naturalem, poſteà per alium diem in cinere deſtilla, & iterum pone de dicto menſtruo ad pondus terræ, & digere in balneo per unum diem, & deſtilla in cinere per alium diem, & iterum reitera digerendo in balneo & deſtillando in cinere, donec tota terra converſa ſit in pulverem impalpabilem. Tunc accipe illam & pone de menſtruo ad pondus illius, & pone in digeſtione in balneo per duos dies, poſteà deſtilla in cinere per diem, & pone deſtillatum in balneo. Tunc accipe terram & repone de alio menſtruo ad pondus ipſius, & digere per duos dies, & deſtilla, ut priùs, iterando inhumationes & deſtillationes procedes donec terra ſit tranſacta per alembicum ſimul cum menſtruo. Iſta terra ſic cum menſtruo mixta, dicitur argentum vivum exuberatum de intentione Alchymiſtarum. Pone ergò iſtas deſtillationes in quibus eſt iſta terra ad deſtillandum per balneum, & extrahe menſtruum, & remanebit terra ſicca & præparata in fundo vaſis, quam ſerva. Sic, fili, habes elementa ſulphuris auri diviſa cum Dei auxilio. Tunc oportet te habere ſulphur argenti (*mercurium Philoſophorum ex argento, ſive ſal harmoniacum lunare*) & de eo elementa ſeparare, ſimiliter ſeparando aërem cum aqua menſtruali, & ignem cum aëre & aqua, & terram cum menſtruo ſublimare, & eodem menſtruo per alembicum facere pertranſire. Sic habes, fili, elementa ſulphuris albi & elementa ſulphuris rubei ſeparata & diviſa. Jam

℞. Menſtruum ſive aquam cum qua ſeparaſti elementa ſulphurum auri & argenti, & diſſolve pro qualibet libra de menſtruo, quo diſſolviſti aurum, unciam auri; & in menſtruo, quo diſſolviſti argentum, unciam argenti. Et pone quodlibet per ſe in vaſe circulationis in balneo, vel fimo per quindecim dies, & ibi fortificabitur in ſuam naturam menſtrualem. Fili hanc aquam appellamus menſtruum elementatum, ſive aquam ablutam & abſtractam à fæcibus terræ. Jam ℞. Duo elementa ſulphuris auri, ſcilicet aërem & ignem, & pone ſimul in vitreo vaſe deſtillatorio, & pone in cinere ad deſtillandum cum igne temperatiſſimo, quouſque ex quinque partibus habeas tres partes deſtillatas in receptorio, tunc dimitte infrigidari, & quod deſtillatum eſt, accipe per ſe, & ſeptem vicibus deſtilla & ſerva ad partem, poſtea redi ad deſtillandum, quod reliquiſti; quando ex quinque partibus deſtillaſti tres, & ſuper duas, quæ remanſerunt, continua deſtillationem, quouſque videas ignem congelari ad latera vaſis, dimitte infrigidari, quouſque ignis congelatus fuerit. Et ille ignis, quem extraxiſti, quouſque ignis congelatus fuit (*hoc quod aſcendit adhuc humidum ante materiæ ſublimationem ex his duabus relictis partibus intelligit*) dicitur aër ſecundus & tinctura, & vocamus eum noſtrum ſecretum, & noſtrum theſaurum & vaporem elementorum. Iſtud etiam rectificabis fili per ſeptimam deſtillationem ſeu rectificationem, & terram, quam poſt deſtillationem primi & ſecundi aëris abſtraxeris à vaſis, in quibus aërem primum & ſecundum deſtillaſti, ponas in igne congelari, & illa terra ignis appellatur. Nunc fili præpara hunc ignem iſto modo: Pone illum in vaſe deſtillatorio, & pone deſuper de ſua propria aqua, quæ eſt illa cum qua ſeparaſti elementa ſulphuris auri, quando tibi præcepimus deducere ad ſpiritum quintum in vaſe Hermetis; & diximus, aquam ablutam à fæcibus terræ (*aliâs menſtruum elementatum ſolis*) quinque partes ſui ponderis, ſcilicet ſuper unciam unam de dicto igne, uncias quinque de dicta aqua (*menſtruo elementato auri*) & pone ad digerendum in balneo per octo dies. Poſteà in cinere lentiſſimè deſtilla, & iterum pone de nova aqua ſcilicet partes quinque, digere & deſtilla, ut ſuprà, & toties reitera cum iſto regimine uſque ad ſeptem vices, & ſic habes ignem & terram (*ſulphuris auri*) calcinata philoſophicâ calcinatione. Et ſunt duo elementa

menta ſulphuris rubei præparata ad Limos deſertos. Et nota, quòd debes ponere terram ſulphuris albi, quam calcinaſti & præparaſti poſt ſeparationem elementorum ſulphuris rubei cum terra, quam extraxiſti ab aëre mixto cum igne, & ambas pone cum igne congelato. Modò fili, accipe terram ſulphuris argenti, quæ tibi remanſit poſt ſeparationem elementorum, & illam præpara, quemadmodum feciſti, calcinaſti, & præparaſti terram auri, poſt ſeparationem elementorum ſimul cum menſtruo ſublimatam, & in pulverem impalpabilem reductam, & cum eodem menſtruo per alembicum portatam; & etiam præparationem hanc terræ ſulphuris argenti facias cum menſtruo, cum quo ſeparaſti elementa ſulphuris argenti. Tunc habes terras ſulphuris auri & argenti præparatas per ſe, quod cognoſces per ſignum tibi datum, ſcilicet ponendo parum ſuper laminam lunæ ignitam, evolabit in fumum major pars. Tunc ℞. Illas terras æquali pondere & unciis & pone in vaſe præparatorio, poſt accipe menſtruum, cum quo præparaſti elementa lunæ, & ponas in ejus libra una, unciam unam ſulphuris vegetabilis, quod tibi demonſtravimus facere ex terra vini (*ſalis harmoniaci vegetabilis ex terra vini phil.*) & deſtillando facias totum per alembicum tranſire, & tunc habebis menſtruum, cum quo extraxiſti elementa ſulphuris lunæ, animatum & acuatum. Tunc fili oportet te terras ſulphurum ante dictorum (*id eſt, auri & argenti*) ſimul miſcere & præparare, dando quartam partem ſui ponderis dicti menſtrui (*jam animati & acuati*) digerendo & deſiccando, ut in creatione ſulphuris (*naturæ ſive ſalium harmoniacorum*) fit, quouſque biberint quatuor partes de dicto menſtruo, & ſint diſpoſitæ ad ſublimandum, quas ſublimabis igne quarti gradus. Et nota, quòd omnes iſtæ præparationes & deſtillationes terrarum debeant fieri in Balneo, & ſic habes fili ſulphur noſtrum ſive materiam, ſive terram vegetabilem & metallicam in uno genere unitam ad componendum lapidem glorioſum, altum & virtuoſum, qui tibi transformabit argentum vivum vulgi in perfectum ſolem vel lunam *ſine juvamento ignis*, ſed tanquam oculus baſiliſci, qui ſolo intuitu interficit animalia. Sed intereſt fili, ut per compoſitionem radicum iſtarum tam ſublimis & altæ arboris, quas Limos deſertos appellamus, in quibus tota virtus cœli & terræ ad hoc magiſterium pertinens, infunditur; magnam diligentiam adhibeas, & ſummo ingenio componas. Et modus eſt.

℞. De Terra sive sulphure vegetabili (& *minerali*) quod univisti in uno genere per sublimationem, quæ est illa, quam appellasti terram sulphuris in uno genere unitam. Et eam ponas in vase vitreo, & superfundas de menstruo cum quo separasti elementa sulphuris lunæ & præparasti dictum genus terræ, tantum sui ponderis, & ponas in balneo philosophico per tres dies naturales. Et in illo tempore solvetur totum, quod sic solutum pone in balneo vulgi, & destilla menstruum, & terra suo generi unita per sublimationem remanebit, ùt oleum, quod unguentum philosophorum appellamus, & unum est de secretis quod procuramus occultari. Tunc

℞. De isto oleo sive unguento supradicto drachmas decem, & de aëre sulphuris lunæ rectificato drachmam unam (*non unciam unam*: *Et de aëre sulphuris solis drachmam unam*) & in igne cineris destilla, & quod destillatur (quod est ferè totum) dicitur Limus desertus terreus, serva illum. ℞. De elemento (*ignis*) sulphuris auri jam præparati & congelati drachmas decem (*non viginti*) & de elemento aëris (*sulphuris*) lunæ drachmam unam, & de elemento aëris sulphuris auri drachmam aliam, & pone totum in cineribus & destilla, quod destillatur ex eo (quod erit ferè totum) dicitur Limus desertus æthereus serva ad tempus.

℞. De elemento ignis sulphuris auri drachmam unam sive duas, & iterum rectifica illud isto modo, ponendo super illud quinque partes de suo proprio menstruo, quod est id cum quo separasti elementa ejusdem sulphuris auri, & pone ad digerendum in balneo per unum diem naturalem, posteà in cinere destilla, quod poteris. Et iterum pone de dicto menstruo, digere & per cinerem destilla, & reitera, donec totum transeat per ignem cineris. Tunc accipe tantum sui ponderis de dicta terra vegetabili, unità & sublimatà simul (*superiùs præparata*) & unias simul (*cum elemento ignis destillato*) & non destilles, sed sic dimittes & dicitur Limus desertus (*terreus*, *auri*) non vaporisatus.

℞. Dictæ terræ (*in uno genere unitæ*) drachmam unam, & olei aëris (*sulphuris*) lunæ drachmam unam, & misce simul & facias idem magisterium, quod fecisti cum præcedenti auro, & dicitur Limus terreus desertus lunificatus (*non*) vaporisatus.

Modò nobis videtur dare modum cœlificandi & præparandi illos

illos (*Limos*) ad virtutes cœli & terræ recipiendas, & modus est iste. Accipias vasa ænea vel ferrea, quæ sunt virgulata, & sint sicut illa, in quibus cantant Psittaci, sed virgulæ sint magis strictæ, ita ut non possit intrare aliqua terra, nec cœlestis nec terrestris, sed solum vapor cœli & terræ quos habebis per influxum.

℞. Limum (*desertum terreum superiùs dictum*) factum ex decem drachmis terræ vel sulphuris uniti, quod est illud, quod univisti ex terra sulphuris argenti, & reduxisti in oleum vel unguentum; & ex drachma una aëris (*sulphuris*) lunæ, & drachma una aëris (*sulphuris*) solis mixtis: Et istum limum ponas in vase vitreo cum longo collo optimè sigillato sigillo Hermetis, & istud ponas in vase virgulato, & ponas per unum brachium vel duos, & dimittas per annum cum dimidio, vel ad minus per annum, cooperiendo bene illud cum terra & servando ab omnibus periculis, & in isto tempore efficitur aqua potens, mirabiles habens virtutes fixativas lapidis, & habet mirabiles virtutes acquisitas à cœlo; quas attraxit à vaporibus terræ. Fili super hoc quiesce.

℞. Limum (*desertum æthereum superiùs dictum*) quem fecisti de decem drachmis ignis sulphuris auri & ex drachma una aëris sulphuris lunæ (*& drachma una, aëris sulphuris solis*) & hunc pone in alio vase vitreo cum longo collo hermeticè sigillato, & pone in alio vase virgulato, & pone suspensum in aëre, arbore, vel loco abdito, ab omni vento, pulvere, & omni periculo. Dimitte ad unum annum cum dimidio vel ad minus anno integro, ut de alio diximus, & ita efficietur aqua clara habens virtutem indurandi, fixandi, congelandi, penetrandi, faciendi lapidem volatilem & dicitur mercurius aëris acutissimæ penetrationis.

℞. Limum (*desertum terreum auri, sed*) non vaporisatum nec cœlificatum (*nec destillatum per alembicum, nec circulatum*) qui est ille quem fecisti (*mixtione simplici*) ex drachma una elementi ignis sulphuris solis, & ex drachma una terræ unitæ (*suo generi*) & illum (*accipe etiam Limum desertum terreum lunificatum, non vaporisatum*) quem fecisti ex drachma una terræ sulphuris unitæ & drachma una aëris (*sulphuris*) lunæ, & illos limos pone quemlibet per se, in vase vitreo sigillato, ut de aliis est dictum. Et ponas subtus terram per unum brachium,

per

per annum integrum in vase virgulato, & in illo tempore efficitur aqua habens mirabilem virtutem conjungendi, & super hoc quiesce.

℞. Limum, quem fecisti ex decem drachmis ignis vel aëris & una terræ. Et accipe quod superest de aëre (*sulphuris*) lunæ, quia non accepisti ab eo nisi drachmas tres, quando fecisti Limos, & illud pone suspensum in aëre in vase vitreo sigillato, & in vase virgulato, ut de aliis fecisti, & ibi accipiet virtutes cœlestes, quæ sunt media conjunctionis inter Limum terræ & Limum ignis & aliorum.

℞. Aërem secundum (*menstruum elementatum in quo dissoluta sint aër & ignis sulphuris auri, lenitérque abstractum, videlicet ab ejus quinque partibus, tres solummodo*) qui est ille, quem abstraxisti ab igne congelato, quem diximus oleum philosophicum & thesaurum philosophicum (*non istud, quod etiam unguentum philosophorum dicitur ex terra in uno genere unita confectum, sed quod vapor elementorum appellatur*) & pone per se in alio vase vitreo bene sigillato & pone ad aërem propè alia, quæ posuisti per annum integrum.

℞. Menstruum cum quo separasti elementa sulphuris lunæ, (*menstruum illud, quo separasti elementa sulphuris solis*) & pone in quolibet vase, in quo est menstruum lunæ (*& menstruum solis*) drachmam unam sulphuris (*vel salis harmoniaci vegetabilis*) & pone in balneo, posteà in cineribus, quousque facias pertransire totum cum quolibet menstruo per se. Tunc quodlibet menstruum sic rectificatum vel animatum, pone in vitreo vase sigillato per se in suis vasis virgulatis & ponas in aëre suspensum prope alia per annum unum.

℞. Oleagineitatem lunæ (*primam, sive aërem primum*) quæ est illa, quam abstraxisti à terra lunæ, quando præparabas eam pro creatione sulphuris lunæ, quam præcepimus tibi servare & diximus quod esset pro creatione (*sulphuris natura*) & ponas in vase vitreo sigillato, in aëre, & ibi efficietur aqua fluxibilis & virtuosa, mirabilis penetrationis. Et quod diximus de oleagine alba, dicimus etiam de oleagine incerativa rubea (*solis.*) Et habes, fili, lapidem (*menstruum*) in octo partes divisum tres in terra, & quinque in aëre.

Anno-

Annotationes.

DEcem præcedentia menſtruorum vegetabilium tam ſimplicium quàm compoſitorum genera compoſuere adepti temperando ſpiritûs vini phil. unctuoſitatem multiplici rerum ariditate: Et tali modo produxêre menſtrua ad quemcunque uſum adæquatè proxima, & quoniam ſunt ejuſdem cum rebus diſſolvendis naturæ, permanentia & inſeparabilia. In genere proximè antecedenti demonſtravimus, menſtrua prædicta omnia, ſive ſimplicia ſive compoſita, tot, tantiſque laboribus, aridorum temperaturâ ad ſummum exaltata, altiùs adhuc ſublimari, & in viribus ſuis augmentari poſſe. Nam quod ars nequit, hoc natura præſtare poteſt; quod terra non poteſt efficere, id cœlum facit. Menſtrua enim ad artis apicem evecta, & cœlorum influentiis expoſita, jam à natura ſummas & incredibiles adipiſcuntur vires. In præcedenti genere undecimo menſtrua habuimus pro lapidibus pretioſis, compoſita ex elementis ſimplicibus metallorum; in hoc duodecimo metallorum perfectorum ſulphur naturæ, ſal harmoniacum ſive mercurium ſolarem & lunarem, loco auri & argenti crudi recipit, & in multo nobiliora ſeparat elementa cœlo terræque exponenda pro tincturis alchymicis omnium optimis.

Ex Receptis obſervamus,

1. *Limos in ſuis compoſitionibus claros quidem eſſe, ſed (de induſtriâ) ſophiſtico multiloquio obvelatos, & tantâ operationum varietate larvatos, temporiſque inſuper diuturnitate tædioſiſſimos redditos deterrere tyrones improvidos.*

2. *Limos hos, à prioribus aquis æthereis & terreſtribus differre præparationis ſubtilitate; hæc elementa ſunt ſalis harmoniaci vel mercurii phil. ſolis & lunæ; illa verò elementa metalli crudi. Nam dixit Lullius:* Limi pro tincturis alchymicis in ſubtiliori natura eſſe debent, quàm qui ſunt pro lapidibus pretioſis.

3. *Limos hos eſſe eſſentias graduatas, cœlorum terræque influentiis expoſitas, adeóque eſſe medicamina.*

4. *Eodem etiam modo metallorum imperfectorum ſulphura naturæ præbere Limos, in ſuo genere æquè fortes, ac ſulphura naturæ auri & argenti in ſuo genere.* Hacte-

HActenus egimus de menſtruis vegetabilibus, ſequuntur nunc quæ mineralia dicuntur. Sed antequam procedamus ultrà, admonendi ſumus per menſtrua vegetabilia intelligi ſimul menſtrua animalia. Omnia enim jam data menſtrua vegetabilia, non dicuntur vegetabilia ingredientium ratione; præter enim vegetabilia, etiam animalia & mineralia in illorum compoſitionibus fuêre aſſumpta; ſed ob vini phil. ſpiritum ex vegetabili unctuoſitate maximè ortum. Quem ſi ex Regni animalis oleoſo quodam (uti fecere ſæpè ſæpiùs Adepti) educere & liberare ſciveritis, menſtrua prædicta vegetabilia tranſmutabitis cum hoc animali ſpiritu in menſtrua animalia. Quod tamen ad menſtrua mineralia ne torqueatis; Quamvis enim in hoc etiam Regno dentur oleoſa liquida liquoribus aquoſis innatantia, ut ſunt oleum Petræ carbonum foſſilium, &c. Hæc tamen olea hujus Regni extraordinaria ſunt, naturæ luſu vel lapſu producta. Hinc oleoſa ejuſmodi ad oleoſa amborum Regnorum (vegetabilis & animalis) tranſlata fuêre ab Adeptis; unius enim ſunt & ejuſdem naturæ, ubi mineralium, metallorúmque oleoſa magis arida ſunt & maſculina, quàm ut fæmininum noſtrum producant ſemen vel menſtruum. Recenſere autem animalium partes, & modum ex iis educendi hunc vini phil. ſpiritum, non hujus eſt loci, ſed ad librum ſpecialem, videlicet quintum noſtrum, (edendum ſuo, quo placebit Deo, tempore,) hiſce de rebus fuſiùs tractantem pertinet.

Propterea de menſtruis animalibus ſilentes procedimus ad menſtrua mineralia ſive acida.

DE

DE
Menſtruis Mineralibus.

XIII. GENUS.

Menſtrua mineralia ſimplicia ex materia vini phil. tantùm:

59. Leo viridis Riplei.

Libro Accurtationum pag. 383.

℞. VIRIDEM leonem abſque diſſolutione in aceto (*uti aliàs moris eſt*) & ipſum pone in magna retorta terrea, quæ poſſit ſuſtinere ignem, & pone ad deſtillandum per modum & viam, ac ſi aquam fortem deſtillares, ſupponendo receptorium, & bene lutando juncturas, ne reſpirare poſſit; deinde cum igne lento primò deſtilla, quouſque videris fumos albos apparere, tum muta receptorium ipſum bene claudendo, & ſic cum magno igne deſtilla, ſicut deſtillatur aqua fortis, ſic per 24 horas continuando, & ſi per octo dies continuabis ignem, ſemper videbis receptorium plenum fumis albis, & ſic habebis *ſanguinem viridis leonis*, quem vocamus *Aquam ſecretam*, *Acetum acerrimum*, per quod omnia corpora reducuntur ad ſuam primam materiam, & ab humano corpore omnes repelluntur infirmitates. Hic eſt *ignis noſter* ardens ſemper continuando uno modo intrà vas vitreum, & non extrà; *ſterquilinium noſtrum*, *noſtra Aqua vitæ*, *Balneum noſtrum*, *Vindemia noſtra*, *Venter equinus noſter*, qui mirabilia operatur in operibus naturæ,

& examen omnium corporum ſolutorum & non ſolutorum, & eſt Aqua acuta portans in ventre ſuo ignem, ut Aqua ignea, nam aliâs non haberet poteſtatem ſolvendi corpora in primam materiam. Ecce hic eſt *noſter mercurius*, *noſter ſol*, & *luna*, quo utimur in opere noſtro. Deinde invenies in fundo vaſis fæces nigras ſicut carbones, quas per ſpatium octo dierum calcinabis cum lento igne, &c.

Annotationes.

H*Actenus unctuoſum ſpiritum vini phil. rebus* oleoſis, aridoleoſis, oleoſo-aridis, aridiſque puris *temperavimus*, & *in varia redegimus menſtruorum vegetabilium genera; in quibus menſtrua exhibuimus omnibus modis abſoluta & perfecta, odore, ſapore, & colore incomparabilia, abſque ſtrepitu & effervescentia diſſolventia, & cum rebus diſſolutis permanentia: Sequuntur jam in ordine, quæ dicuntur menſtrua mineralia, quæ quamvis ſint fætentis odoris, acidi vel corroſivi ſaporis, & ut plurimùm lactei & opaci coloris, imò cum ſumma violentia & corroſione diſſolvant corpora; nihilominùs, quoniam eundem vini phil. ſpiritum, ac menſtrua vegetabilia pro ſua habent baſi, ideò æquè ac illa permanentia ſunt, imò his meliora quoad temporis abbreviationem.*

Superaddita enim ſalium mineralium aciditas (ob quam mineralia menſtrua dicuntur corroſiva vel acida) deſtruere nequit naturam ſpiritûs vini, neque naturam menſtruorum vegetabilium, ſed corrodendo reddit aridorum particulas aptiores ad uniendum eas cum oleoſo vini phil. ſpiritu. Quòd ſi verò removeatur illa, fit iterum quod antea fuit, nimirum vel vini phil. ſpiritus, vel menſtruum vegetabile. Methodum autem, quâ uſi fuimus in menſtruis vegetabilibus, eandem etiam pro poſſe obſervabimus in hiſce menſtruis mineralibus. In vegetabilibus quidem ex vino phil. extraximus Aquam ardentem, à quâ circulando ſeparavimus oleum, ceu eſſentiam vini, quæ ſpiritus vini eſt noſter quem deinde diverſimodè acuendo redegimus in præcedentia menſtruorum vegetabilium genera; In mineralibus verò incipiemus cum Uvis philoſophicis, ipſâ vini phil. materiâ, quæ aliâs Leo viridis, Adrop, *&c. dicitur. Quamvis autem hujus loci non ſit, ut hanc materiam diſcutiamus ſi tamen clariora quædam ejus elucidationi inſer-*

servientia nobis vel in ipsis Receptis, vel aliunde sponte occurrant, ea obscurare noluimus, è contrario illustrare illa, & ita exponere decrevimus, ut non solummodo de vobis promissa utilitate & necessitate hujus spiritûs fiatis certiores, sed insuper etiam quasdam habeatis prænotiones de ejus conceptione, substantia, nativitate, &c. Pro hujus Recepti elucidatione dabimus quædam alia Recepta ejusdem materiæ, ut singula inter se collata clariora fiant: Imprimis subjiciemus menstruum non quidem ex ipso Leone viridi, sed ex eo dissoluto cum acido & in gummi quoddam redacto.

60. Menstruum ex gummi Adrop Riplei,

Libro Accurtationum pag. 381.

℞. ADrop, hoc est, Leonem viridem, de quo superiùs locuti fuimus, & ipsum in aceto destillato dissolve per spatium septem dierum, ter quotidiè agitando bene vas, in quo est materia; posteà evacua liquorem dissolutum, & per filtrum ter destilla à fæcibus suis, quousque erit clarum sicut cristallus, & cum lento igne evapora acetum, quousque erit ad similitudinem visci spissum, quod quasi non potes ipsum agitare propter viscositatem, & post infrigidationem extrahe ipsum è patella, & serva, & iterum fac plus de illo; & hoc fac, quousque habeas duodecim libras hujus leonis viridis vel adrop reducti ad modum gummi, tunc habes terram extractam à terra & fratrem terræ. Tunc accipe libram illius gummi, & pone in vase vitreo, quod sit ad magnitudinem unius potelli, bene lutando juncturas alembici cum colla, factâ ex claro ovorum & limatura bene simul mixtis.

Hoc Receptum in tractatu de Adrop philosophico, (qui volum. sexto Theatri chymici extat, & discipulo cuidam anonymo Guidonis magni de monte inscribitur, sed cum Riplei libris, videlicet præsenti de Accurtationibus, & clave aureæ portæ, cujus major pars Dunstano maximo, Archiepiscopo Cantuariensi datur) per omnia idem est quoad sensum, quamvis puriùs in translatione

hæc ita legantur: Jam accipe tres libras de prædicto gummi in destillatorium duarum circiter mensurarum capax, & superposito alembico luta conjuncturas cum luto ex cerevisia, albumine ovi & farina, parato. *pag.* 552. *Volum.* 6. *Theat. Chym. Quod confirmatur cum processu vel recepto clavis aureæ portæ ubi ita*: Hujus lactis (*inspissati vel gummi*) impone libras tres in vitrum. *pag.* 257. *Clavis aur. part.* Et pone in furnello ad destillandum cum arena, & sit arena in spissitudine duorum digitorum sub vase, & sic circumquaque usque ad dimidium vasis, vel quousque materia sit cooperta, appone receptorium, in principio faciendo ignem lentum, sed non lutando receptorium, quousque phlegma exierit, & hoc continua donec videris fumos albos apparere in receptorio, sicut lac; tunc augmentando ignem muta receptorium ipsum bene claudendo, ne respiret, & sic continuè augmenta ignem, & habebis oleum rubicundissimum, sicut sanguinem, quod est *Aurum aëreum*, *menstruum fætens*, *Sol philosophorum*, *Tinctura nostra*, *Aqua ardens*, *Sanguis leonis viridis*, *Humidum unctuosum nostrum*, quod est ultima consolatio corporis humani in hac vita, *Mercurius philosophorum*, *Aqua solutiva* quæ dissolvit aurum sub conservatione suæ speciei, & habet alia quàm plurima nomina. Et cum primo fumi albi apparent, continua ignem tuum per horas XII. per quod spatium totum oleum destillabitur, si ignis erit potens, quod serva benè clausum, ne respiret.

Menstruum hoc à præcedenti in eo differt, quòd in hoc leo viridis dissolutus aceto, in illo verò ipsemet totus vivus distilletur, cæterò utrumque in se ipso satis clare describitur: Materiâ tamen menstrui remanente obscuriore, & lectori minùs intelligibili: Quare autem leo viridis dicatur, ejus quadruplicem invenimus rationem apud Ripleum.

Primò, Per leonem viridem, *inquit*, solem intelligit philosophus, qui per vim suam attractivam virescere facit, & totum mundum gubernat. *Tract. de Adrop. phil. pag.* 547. *Volum. sexti Theat. Chym. Idem alibi*: Leo viridis est illud, per quod omnia virescunt & crescunt per virtutem suam attractivam ex visceribus terræ, & elevatam ex hyemalibus cavernis, cujus filius est nobis maximè acceptabilis & sufficiens ad omnia elixiria, quæ ex eo componenda sunt; Nam ex eo habebitur potentia sulphuris albi & rubei non comburentis, quæ est res optima,

ut

ut dicit Avicenna, quam alchymistæ capere possunt, ut inde faciant aurum & argentum. Sed hæc verba sufficere possunt homini sapienti ad cognoscendum & habendum viridem leonem. *Medulla phil. pag.* 139.

Secundò, Insuper etiam viridis dicitur, quia res illa adhuc acida & immatura est, hoc est, à natura nondum fixata aut perfecta, sicuti aurum commune. Viridis igitur leo Philosophorum, est aurum viride, aurum vivum, quod nondum est fixum, sed à natura imperfectum, hinc virtutem habet omnia corpora in materiam suam primam reducendi, & illa corpora quæ fixa sunt, spiritualia & volatilia faciendi. *Tract. de Adrop.* 547.

Tertiò, Leonem etiam vocare potes, quia quemadmodum cætera animalia leoni cedunt, ita omnia corpora potestati auri vivi cedunt, quod est mercurius noster. *Tract. Adrop. pag.* 548.

Quartò, Hic nobilis Infans vocatur leo viridis, quia quando dissolvitur, vestitur viridi vestimento. Tamen ex leone viridi fatuorum (*vitriolo*) extrahitur vehementi igne aqua illa, quam fortem vocamus, in qua dictus leo elixirari debet. *Medulla philos. pag.* 139.

Hæc quæ de leone viridi dicta, ea etiam intelligenda sunt de Adrop, ejusdem materiæ synonymo; Recipe, *inquit Ripleus*, Adrop, hoc est, leonem viridem. *De Adrop autem sequentia protulit:* Adrop, *inquit*, est aurum & argentum potentiâ & non visu, ùt dicit Rhasis, & nostrum aurum & argentum, secundùm philosophos, non est aurum & argentum vulgare, nostrum enim aurum & argentum sunt aërea, quæ ut bene fermententur, debent conjungi cum dilecto (*auro vulgi.*) Quandoquidem Philosophus dicit, quòd Adrop in sua profunditate sit aurum aëreum, & ipsum Adrop appellatur aurum leprosum. Et his dictis videtur assentire Guido, philosophus Græcus; locutus de spiritu mercuriali aut menstruali (*spiritu vel sanguine leonis viridis*) qui extrahitur de naturali Adrop per artem, ubi scribit: Et iste spiritus est sol ex philosophorum solariâ aquâ, arsenico, & lunâ. Et subsequenter addit eodem loco: Corpus est fermentum spiritus, & spiritus fermentum corporis, & terra, in qua delitescit ignis, exiccat, imbibit, & fixat aquam, & aër in quo deitescit aqua (aër qui delitescit in

aqua,

aqua, *legi debet juxtà doctrinam separationis elementorum*) abluit, tingit, perficitque terram & ignem. Et in eo quòd Guido dicit, quòd tingunt & perficiunt, debet intelligi, lapidem (*menstruum ex Adrop vel leone viridi*) esse sufficientem ad sui complementum in elixir, & quòd nulla extranea res, ut ipse affirmat, ad ipsum introducitur aut introduci debet, sed omnes ejus partes sunt cöessentiales & concretæ, quia intentio Philosophorum fuit complere illud opus brevi spatio suprà terram, quod natura vix perficit per mille annos subtùs terram. Imperitè igitur incedunt secundùm opinionem philosophorum, quemadmodum Guido dicit, qui ab argento & auro vulgari fermentum ad nostrum electum corpus petunt. Nam materia, in qua est argentum vivum mundum & purum à natura ad complementum minimè (*maximè malè legitur*) perductum, post completam mundificationem est, ut affirmat Guido, millesies melius quàm sunt corpora solis & lunæ vulgariter decocta per solis naturalem calorem, *Concord. Lullii & Guidon. pag.* 323.

Quidam Philosophus dicit, *pergit de eodem Adrop differens*; fumus (*albus*) exeritur ex suis propriis venis, qui si ritè colligatur, & iterum spargatur super proprias venas, faciet ibi fixionem, atque ita ex eo in brevi temporis spatio generatur verum elixir. Et certè sine istis liquorosis spiritibus, scilicet aqua & oleo mercurii (*menstrui*) corpus alchymicum hoc est neutrale, vel Adrop non purgatur. Et illud est corpus alchymicum, quod vocatur corpus leprosum, id est, nigrum (*in principio operis*) in quo, ut dicit Vincentius in suo speculo naturali, sunt aurum & argentum in potentia & non in aspectu; quod etiam in suo profundo sit aurum aëreum ad quod nemo pervenire potest, nisi corpus immundum priùs mundetur, quod est sine dubio post completam suam dealbationem, & tunc est millies præstantius, quàm sunt corpora auri & argenti vulgaris per naturalem calorem decocta. Prima materia hujus corporis leprosi est aqua viscosa inspissata in visceribus terræ. De hoc corpore ut vult Vincentius, fit magnum Elixir ad rubeum & album, cujus nomen Adrop, quod aliter vocatur plumbum nigrum Philosophorum de quo Raymundus jubet extrahere oleum aurei coloris vel simile: *Adjungit Raymundus*: Hoc autem oleum non est necessarium in vegetabili opere (*videlicet pro lapidis vegetabilis inceratione*) quoniam solutiones & coagulationes ibi citò

citò fiunt; & si potes illud separare à suo phlegmate, & posteà ingeniosè illius secreta indagare, poteris in triginta diebus perficere lapidem Philosophorum. Nam hoc oleum facit medicinas (*tincturas*) penetrabiles, conjungibiles, & amicabiles omnibus corporibus, & in mundo non est res secretior eo. *Medulla Phil. Chym. pag.* 131.

Varia hîc recensuit Ripleus synonyma τȣ̃ Adrop; Nos pro tempore leonem viridem per viam plumbi philosophici persequi statuimus, utpote quorsum dirigimur à Ripleo hisce verbis: Inprimis intellige, quando Avicenna inquit, quod in plumbo sunt aurum & argentum per potentiam, & non per visum, atque hæc relinquantur à natura cruda & semicocta, ideóque arte suppleri debet perfectè, quod à natura imperfectum relinquitur, idque per januam fermenti digerentis & coquentis, quod reliquum est cruditatis. Itaque pro fermento accipe aurum perfectum, nam paululùm (*non paulatim*) de fixa substantia illorum (*corporum fixorum*) trahet & convertet multum non fixorum corporum ad perfectionem auri & argenti. Atque in hunc modum ars subveniet naturæ, ut modico temporis spatio id fiat super terram, quod in mille annis fit subtùs terram. Atque hac ratione intelliges, quomodo plumbum continet in se maxima secreta hujus artis. Habet enim in se argentum vivum, mundum, purum, odoriferum, non ad complementum à natura productum: Atque hoc argentum vivum est basis nostræ pretiosæ medicinæ tam ad corpora metallica, quàm humana, ut sit elixir vitæ, sanans omnes infirmitates. De quo intellexit Philosophus dicens: Est in mercurio, quicquid quærunt Sapientes. Ab hoc anima, corpus, spiritus, tinctura trahuntur. Porrò etiam in hoc mercurio est ignis Philosophorum, semper æqualiter comburens intrà vas & non extrà. Habet insuper magnam virtutem attractivam, atque potentiam dissolvendi solem & lunam, eadémque in suam materiam primam reducendi. Cum hoc mercurio dissolvendæ sunt calces corporum perfectorum in congelatione spiritus mercurialis prædicti, &c. *Pupilla pag.* 295.

Sed cave, ne opereris cum saturno (*vulgi*) quia vulgariter dictum est, ne comedas de filio, cujus mater est corrupta, & crede, quòd multi errant in saturno. Audi, quòd Avicenna dicit: Saturnus semper erit saturnus; imò ne opereris in terra sa-

ſaturni (*phil.*) quam ejus ſpiritus deſpexit & reliquit pro ſulphure peſſimo : Operare duntaxat cum odore ejus ad congelandum mercurium, non tamen, ut faciunt fatui, ſed ut philoſophi, & habebis bonum opus valdè. *Phil. cap.* 2. *pag.* 188.

Totum compoſitum vocamus noſtrum plumbum; qualitas ſplendoris à ſole & luna provenit, atque in ſumma hæc ſunt noſtra menſtrua, quibus corpora perfecta naturaliter calcinamus, ſed nullum corpus immundum ingreditur, excepto uno, quod vulgariter vocatur à Philoſophis *Leo viridis*, quod eſt medium conjungendi tincturas inter ſolem & lunam cum perfectione, utì Geber ipſe teſtatur. *Libro* 12. *portar. pag.* 12. Ut patefaciam tibi hanc rem, ſcias per Deum, eſſe unam de illis, quæ ſunt ſeptem dierum (*planetarum*) & viliorem earumdem, ex cujus corpore elicitur ſanguis artificialiter, & humor vaporoſus, qui dicitur *ſanguis viridis Leonis*, ex quo fit aqua, quæ dicitur *albumen ovi* & *aqua vitæ*, *roris maii*, & multis aliis nominibus, quæ ad evitandam prolixitatem nunc omittimus. *Phil. cap.* 3. *pag.* 190.

Methodus eliciendi ſanguinem viridis Leonis ex plumbo calcinato vel minio philoſophico ſequens eſt.

61. Menſtruum ex plumbo rubeo Riplei,

*In Pupilla Alchym. pag.*303.

℞. PLumbi calcinati vel rubificati, ſive minii optimi, hoc eſt, antimonii mineralis præparati quantum volueris, hâc videlicet ratione, ut quot habueris libras plumbi calcinati ſupradicti, tot habeas lagenas aceti deſtillati: Huic affunde ſuprà dictum plumbum in magno vaſe terreo bene devitreato, deinde per ſpatium trium dierum fac, ut quotidie fortiter moveas baculo ligneo ſexies aut ſepties in uno die, cooperi bene à pulvere & nullo modo apponatur igni, toto hoc tempore. Quo tranſacto ſepara per filtrum in aliud vas totum, quod clarum eſt & cryſtallinum fuerit, poſteà pone in patellam æneam ad

ad ignem lentum, ut evaporet tota aqua phlegmatica; quousque relinquatur in fundo vasis oleum spissum valdè, quod permitte infrigidari. Quo facto fiet materia gummosa, ita, ut cultello scindi possit, hujus pone libras quatuor in cucurbitam vitream cum alembico, bene lutatâ juncturâ, cum pasta factâ ex squammis ferri, farina & clavis ovorum bene insimul contritis. Pone vas in furno arenæ, & non cum cineribus, & sepeliatur vas in arena, usque ad medium illius, & fac ut arena sit spissitudine duorum digitorum sub fundo vasis. Tunc adjunge receptorium, sed non lutatum, quousque extraxeris omnem aquam phlegmaticam igne lentissimo, quam aquam projice. Cùm videbis fumum album apparere, tum luta receptorium, quod sit duorum pedum longitudinis. Quo extracto fortifica ignem, in quantum poteris, quem continuabis, quousque totum destillaveris, quod 12 horis extrahi poterit, atque sic recipies *sanguinem rubei leonis*, rubicundissimum instar sanguinis, qui est *Mercurius noster* & *Tinctura nostra* jam præparata, ut effundatur super fermentum suum, hoc est, super calces auri purissimi, &c. Cæterùm si ad opus album uti volueris, tribus vicibus destillabis lento igne mercurium tuum, reservando semper ad partem fæces in qualibet destillatione, & tunc habebis mercurium tuum albissimum instar lactis. Atque hoc est nostrum *Lac Virginis*, *Menstruum dealbatum*, & *Argentum vivum nostrum* philosophicè exuberatum.

Ex quo per circulationem fac oleum ex calcibus lunæ, & procede in omnibus, ut fecisti de mercurio rubeo super calces auri, & habebis elixir album, quod convertet quodlibet metallum in lunam perfectam. Oleum verò aureum perfici debet & temperari & bene uniri cum balsamo artificiali, per modum circulationis, quousque ex eis fiat liquor aureus clarissimus, & resplendens, qui est verum aurum potabile, & Elixir vitæ magis pretiosum ad corpora humana, quàm quævis alia medicina mundi.

Simile menstruum Ripleus habet in sua Medulla philosophiæ chymicæ.

62. Menſtruum fætens ſimplex Riplei,

Medulla phil. chym. pag. 170.

℞. ACutiſſimam humiditatem uvarum, atque in ea deſtillata diſſolve in aquam cryſtallinam claram corpus bene calcinatum in rubeum, quod à Philoſophis appellatur Sericon, de qua fiat gummi, quod guſtu aſſimilatur alumini, & à Raymundo vocatur vitriolum azoqueum. Ex hoc gummi igne lento extrahitur imprimis aqua debilis, quæ guſtu nullam habet acuitatem, non magis quàm aqua fontis. Et quando fumus albus incipit apparere, tunc muta receptorium, & luta fortiter, ut nullo modo poſſit expirare; atque ita recipies aquam tuam ardentem, Aquam vitæ, & menſtruum reſolutivum, quod anteà erat reſolubile. Hic eſt vapor potentialis, potens diſſolvere corpora, putrefacere, atque etiam purificare, dividere elementa, & exaltare terram ſuam in ſalem mirabilem virtute ſua attractiva. Et qui putant aliam eſſe aquam, de qua loquimur, præter hanc, errant in opere iſto. Hæc aqua habet guſtum acerrimum, & partim etiam odorem fætidum, atque ideò vocatur menſtruum fætens: Et propterea quòd ſit aqua valdè aërea, ideò *infrà horam* poſtquam deſtillatur ſive rectificatur, debet poni ſuper calces ſuas. Quando verò ſuperfunditur ſuper calces prædictas, incipit ebullire. Tunc autem ſi vas fuerit bene clauſum, non ceſſabit operari ſine igne extrinſecùs illi adminiſtrato, quouſque exiccetur in calcem. Quocircà non debet apponi illius major quantitas, quàm quæ vix ſufficiat cooperire calces. Deinde verò ultrà progredere ad totum complementum illius, ſicut in opere aquæ compoſitæ. Et quando elixir reductum fuerit in colorem purpureum, diſſolvatur in eodem menſtruo, in oleum tenue prius rectificato, ſuper quod figatur per circulationem ſpiritus aquæ noſtræ, & tunc habet potentiam omnia corpora convertendi in aurum puriſſimum, & ſanare omnes infirmitates corporis humani, plus quàm omnes potiones Hippocratis & Galeni. Nam hoc

eſt

est verum Aurum potabile & non aliud, quod fit ex auro elementato artificioso, circumducto per rotam philosophiæ, &c.

Idem menstruum habetur in vade mecum Riplei.

63. Menstruum sericonis Riplei.

In Vade mecum, vulgo the Bosomebook.

℞. SEriconis vel antimonii libras triginta, ex quibus habebis gummi libras viginti vel circiter, modò acetum sit bonum; singulas libras istius sericonis solve in aceti bis destillati mensuris duabus (*a gallon*,) & cum aliquantisper steterit in digestione, agita baculo puro materiam sæpiùs qualibet die, quò sæpiùs eò meliùs, liquorem filtra ter, fæces abjice, ut superfluum removendum, non intrans magisterium, id enim terra damnata est. Tum liquores filtratos in balneo Mariæ evapora temperato calore, & sericon nostrum coagulabitur in gummi viride, dictum *Leo viridis noster*, gummi istud exsicca bene, cavendo tamen, ne comburas flores ejus vel destruas viriditatem. Tum recipe dictum gummi, pone in retorta vitrea forti bene lutata, & destilla igne moderato aquam debilem abjiciendam. Verùm quam primùm videris fumum album ascendentem, appone recipiens vitreum amplum & capacitatis sufficientis, cujus orificium exactè collo retortæ conjungitur, quæ lutabis optimè, ne aliquid de fumo pereat vel evanescat ex recipiente. Tum per gradus augmenta ignem, donec fumus rubeus ascendat, & fortiorem ignem continuabis usque dum veniant guttæ sanguineæ, vel nullus ampliùs appareat fumus. Tum per gradus diminue ignem, omnibus jam frigefactis, remove recipiens, & subitò claude ne spiritus evanescant, quoniam liquor hic, dicitur liquor noster benedictus, vase vitreo optimè clauso reservandus. Tum examina collum retortæ, ubi invenies glaciem quandam albam & duram, ad modum vaporis congelati, vel mercurii sublimati, quam cautè collige & serva, quoniam continet secreta magna de quibus inferiùs. Tum fæces ex retorta exime, nigras fuliginis instar, quæ dicuntur *Draco noster*, quarum libram unam vel ampliùs

juxtà placitum calcina in furno figulorum vel vitrariorum, vel in anemio in calcem albam niveam, quam ſerva puram per ſe, cùm dicatur *Baſis* & fundamentum operis, *Mars*, *Terra noſtra alba fixa*, vel *Ferrum Philoſophorum.* Jam recipe reſiduum fæcum ſive Draconis nigri, & ſuper marmor vel alterius generis lapidem diſperge, & in extremitatum altera accende carbone vivo, & ſpatio dimidiæ horæ tranſcurret ignis per omnes fæces, quas calcinabit in colorem citrinum glorioſum valdè. Fæces has citrinas diſſolve aceto deſtillato, per modum dictum ſuperiùs, filtra quoque ter, ut ſuprà, diſſolutum, deinde evapora in gummi, & deſtilla menſtruum, quod nunc dicitur *Sanguis Draconis*, iſtúdque reitera opus in omnibus, ut anteà, donec totum vel majorem partem fæcum reduxeris in liquorem noſtrum naturalem vel benedictum, quos liquores omnes affunde liquori primo, ſive menſtruo dicto *ſanguis leonis viridis.* Liquorem ita mixtum in vaſe vitreo putrefac per 14 dies. Tum procede ad ſeparationem elementorum, quoniam jam omnem habes in hoc liquore benedicto, lapidis ignem olim occultam in fæcibus. Quod ſecretum mirabiliter hactenus occultatum fuit à Philoſophis. Jam recipe omne menſtruum putrefactum, pone in vitro veneto aptæ quantitatis, appone alembicum, quod luta linteis albumine ovorum madefactis, oportet, ut recipiens ſit valdè amplum, ne ſpiritus reſpirans exeat, & temperato calore ſepara ab invicem elementa, & elementum aëris aſcendet primò, quod eſt oleum (*ſpiritus ardens, in ſummitate parùm olei albi continens.*) Deſtillato primo elemento, id in vaſe alio ad id idoneo rectifica, hoc eſt, ſepties deſtilla, uſque dum comburat linteum in eo madefactum, ſi accendatur. Tum dicitur Aqua ardens noſtra rectificata, quam optimè clauſam ſerva, aliâs enim ſpiritus ejus ſubtiliſſimus evaneſcet. In rectificationibus Aquæ ardentis aſcendet aër in forma olei albi natans ſuper Aquam (*ardentem*) & oleum citrinum remanebit, quod fortiori igne deſtillatur. Mercurium ſublimatum & in pulverem redactum, diſſolve per deliquium in lamina ferrea & loco frigido, liquori filtrato affunde parum Aquæ ardentis, & extrahet mercurium in forma olei viridis ſupernatantis, quod ſepara & per retortam deſtilla, & aſcendet primo aqua, & deinde oleum craſſum, quod oleum mercurii eſt. Tum deſtilla diluvium vel aquam lapidis in recipiens aliud,

liquor

liquor erit albidus, quem abſtrahe in balneo, calore moderato, uſque dum remaneat in fundo cucurbitæ ſubſtantia quædam craſſa oleoſa, inſtar picis liquidæ, aquam hanc per ſe ſerva in vitro bene clauſo. Nota, quamprimùm liquor aſcendet albus, aliud apponendum eſt recipiens, quoniam iſtud elementum totaliter deſtillatum eſt. Nigri verò iſtius olei liquidi guttulæ duæ vel tres adminiſtratæ in ſpiritu vini curant omne venenum. Jam huic materiæ nigræ & liquidæ affunde Aquam ardentem noſtram, miſce bene invicem, fac ut ſubſideat per tres horas, decanta & filtra liquorem. Recentem Aquam ardentem affunde, & operationem ter repete, & tum iterum deſtilla in balneo igne lento, & hoc reitera ter, & nominabitur *ſanguis humanus rectificatus*, quem operatores in ſecretis naturæ quærunt. Ita exaltaſti in virtutem quintæ eſſentiæ duo elementa, videlicet aquam & aërem; ſanguinem hunc ſerva pro tempore. Jam materiæ nigræ & liquidæ, vel terræ lapidis affunde deluvium vel aquam, & miſce bene invicem, & deſtilla totum, uſque dum remaneat terra valdè ſicca & nigra, quæ eſt terra lapidis, ſerva oleum cum aqua pro tempore. Terram nigram redige in pulverem, cui affunde *ſanguinem humanum* prædictum, digere per tres horas, poſteà deſtilla ex cineribus igne ſatis forti; reitera hoc opus ter, & nominabitur aqua ignis rectificata, & ita exaltaſti tria elementa in virtutem quintæ Eſſentiæ, videlicet aquam, aërem, & ignem. Tum calcina terram nigram & ſiccam, in furno reverberatorio, in calcem albiſſimam. Cui admiſce Aquam igneam, & deſtilla igne forti, ut ſuprà; terram reſiduam iterum calcina, & deſtilla, idque ſepties, vel donec tota ſubſtantia calcis fuerit tranſacta per alembicum, & tum habes Aquam vitæ rectificatam & reverà ſpiritualem, & quatuor elementa exaltata in virtutem quintæ Eſſentiæ. Aqua hæc diſſolvet corpora omnia, putrefaciet ea & purgabit. Hæc eſt *Mercurius noſter*, *lunaria noſtra*, quicunque autem aliam putat aquam præter hanc, ignorans eſt & ſtultus, nunquam perveniens ad deſideratos effectus.

Menſtruum hoc ex eadem cum præcedentibus conficitur materia; Nam Leo viridis, Adrop, Plumbum Philoſ. Antimonium minerale, Aurum aëreum, Mercurius, &c. *unius & ejuſdem materiæ ſynonyma ſunt. Materia hæc aceto deſtillato diſſoluta, iterúmque inſpiſſata in gummi, quod guſtu aſſimilatur alumini,*

à Ripleo dicitur in menstrui antecedentis sub No. 62. *descriptione*, Vitriolum azoqueum Lullii. *Lullius in practica Testamenti* cap. 9. pag. 159. Vol. 4. Th. Chym. *menstruum aliquod componit ex B. C. D. Per B. intellexit dictum leonem viridem, vel argentum vivum commune quod hominibus, ut inquit alibi, magis commune est, quàm argentum vivum vulgare.* B. ait pag. 153. dictæ pract. *significat argentum vivum, quod est communis substantia stans in omni corpore corruptibili, prout per ejus proprietatem apparet, &c.*

Per C. intellexit nitrum commune. C. inquit, significat salis petram, quæ communem habet naturam (*acidam*) & similem argento vivo per proprietatem suæ fortis (*acidæ*) naturæ. *pag.* 154. *dicti* 4. *Volum. Per D. intellexit gummi Adrop ex leone viridi confectum. D. inquit*, significat vitriolum azoqueum, quod corrumpit & confundit omne illud, quod est de natura & esse communis argenti vivi. Ibidem.

Utrumque C. & D. media puriora vocat cap. 58. Theor. Test. p. 96. Scias fili, inquit lavatorium nostrum. Tu poteris argenti vivi (*phil.*) lavare naturam tali modo, ad quem natura ullo tempore non potuit pervenire, videlicet, ut argentum vivum fiat elixir completum. Sed cum in natura, & in tuo opere argentum vivum (*phil.*) & metalla sint extrema, & extremitates non habeant posse conjungendi se, nisi per virtutem dispositionis mediæ, quæ est inter mollitiem argenti vivi & duritiem metalli; quia per istam mediam dispositionem constat obedientia naturalis, quæ est causa conjunctionis inter corpus & spiritum, sicut est in omni generato & generabili. In natura sunt plura media, quorum duo sunt puriora & magis viscosa, azoquea vitriola viridia, cum natura lapidea, quæ est sal & natura lapidum. Fili adjutorio hujus vilis materiæ procreatur lapis noster, quem tantùm quæsivimus, &c.

Cum horum mediorum altero C. natura lapideâ, salis petrâ, sale petræ *vel* nitro, *nullum habemus negotium in presenti; verùm de D.* gummi Adrop, vel vitriolo azoqueo Lullii *solliciti, ut ipsum consulamus Lullium, operæ pretium erit. De quo philosophus* cap. 59. Theor. Testamenti *ita:* Fili, *inquit*, leo azoqueus, qui dictus est vitriolum (*azoqueum*) per naturam factus est de propria substantia argenti vivi communis, quod est

eſt radix naturalis, unde metallum creatur in ſua propria minera.

Per argentum vivum commune non intellexit argentum vivum vulgi ſed philoſophicum, radicem naturalem tam metallorum quam mineralium. Quando dicimus, *inquit*, mercurium communem, dicimus de illo, quem philoſophi intelligunt, & quando dicimus vulgarem, loquimur de illo, quem ruſticus intelligit, qui venditur in apothecis, *cap. 4. libri Mercuriorum.*

Quod hujus mercurii etiam teſtantur ſynonyma ſequentia: Chaos, Natura, Origo, Leo viridis, Argentum vivum, Unguentum, Oleum, Paſtura & Liquor magni valoris. *cap. 45. Theor. Teſt. p. 75. Volum. 4. Th. Chym.*

Hoc argentum vivum commune ſive Leo viridis depurari debet à ſuis ſuperfluis, antequam ex eo fiat vitriolum azoqueum Lullii vel gummi Adrop Riplei. Fili indagator hujus ſcientiæ, *inquit*, oportet te firmum eſſe & non quærere poſt hoc vel hoc: Quoniam in multis rebus ars iſta non perficitur. Et ideò tibi dicimus, quod non eſt niſi unus ſolus lapis, ſcilicet ſulphur, & una ſola medicina, ſcilicet compoſitio ſulphuris, cui nihil addere debes, niſi ſuperflua demere terreſtria & phlegmatica, quoniam iſta ſunt & debent eſſe ſeparabilia, & ſeparanda à noſtro argento vivo, quod eſt hominibus magis commune, quàm argentum vivum vulgare, & eſt majoris pretii, meriti, & fortioris unionis naturæ, à quo & ſuis primis formis omne illud, quod non eſt de ſequela armoniaca metallorum, per gradus ſeparationis ſcitos & cognitos, opus eſt ſeparare, &c. *cap. 18. Theor. Teſt. pag. 33. Volum. 4. Th. Chym.* Dicimus quod non eſt niſi unus lapis philoſophicus (*volatilis nondum fixatus, ſive materia menſtrui*) à rebus ſupradictis noſtro extractus magiſterio. Et ideò quando de novo venit in mundum, non debes ei addere alium pulverem, vel aquam aliam, nec aliquam rem extraneam, niſi illud, quod in eo natum eſt, ſuæ naturæ propriæ radicalis & mater ejus, quæ paſcit & portavit eum, videlicet ſulphur, quod formavit lapidem in colore cœleſti. Sed antequam eum (*lapidem*) ex toto extrahas (*deſtilles*) foras, purga eum, & munda ab omnibus ſuis infirmitatibus, (*quæ ſunt contra naturam ſuam*) phlegmaticis, terreſtribus & corruptibilibus, quia mors ejus ſunt, quibus circumdatur; quæ ipſius vivificativum ſpiritum mortificant *cap. 7.*

Theor.

Theor. Test. pag. 20. *Volum. dicti.* Diligenter notandum est quod supradictorum duorum principiorum naturalium (*sulphuris & argenti vivi*) unum verius est naturale in tota, & per totam sui substantiam, tam intrà quam extrà, & illud est sulphur purum, calidum & siccum inducens formam suam, scilicet secundùm quod forma metalli sequitur purum effectum. Reliquum verò (*argentum vivum*) est innaturale, id est, intùs naturale, & extrà contra naturam. Naturale verò intrinsecum est sibi proprium & etiam connaturale factum, quia per propriam naturam advenit. Sed extrinsecum ei additur per accidens, & ab isto est naturaliter post ejus corruptionem (*putrefactionem*) separandum. Propter quod constat argentum vivum tale, non esse in tota sui substantia naturale in prima sui receptione; nec esse ad plenum depuratum, nisi per artis depuretur ingenium. *cap. V. pag.* 10. *Codicilli.*

De hac argenti vivi sive leonis viridis purificatione Ripleus ita: Quocirca, *inquit*, hic mercurius (*spiritus corrosivus vitrioli vulgi*) vocatur à Raymundo, *Ignis noster contra Naturam.* Nihilominus aliqua in parte huic mercurio (*acido vitrioli*) idem contingit, quod & alii (*mercurio vegetabili, sive leoni viridi*) qui est *ignis noster naturalis.* Nam uterque illorum absconditur in medio vel centro corporis sui, hoc est, inter aquam phlegmaticam ex una parte, & grossitiem terrestrem ex alia parte, neque obtinentur sine industria magna philosophiæ. Itaque illæ partes non possunt nobis prodesse, excepta solummodò illorum media substantia. Dicit enim Raymundus: Nos accipimus neque de primis principiis, eò quòd sunt nimis simplicia, neque ex ultimis, quia sunt grossa & fæculenta, sed tantùm de mediis, in quibus est *tinctura & verum oleum* separatum ab immunda terrestreitate & aqua phlegmatica. Ideò dicit Raymundus in hunc modum: Unctuosum humidum est materia propinqua nostri argenti vivi Physici. *Pag.* 298. *Pupillæ Alchym.*

Depuratur autem argentum vivum vel Leo viridis vitriolo vulgi, nimirum: Quando argentum vivum ponitur in vapore sicco atramentali (*spiritu vitrioli*) qui est aqua acula, statim dissolvitur per incisionem & penetrationem, quæ movetur ab acuitate forti patenter, & in dissolvendo convertitur in naturam atramenti terrestris, non capiendo formam metallicam,

nec

nec formam claram, nec cœlestinam, sicut apparet post evaporationem dictæ aquæ & suam congelationem in forma lapillorum croceorum, quæ croceitas à terreitate pontica & sulphurea procedit, quæ ultra mensuram erat in dicta aqua mixta per parva frusta cum universalitate & simplicitate homogenea, quæ simplicitas erat capta & ligata per dictam terrestreitatem, mutatione lucis & claritatis atque luciditatis in obscuritatem, &c. *Cap.* 89. *Theor. Test.* 141. *Volum.* 4. *Th. Chym.*

Fili vapor grossus atramentosus, à quo creatum est atramentum, est multùm acutus & ponticus, & ideò partes penetrat sulphuris & argenti vivi depuratorum, & penetrando inficit illam materiam depuratam, congelando in speciem illius vaporis atramentosi & lutosi terrestris qui mixtus est ipsis. Quare patet id, quod diximus, quæ est major porta, scilicet quòd virtutes terrestres non obtineant super cœlestes sed è converso, & habebis rem petitam. *Cap.* 85. *Theor. Test. pag.* 137. *Volum. ejusdem.*

Recorderis quòd cum menstruali (*materia menstrui*) nihil ponere velis, nisi rem, quæ de illo nata sit in principio suæ commixtionis. Nam si rem extraneam ponas, statim corrumpetur per extraneam naturam, nec unquam habebis illud, quod habere vis. Aurum & argentum & mercurius dissolvuntur in nostro menstruali, quia participat cum eis in proximitate & vicinitate primæ naturæ. Et hinc extrahes *fumum album*, quod est *sulphur nostrum & leo viridis*, qui est *unguentum nostrum*, & *aqua fætens* quæ est *argentum vivum nostrum*. Attamen opus est, ut leo viridis aquâ fætente dissolvatur solemni dissolutione, antequam dictum fumum, qui est sulphur nostrum, habere possis, quod quidem sulphur eodem modo à corpore dissolvitur, spiritum congelando in forma aquæ siccæ, quam lapidem appellamus & medium supremum totius operis nostri, qui est connexio & aggregatio omnium naturarum scilicet corporis & spiritûs. Fili, hæc aqua dicitur *Aqua-Ignis* (*vel si mâlis Ignis-aqua, verbum indeclinabile*) quia comburit & cremat aurum & argentum melius quàm ignis elementalis facere potest; & quia in se continet calorem naturæ terrestris, qui sine vi dissolvit, quod ignis communis facere nequit. Quare tibi præcipimus, quòd de rebus calidioribus, quas in natura recipere poteris, facias magisterium & aquam calidam

lidam habebis quæ omnia dissolvit. *Cap.59. Theor. Test. pag.98. Volum. ejusdem.*

Dicta hæc Ripleus brevibus ita comprehendit. Hæc verba, *inquit*, sufficere possunt homini sapienti ad cognoscendum & habendum viridem leonem. Sed hic nobilis infans vocatur leo viridis, quia quando dissolvitur vestitur viridi vestimento. Tamen ex leone viridi fatuorum (*vitriolo*) extrahitur vehementi igne aqua illa, quam sortem (*spiritum vitrioli*) vocamus, in quâ dictus leo elixirari debet. Nam omne aurum alchymicum fit ex corrosivis, &c. *Pag.* 139. *Medulla Phil.*

Argentum vivum istud, leo viridis, plumbum philosophorum, &c. vitriolo depuratum ulteriùs maturandum est vel calcinandum in rubeum colorem, minium, plumbum calcinatum, sericon, &c. E. (*id est azoth vitreus pag.*15. *Theor. Test.*) quartum (*medium vel principium*) est quædam substantia procedens ex minera sua & infrà ipsum, magis propinqua naturæ metallorum: Quæ calcantis & azoth vitreus (*mercurius vitriolatus sive vitriolum azoqueum*) ab aliquibus nominatur, quæ est terra & minera metallorum, & alio nomine vocatur Urisius, lucens album & rubeum in occulto, nigrum & viride publicè, habet colorem lacertæ venenosæ, immediatè generatus ex argento vivo, materiâ suprà dictâ, imprægnata ex dicto vapore calido & sicco sulphureo (*vitrioli vulgi*) in sua resolutione congelatur in lacertam, in quo (*azoth vitriolato*) est forma & species spiritûs fætentis in mixtione, cujus calor mineralis est multiplicatus, qui est vita metalli & est significatum per E. *Cap.* 3. *Theor. Testam. pag.* 12. *Volum.* 4. *Theat. Chym.*

Et paulo post: In opere naturæ est argentum vivum, sed non tale quale invenitur super terram, nec erit quousque in sanguinem apostematum & venenosum primitùs vertatur. *Ibidem.* Scias, fili, quod per artem & naturam argentum vivum per aquam acutam congelatur. Ideo intellige philosophicaliter, quia si non esset acuta, non penetraret, quæ est prima actio in dissolutione, post quam solutionem in sanguinem apostematum revertitur per mutationem suæ naturæ in aliam. Fili duæ res sunt, quæ debent adhærere per concordantiam contrarietatis, una pura, altera impura. Impura recedit, cum sit ignis inimica, ratione suæ corruptionis. Altera remànet in igne, causa & ratione suæ puritatis, transmutatæ in sanguinem, &

hæc

hæc eſt argentum vivum noſtrum, atque totum noſtrum ſecretum, indutum indumento tripartito, videlicet nigro, albo, & rubeo. Et iſto ſolum indigemus pro intentione noſtri magiſterii, cùm ſit argentum vivum continens omne illud, quo indigemus pro ſubſtantia quinta. Eſt in mercurio quicquid quærunt ſapientes, nam ſub umbra ejus latet ſubſtantia quinta, nam ejus ſubſtantia eſt pura & incombuſtibilis. Et omne illud non eſt niſi aurum & argentum (*non metalla vulgaria ſed aërea, in mercurio ſive leone viridi exiſtentia*) liquefacta, & fuſa intùs & exteriùs per virtutem ignis (*contra naturam*) & poſt depurata & ſeparata à tota originali labe ac macula, nam aurum quod eſt incombuſtibile, remanet fuſum & liquefactum, & eſt aurificans in dicto mercurio, &c. *Cap.* 62. *Theor. Teſt. pag.* 103. *Volum.* 4. *Th. Chym.*

Ex hoc minio philoſophico, plumbo calcinato vel ſericone Adepti aliquando deſtillavere menſtrua ſua; ſit pro exemplo primum hujus generis ſub No. 59.

Aliquando autem minium hoc diſſolverunt aceto deſtillato, eòque inde abſtracto redegerunt in gummi Adrop vel vitriolum azoqueum Lullii, ex quo poſteà deſtillarunt menſtruum fætens ſub No. 60.

Aliquando gummi Adrop priùs diſſolvebant per deliquium, poſteáque deſtillabant; Decimus tertius practicandi modus, *inquit Ripleus*, ut hîc patet eſt valdè curioſus. Et eſt in ſaturno (*philoſophorum*) rubificato, in vaſe obturato vitreo, ne reſpiret per ignem fortem & continuum donec rubefiat. Igitur ſume illud rubificatum & pone deſuper, acetum deſtillatum in bona quantitate, & agita ſæpiùs per dies ſingulos durante uno menſe (*una ſeptimana*) tunc ſepara acetum per filtrum, & ſume tantummodo illud, quod eſt abſque fæcibus clarum, & pone in balneum ad deſtillandum, & invenies in fundo vaſis poſt ſeparationem aceti quoddam album vel cæruleum, quod ſume & in veſica quintuplicata, ne aqua intret, ſolve in balneo in aquam criſtallinam, pone aquam illam in deſtillatorio, & ſepara, ſi vis, ab ea elementa, vel deſtilla aquam ſolutam, quam rectifica in circulatorio, & terram, quæ in fundo remanſit (*in deſtillatione*) tracta per calcinationem, donec creſcat ſicut ſpongia, & tunc eſt multum habilis ad rehauriendum mercurium ſuum ab ea ſeparatum, ut fiat nova generatio

& pariatur filius, qui vocatur *Rex ignis*, & qui tantus est in amore omnium Philosophorum. *Cap.* 17. *Philos. pag.* 220. *De hoc opere mentionem fecerat Ripleus* Cap. 4. ejusd. libelli pag. 194. *inquiens:* Demum est aliud opus in gummi creato per acetum de rubeo saturno, ex quo fit separatio elementorum, postquam dissolutum fuerit in vesicis. Menstrua ex gummi Adrop, qualicunque modo confecta dixêre fætentia propter odorem fætidum. Hæc aqua, *inquit Ripleus*, habet gustum acerrimum, & partim etiam odorem fætidum, atque ideò vocatur menstruum fætens. Asa fætida etiam dicitur ab odore, quam habet mercurius noster, quando recenter de absurdo corpore suo extractus est, quia odor ille asæ fætidæ similis est, adstipulante philosopho, qui dicit: Fætorem istum ante præparationem hujus aquæ pessimum esse, qui post ejus circulationem in quintam Essentiam, & bonam præparationem jucundus & valdè delectabilis est, & fit medicina contra lepram & omnes alios morbos, sine quo auro vivo nunquam verum aurum potabile facere poteris, quod est elixir vitæ & metallorum. *Adrop. phil. pag.* 548. *Volum.* 6. *Theat. Chym.*

Menstrua hæc ob colorem album & opacum dixerunt fumum album. Fumus albus, *inquit Ripleus*, quoque vocatur, nec immeritò, nam in destillando primò egreditur fumus albus ante rubram tincturam, qui cum in alembicum ascendit, vitrum lactis instar dealbat, unde etiam Lac Virginis vocatur. *Ibidem.*

Ex fumo rubeo sive tinctura rubra, aliàs sanguis leonis viridis *dicta, sola rectificatione duplicem mercurium, videlicet rubrum & album præparaverunt Adepti.* Hac occasione, *inquit Ripleus*, regulam generalem te docebo. Si Elixir album facere volueris necesse erit tincturam tuam (*sanguinem leonis viridis*) in duas partes partiri, quarum una pro opere rubro erit servanda, altera verò cum igne lento destillanda. Et aquam albam obtinebis, quæ est *tinctura nostra alba, nostra aquila, noster mercurius* & *Lac Virginis.* Has duas tincturas seu mercurium album & rubrum cùm habueris, super terram ipsorum propriam aut super calcem metallorum practicare poteris, Philosophi enim dicunt, nos de terra non debere esse solicitos de qua sit substantia, &c. *Adrop. phil. pag.* 554. *Vol.* 6. *Th. Chym.*

Mercurium duplicem Rogerius Baco *hoc confecit modo.*

64. Leo

64. Leo viridis Rogerii Baconis,

A Raymundo Gaufrido in verbo abbreviato de leone viridi pag. 264. Thesauri Chymici Baconis.

VErbum abbreviatum verissimum & approbatum de occultis enucleatum brevi sermone abbreviavi vobis in opere lunæ & solis. Imprimis oppidò flagitans à lectoribus, ne talem tantámque Margaritam canibus vel porcis tradant conculcandam; hoc est enim secretum secretorum omnium Philosophorum, hortus deliciarum & aromatum omnium thesaurorum, quem qui semel intraverit, ulteriùs non egebit. Istud verò verbum, multis non immeritò desideratum ab egregio doctore nostro Rogero Bacon, est primò declaratum: Deinde ego frater Raymundus Gaufridus, ordinis fratrum minorum minister generalis, ipsum verbum breviùs quàm potui, breviter explanare filiis Philosophiæ curavi. In Christi ergò nomine ℞. Acetum fortissimum in maxima quantitate per alembicum diligenter destillatum, in quo, ut decet, in magna quantitate Leonem viridem dissolve, dissolutum verò destilla per filtrum, & serva in cucurbitis vitreatis bene obturatis. Si aliqua pars notabilis de leone remanserit indissoluta, dissolve cum prædicto aceto, & destilla per filtrum & solutum conjunge cum aliis aquis superiùs in cucurbitis reservatis, tunc recipe aquas reservatas (*dissolutiones*) & pone omnes ad destillandum in balneo Mariæ, applicatis sibi alembicis bene lutatis, ne cucurbitæ respirent, suppone ignem, & recipe omnes aquas, quæ destillabuntur, caveas tamen, ne Leo dissolutus omninò congeletur in cucurbitis, sed quòd remaneat liquidus vel mollis, hinc omnes cucurbitas recipe, & totum quod in eis est, in una cucurbita repone, quam luta bene cum suo alembico, & pone in furno inter cineres, sicut decet. Et suppone lentum ignem, propter temperationem vitri, & propter humiditatem extraneam, quæ est in ipso leone extirpandam. Et nota, quòd istud semper debet fieri cum lento igne, cùm verò humiditas extranea exierit, fortifica ignem paulatim, & respicias semper nasum alembici, si humor rubeus exire inceperit. Quod

si

si adhuc non exit, ignem prædictum continua donec exeat, cùm verò videris humorem rubeum destillare, continuò muta ampullam, quam luta bene cum rostro alembici, & post fortifica ignem, & recipies ab ipso leone suum sanguinem mirabiliter rubeum, continentem in se quatuor elementa multùm odorifera & bene fragrantia (*post debitam putrefactionem*) serva ergò ipsum in bona ampulla firmiter obturata. Deinde recipe ipsum sanguinem, & pone in ampulla bene clausa ad putrefaciendum, seu digerendum sub fimo bene calido, mutando fimum de 5 in 5 diebus, ut ibi digeratur per 15 vel 16 dies, & hoc fit, ut dissolvantur partes elementares & sint aptiores ad dividendum, & partiendum per quatuor elementa, videlicet per destillationem. Ipso autem putrefacto per 15 vel 16 dies, extrahatur & in cucurbita aptetur, & destilletur cum lento igne in balneo Mariæ. Sufficit verò, quod aqua cum igne ferveat, & recipies aquam (*destillatam*) & fæces, quas in fundo cucurbitæ invenies diligenter reserves; Aquam verò, quam destillasti, septies destilla, semper fæces, quas faciet, reservando cum aliis fæcibus superiùs reservatis. Et sic habebis aquam splendidam, claram & albam ut cristallus, & bene ponderosam, quæ dicitur esse mercurius Philosophorum ab omnibus Philosophis absconditum, & ab omnibus suis superfluitatibus absterſum & depuratum, carissimum & pretiosissimum pretiosum; custodias ergò eum cautè & sapienter in ampulla firmiter obturata. Tunc recipe omnes fæces ipsius mercurii, sicut dixi, superiùs reservatas, & tere bene in marmore, distemperando (*cum phlegmate aceti destillati*) & ad solem desiccando, & iterum molendo, & semper cum aqua aceti destillati supra marmor imbibendo, & ad solem desiccando; & sæpè sæpiùs seu toties contritiones, imbibitiones, & desiccationes iterando, donec nigredo & omnis superfluitas ab eis fæcibus expulsa fuerit, quod sic cognosces, si fæces per imbibitiones & ablutiones prædictas rubeæ vel rufæ vel citrinæ fuerint, tunc bene factum est, si verò adhuc nigræ fuerint, contritiones, imbibitiones & desiccationes reitera toties, donec habeas signum prædictum; & tunc ipsas reserva. Deinde recipe cucurbitam vitream, in qua repone prædictas fæces superiùs præparatas, cum quantitate bona aceti destillati, & colloca ipsam in furno videlicet in balneo Mariæ, & suppone ignem, quem con-

continues jugiter, donec fæces prædictæ per virtutem aceti & ignis omninò dissolvantur, & cum bene fuerint dissolutæ, deponatur cucurbita ab igne & fac eas destillare per filtrum, sicut decet, cùm autem aqua illa (*dissolutio fæcum*) fuerit tota ita destillata (*filtrata*) repone eam in cucurbita nova & bene obtura: Si verò aliqua pars notabilis remanserit in destillatione filtri ad dissolvendum, recipe illam partem, & pone iterum super ignem, sicut fecisti primas fæces, in balneo mariæ, donec dissolvatur, ut istas fæces, quæ remanserunt cum aceto dissolvas, sicut primas fæces in balneo cum aceto in cucurbita dissolvisti; posteà per filtrum, ut priùs, destilla, & repone cum alia aqua superiùs destillata, quam reservasti; tunc recipe illam cucurbitam novam, in qua prædictas fæces dissolutas & destillatas superiùs posuisti, & luta eam igne cum suo alembico, & colloca eam super furnum in balneo, & suppone ignem, & fac destillari, sicut decet: Caveas tamen, quòd fæces non omnino desiccentur, sed sint humidæ sive liquidæ: Hinc depone cucurbitam à furno, pone inter cineres cribellatos, & bene compressos, & suppone lentum ignem ob temperationem vitri, & rationem extrahendi extraneam humiditatem, quæ sibi est de aceto, & sæpè sæpiùs respice rostrum alembici, si humor aureus vel rufus destillatur; quod si non destillatur, continua ignem illum, donec destilletur humor rufus vel aureus, quando autem ita destillat, mox muta ampullam bene mundam, & luta eam optimè cum rostro alembici, & tunc fortifica ignem, & recipias oleum rufum, & sic continua ignem, donec totus humor destilletur, & fæces reserva, quoniam sunt *Ignis*; prædictum verò oleum Philosophi nominaverunt *sulphur eorum occultum*, quod sic rectificabis, repone ipsum in cucurbita, & superpone alembicum bene lutatum, post colloca eum inter cineres supra furnum, & subjice lentum ignem, donec destillet, recipe autem liquorem, quem destillabit in ampulla bene obturata cum rostro alembici, & fæces, quæ remanebunt, serva, quoniam sunt *Ignis*; & istum *Ignem* conjunge cum alio *igne* reservato, & sic purifica ipsum septies destillando, & fæces quas faciet reservando, sicut superiùs dixi, & sic habebis tuum aërem, sive sulphur bene depuratum, lucidum, serenum, & perfectè depuratum, & erit coloris aurei, &c.

Baco

Baco sanguinem leonis viridis per 15 dies putrefactum septies cohobavit ex balneo in aquam splendidam & ponderosam, quam vocavit mercurium Philosophorum; ex fæcibus autem relictis in hujus mercurii rectificationibus, aceto destillato dissolutis, novum confecit gummi, ex quo denuò destillavit humorem aureum vel oleum rufum, quod post septenam rectificationem aërem esse voluit vel sulphur philosophorum bene depuratum, lucidum & serenum. Ripleus verò duplici methodo usus fuit in rectificatione menstrui fætentis, sive Leonis viridis; vel enim sanguinem recentem Leonis viridis divisit in duas partes, destillando nempe tantummodò usque ad medietatem, partem destillatam vocavit mercurium album, tincturam albam, Lac Virginis, &c. partem alteram & residuam nuncupavit mercurium rubeum & tincturam rubeam, &c. Utì videri est libro Adrop phil. loco superiùs allegato.

Vel totum menstruum, sanguinem unà cum fumo albo putrefecit per 14 dies, quod posteà divisit in tres substantias, aquam ardentem, aquam spissam, albam, & oleum, ex quibus porrò menstruum composuit vegetabile, (quod à Lullio descriptum est in potestate divitiarum, & à Ripleo superiùs sub *No.* 35. in suo vade mecum.)

De his tribus substantiis menstrui fætentis Ripleus sequentia habet in libro Terra Terræ philosoph. pag. 319. *Ubi sic*: Cum ergò ex gummi totum mercurium extraxeris, intellige, quòd in hoc mercurio continentur tres liquores, quorum primus est *Aqua vitæ ardens*, quæ per balneum temperatissimum extrahitur. Hæc Aqua incenditur & inflammatur citissimè, ut Aqua vitæ communis. Et vocatur mercurius noster attractivus, cum quo fit terra crystallina cum omnibus calcibus metallicis, de quo nihil ampliùs loquar: quia in hac operatione non indigemus. Posteà verò sequitur alia *Aqua spissa & alba*, ut lac, in parva quantitate, quæ est sperma nostri lapidis, qui à multis perquiritur, nam & hominum & animalium omnium viventium sperma est principium. Quocircà non immeritò vocamus illud nostrum mercurium, qui per omnia & ubique reperitur: Nam sine illo nemo unquam vivit, atque ideò dicitur esse in omni re. Hæc humiditas, quæ jam tibi debet esse charissima, est mercurius ille, quem vocamus vegetabilem mineralem & animalem, argentum vivum nostrum, & Lac

Vir-

Virginis & nostram aquam permanentem. Cum hac Aqua mercuriali lavamus peccatum originale & sordes terræ nostræ, quousque fiat alba, ut gummi citò fluens. Post extractionem verò hujus Aquæ prædictæ veniet *oleum* per ignem siccum, cum hoc oleo facimus gummi rubeum, quod est tinctura nostra, & nostrum sulphur vivum, quod aliâs dicitur anima saturni, & aurum vivens, tinctura nostra pretiosa, & aurum nobis charissimum, de quibus nemo unquam locutus est tam manifestè. Ignoscat ergò mihi Deus, si aliquo modo illum offenderim, dum voluntati tuæ satisfacere cogor.

Magnum aliquod artis mysterium hîc à Riplæo detegitur, ob cujus revelationem timet sibi non Adeptorum solùm, sed divinam maximè displicentiam. Equidem, qualis sit leo viridis noster, quid mercurius communis magis nobis communis, quàm argentum vivum commune, quid sit vitriolum azoqueum & menstruum inde confectum, id ipsum Lullius & alii satis manifestè revelârunt discipulis suis, utut nobis de re minùs instructis, id fortè non videatur: De præsenti autem Arcano neminem locutum fuisse unquam tam manifestè, Riplæus testatur. Adepti quidem tradidêre in suis practicis usum vini (philosophici) *sine pallio philosophiæ, & inter eos Raymundus atque Arnoldus cum quibusdam aliis ad cognitionem ejusdem pervenerunt, sed* (ut utar Riplæi expressione in Medulla) *quomodo obtineri possit, tacuerunt. Quamobrem tacentibus illis, Riplæus omnium primus, & solus quidem, nobis declarat, clavem totius secretioris Chymiæ ibi latere, nimirum in lacte & sanguine viridis leonis, videlicet: menstruum fætens* (sive partes ejus, mercurium & sulphur, Lac Virginis, sanguinem leonis, mercurium album & rubeum) *per 14 dies digestum leniter, esse vinum album & rubeum Lullii aliorumque Adeptorum: Nec gratis hoc nobis dictum voluit, sed verbis suis vim & lucem addit, componendo ex dicto fætente & corrosivo menstruo, menstruum vegetabile, Aquam vitæ rectificatam* (Lullii in potestate divitiar. & à nobis sub *No.* 35. descriptam) *quo unico exemplo nos docere voluit, posse ex dicto menstruo fætenti confici omnia menstrua vegetabilia. Lullii aqua vitæ rectificata sit variis cohobationibus super proprium caput mortuum. Liberum est nobis, procedere per aliam viam methodúmve. Destilla menstruum fætens per 14 dies digestum, & ascendet primò Aqua ardens, deinde phlegma, & in fundo*

 re-

remanet materia crassa, instar picis fusæ, quæ sunt omnium menstruorum vegetabilium principia constitutiva.

Desistamus itaque ab ulteriori prosecutione dicti leonis viridis, quem per prata & sylvam Dianæ, per viam saturni (philos.) *persecuti sumus usque ad vineas philosophicas. Præsens hic locus amænissimus, datus est artis discipulis, ut post tot & tantos labores & sudores, fortunæ & vitæ pericula, hic sese recreent, exercendo opera mulierum & lusus puerorum, contenti leonis sanguine rubicundissimo, & comedendo uvas Dianæ albas rubrásve, quarum vinum depuratum est secretum totius secretioris Chymiæ secretissimum, utpote album vel rubeum Lullii, antiquorum nectar & desiderium unicum, Adoptatorum primum refrigerium, Nasutorum verò & ignorantium summum cordolium & offendiculum.*

Antequam tamen hinc discedamus, aliud quoddam non ingratum ferculum offeram vobis Paracelsistis, nimirum id ex leone viridi elicitum lac Virginis sive mercurium album (aliâs vinum album Lullii) apud Paracelsum esse illud tam anxiè quæsitum Gluten aquilæ *seu leonis viridis: Aquila enim & leo viridis sunt Adeptis rei ejusdem synonyma. Sic enim Riplæus suprà: Aquam albam obtinebis, quæ est tinctura nostra alba, nostra* Aquila, *noster mercurius & Lac Virginis. Consequenter igitur mercurium rubeum (aliâs vinum rubeum Lullii) esse* sanguinem leonis rubei *seu viridis. Idem enim leo modò viridis vocatur* (in juvenili suo statu) *modò rubeus* (in adultiori suo statu) *unde sanguis quandoque dicitur leonis viridis, quandoque rubei. Sic Riplæus (in menstruo sub* No. 61.) *inquit, Recipies sanguinem rubei leonis rubicundissimum, instar sanguinis, qui est mercurius noster & tinctura nostra jam præparata, ut effundatur super fermentum suum, hoc est, super calces auri purissimi. Item alibi: Sanguis leonis rosei coloris. Sed audiamus ipsum Paracelsum.*

65. Leo

65. Leo viridis Paracelsi,

Aureiveller. Germ. p. 41.

℞. ACetum distillatum, quo solve leonem viridem, pone in putrefactione, solutionem filtra, abstrahe in B. aquositatem usque ad oleitatem. Oleum vel residuum hoc pone in retorta, distilla ex arena humiditatem leni igne: Deinde adauge ignem, & leo viridis, vi ignis coactus dabit *Gluten* suum, aliâs aërem; capiti mortuo affunde phlegma suum (*abstractam humiditatem*) in fimo (vel balneo) putrefac & distilla, ut suprà, & iterum ascendent spiritus; urge fortiùs, & veniet oleum tenax citrini coloris. Super caput mortuum affunde iterum primam aquam destillatam, pone ad putrefaciendum, filtra & destilla, ut anteà, tandem fortissimo igne aperto, & exibit oleum *sanguineum*, quod aliâs vocatur ignis. Terram residuam reverbera in albedinem, &c.

Hucusque habuimus menstrua fætentia ex vitriolo azoqueo tantùm confecta, aliquando tamen huic addidere Adepti vitriolum commune; ita fit

66. Menstruum fætens ex gummi Adrop & vitriolo com. Riplei,

Pag. 357. Viatici.

℞. ET contere gummi factum de sericone mediante aceto destillato, cum tanto ana vitrioli evaporati, & primò lento igne evacua aquam, deinde cum forti recipe oleum (*sanguinem leonis*) quod separa ab aqua, donec habeas purum oleum per se.

Aliquando loco vitrioli communis addidere vitriolo azoqueo nitrum commune, ita Lullius composuit suum menstruum fætens in practica testamenti.

67. Menſtruum fætens ex vitriolo & azoqueo & nitro Lullii,

Cap. 9. Pract. teſtam. p. 159. Vol. 4. Th. Chym.

℞. PArtem unam de D. (*D. ſignificat vitriolum azoqueum quod corrumpit & confundit omne illud, quod eſt de natura & eſſe communis argenti vivi*, pag. 154. (& dimidiam partem de C.) *C. ſignificat ſal petræ vel nitrum* pag. 154. *ejuſdem Volum.*) quæ ſimul optimè molantur & cribrentur, & bene miſceantur, ponéſque in cucurbita vitrea ſituata in furno, & ſuperpoſito alembico, in quo per reſolutionem ſecundantur ſpiritus & condenſantur, & lutabis juncturas vaſorum cum panno lineo impaſtato & madefacto in luto, facto de flore farinæ, & albuminibus ovorum, ut proprietates trium mercuriorum unitæ, ſcilicet ſalſuginoſa, vitrioſa, & aquatica ſimul junctæ & in unum poſitæ non perdantur. Et adverte, ne dicti pulveres in cucurbita poſiti non tranſcendant neque ſuperent pondus octo unciarum, & ad tempus abbreviandum, ponas in aliis duabus cucurbitis de pari pulvere, ſecundùm pondus octo unciarum in qualibet cucurbita, & illas colloca ſupra furnellos longos, per modum, quem declarabimus in capitulo furnorum, nec pone niſi tres cucurbitas ſuprà unum furnellum, nam ignis non poſſet pluribus æqualiter miniſtrare, prout requirit mixtio naturæ, & ſint dictæ cucurbitæ collocatæ, una ab alia remotæ quinque vel ſex digitorum ſpatio, & lutentur fundi cucurbitarum de terra argillata percuſſa fortiter cum pilis animalium, & pone cineres puros bene cribratos ſubtùs bene compreſſos ad ſpiſſitudinem quinque digitorum, & pone ad naſum cujuslibet alembici phialam unam vitream colli longi ad finem, quod continens illarum phialarum non ſentiat furni calorem, neque Aqua phialarum poſſit refluere, neque ſpiritus recedere aut fugere. Poſteà habeas lignorum ſerraturas, de quibus proviſionem habeas magnam, harum accipe duas partes, & partem dimidiam marci (*uvæ expreſſæ magma eſt*) torcularis vindemiarum vel de abiete ſicca, & miſce cum dicta ſer-

ſerratura. Et de tali compoſitione furnum tuum imple, poſt ignem tuum accende in duabus extremitatibus & eum accendere permitte. Nam alius ignis non eſt tibi faciendus, quouſque videbis deſtillare ſex guttas aquæ, vel 10, aut 15, vel 20. Et quando ad 20 deſtillaverit fac ignem cum parvis lignis ſiccis, & ſic paulativè incipe facere ignem flammæ in directo materiæ, & vide, quando deſtillabit, quòd Aqua ſit clara, & quando erit ad 15 puncta & aqua erit clara, & fumi ſubtiles, continua ignem illum æqualiter. Et ſi videas, quòd de quindecim punctis ad 12 revertatur, aut minùs, fortifica ignem, & continua ſecundùm punctum ſuæ deſtillationis, & poſteà tertiò fortifica ignem tuum de uno puncto ultrà, & continua uſque nil plus deſtillet, & tunc dimitte ignem facere, & claude furnum tuum, & refrigerari permitte, & ſi aqua ſit clara ſine aliquo colore turbido, vel ſine turbulentia, hanc accipe & cuſtodi, & phialam obſtrue cum cera tepida, ne aliquid reſpiret, nec aër intret, quia ſtatim corrumperentur ſpiritus, qui ſunt ſubtiles, per aërem. Recordare quando incipies ignem facere lignorum ſiccorum, quòd vaſa tua debent eſſe habituata de paſta ſupradicta, atque lineis pannis circumdata, phialæque bene lutatæ ad naſos alembicorum de luto eodem, ponendo unam paleam inter naſum alembici, & phialam, nam plerumque dum ignis operatur, aër vult exire, & reſpirare, quando continentem non habet, qui eum poſſit retinere, nam calidus & caloroſus eſt, & ſubjectum, quod eum retinet, calorem excellentem pati non poteſt. Et ideò indiget aliquo loco, in quo valeat reſpirare. Aperi ergo ei foramen quando ſufflare audieris. O pater quomodo feciſti practicam ita longam? Fili, ut ſis habituatus in omnibus rebus parvis & magnis, & ut habeas ſpecialiter & generaliter ignium notitiam & aliarum operationum, & etiam omnium lutamentorum, quia noſtræ non eſt intentionis, ut ampliùs de ipſis dicamus, cùm ſapienti intuenti & intelligenti nihil eſt ibi ſubtile, & ut poſteà dicere poſſis, quod menſtruale fætens ſit ad tuum præceptum quod eſt res vilis, per quam omnia corpora in eorum primam naturam breviter convertuntur, & eſt pura & propria origo rei mirabilis & utiliſſimæ, ſed cum intellectu claro ipſam cognoſcere ſcias, oportet, &c.

Simile menſtruum habet Lullius in magia naturali quod dicitur

68. Aqua

68. Aqua calcinans omnia corpora Lullii,

Magiæ Naturalis, p. 359.

℞. DE terra id est D. (*de vitriolo azoqueo*) uncias quinque & semis, & de aqua id est C. (*de salepetræ vel nitro*) uncias duas & semis, cujus summa est pondus octo unciarum, & totum mixtum subtiliter moles in marmore, tunc pones in vase vitreo cum alembico superposito, & destilla totam materiam, primo faciendo ignem lentum de serratura lignorum capiendo de ea duas partes, & de carbonibus parvis vel tritis partem unam cum dimidia, & parum de furfure sicco, & accende ignem, & dimitte, ut deinceps accendatur per se, quousque incipiat destillare ab uno puncto usque ad duodecim (*viginti*) puncta & tunc cum parvis lignis incipias fortificare ignem, faciendo ignem flammæ rectè sub materia, & sic continua ignem quousque revertatur ad duodecim vel quindecim puncta, vel etiam in pauciora, & posteà continua totum ignem secundum puncta suæ destillationis, & posteà fortifica ignem per unum punctum ulteriùs, & illum continua quousque alembicus perdat suum calorem vel amplius non destillet, tunc cessa, & dimitte infrigidari, collige illam aquam & serva in loco calido & humido, & caveas, ne aliquo modo possit respirare. Et memento, quod habeas pallam (*paleam*) in lutamento rostri alembici & collo receptaculi, ut aliquando illam extrahere possis, ut recipiens habeat respiraculum, quoniam tantus est ibi subtius calor, ut vas continens sufferre non possit calorem illum excessivum; ergo quandoque oportet, ut aperiatur, & quandoque claudatur. Nota, quòd hæc aqua ex re vili facta, habet vigorem convertendi corpora in suam primam materiam, quæ conjuncta virtuti vegetabili est multæ perfectionis, & statim postquam destillata fuerit vult poni ad practicam, ne spiritus, qui est subtilis & extraneæ naturæ pereat per aërem.

Idem menstruum describitur in Clavicula Lullii sub hoc titulo;

69. Men-

69. Menſtruum fætens pro diſſolutione calcis auri & argenti, ut reducantur in argentum vivum,

Cap. XV. Clav. p. 299. Vol. 3. Th. Chym.

℞. VItrioli libras duas, ſalis petræ libram unam, cinabrii uncias tres (cinabrium inter cætera hujus menſtrui ingredientia non capio *quo errore perperam irrepſerit, ſiquidem non hujus, ſed ſequentis menſtrui pro lapide phil. diſſolvendo conſtitutivum eſt, præſertim cum ipſe Lullius. cap. 2. Claviculæ de Extractione mercurii à corpore perfecto, de cinabrio nullam mentionem fecerit quum tamen ibidem paucis hiſce hujus menſtrui dederit deſcriptionem, dum ſcribit: Ponatis de noſtro menſtruali fætenti, facto de duabus partibus vitrioli rubei, & una ſalis petræ, & prædictum menſtruum priùs deſtilletur ſepties, & bene rectificetur*) rubificetur vitriolum, & pulveriſetur, pòſt pone ſalispetram & cinabrium, & tere omni aſimul, poſteà ponas in vaſis aptis ad deſtillandum bene lutatis. Deſtilletur in lento igne primùm, ut eſt opus, ut norunt qui id egerunt. Hæc aqua deſtilletur ſæpiùs, projiciendo fæces, quæ remanent in fundo cucurbitæ, & ſic erit optimum veſtrum menſtruum deſtillatum.

Aliquando vitriolo azoqueo & nitro ſuperaddidere vitriolum comm. Ita conficitur

70. Menſtruum fætens ex vitriolo azoqueo vitriolo com. & nitro Riplei,

Cap. 1. pag. 143. Medullæ phil. chym.

℞. VItriolum factum de acutiſſimo humore uvarum, cum igne naturæ & ſericone (*Vitriolum azoqueum*) conjunctis in una maſſa cum vitriolo naturali (*communi*) aliquantulum

tulum exiccato, simul cum sale nitri, atque ex his destilletur aqua, quæ primo erit debilis phlegmatica sine coloratione vasis, quam projice. Tunc ascendet fumus albus, qui faciet apparere vas quasi lac, qui colligendus est, quousque cesset, & vas revertatur ad suum pristinum colorem. Nam illa aqua est menstruum fætens, in quo est quinta essentia nostra, id est fumus albus, qui vocatur ignis contra naturam: Qui si esset absens, esset ignis noster naturalis, de quo plura dicemus suo loco. Et hæ, aqua scilicet mineralis & vegetabilis, commixtæ & una aqua factæ operantur contraria, quod est mirandum. Nam hæc una dissolvit & congelat, humectat & exiccat, putrefacit & purificat, disgregat & conjungit, separat & componit, mortificat & vivificat, destruit & redintegrat, attenuat & inspissat, nigrefacit & albificat, comburit & frigefacit, incipit & perficit. Hi sunt duo dracones pugnantes in gurgite sathaliæ, hic est fumus albus & rubeus, quorum unus devorabit alterum. Atque hic vasa resolutoria non debent lutari, sed solummodo leviter sint obstructa cum panno lineo & mastiche aut cera communi. Nam hæc aqua est ignis & balneum intrà vas & non extrà, quæ si alium ignem fortem senserit, statim elevabitur ad summum vasis, & si ibi requiem non invenerit, vasa rumpentur, atque ita compositum relinquetur frustratum. Hæc aqua composita in quantum solvit, in tantum congelat & elevat (congelatur & elevatur) in terram gloriosam. Atque ita est secreta dissolutio nostri lapidis, quæ semper fit cum congelatione suæ aquæ. Et propterea quod hic ignis naturæ additur aquæ contra naturam, ideo quantum perdidit de sua forma per ignem contra naturam tantum recuperat per aquam naturæ, ita ut opus per ignem contra naturam non possit destrui aut in nihilum verti.

Ex Receptis observamus,

1. *Menstrua hujus generis, reliquorum omnium tam mineralium quam vegetabilium esse prima, ex ipsâ vini phil. materiâ sive uvis philosophicis confecta.*

2. *Liquorem sive spiritum lacteum, lac virginis, mercurium album, vinum album Lullii, & gluten leonis viridis esse synonyma, aliàs gluten aquilæ apud Paracelsum: Liquorem verò ru-*

rubeum, sanguinem leonis viridis, mercurium rubeum, sulphur Philosophorum & vinum rubeum Lullii, itidem esse synonyma, aliàs sanguis leonis rubei Paracelso.

3. *Menstrua mineralia acida, digerendo vel ulteriore elaboratione, transmutari vel in menstruum vegetabile simplex, vel in cœlum sive spiritum vini philosophici.*

4. *Menstrua hæc acida summà cautela esse destillanda ob nimiam vitrioli azoquei vel potiùs spiritus vini philosophici in hoc vitriolo existentis cum acidis effervescentiam.*

5. *Menstrua mineralia esse cœlum vel essentiam vini philos. acido dissolutam, hinc habito hoc spiritu, ea ipsa similiter ex tempore conficies per simplicem dissolutionem.*

6. *Menstrua jam præparata statim in usum esse adhibenda ne pereant.*

7. *Menstrua dissolvendo corpora coagulari.*

8. *Corpora metallica hisce menstruis redigi in argentum vivum currens.*

9. *Menstrua hæc dici fætentia ob fætidum odorem. Solo fætore hæc facilè distinguimus ab illis fragrantibus, quæ menstrua vegetabilia dicuntur. Sic Morienum menstruo fætenti usum fuisse probat ipsius menstrui fætor.* Qualis est ergo ejus odor, *interrogat Rex Calid*, ante & post ejus confectionem? *Respondet Morienus:* Ante confectionem nimis est gravis & fætidus, & post confectionem est ejus odor bonus; juxta hoc quod sapiens dicit: Ista aqua à corpore mortuo & jam inanimato tollit odorem. Nam ejus odor est malus, & odori sepulchrorum assimilatur. Quicunque animam dealbaverit, & eam rursum ascendere fecerit, & corpus bene custodierit, & ab eo omnem obscuritatem abstulerit, & odorem malum ab illo extraxerit, ipsam in corpus infundere poterit. Et in hora conjunctionis maxima miracula apparebunt. *Morien. de Transm. metall. p. 33. Gebrum etiam laboravisse cum menstruo minerali ipse testatur, cap. 25. summæ perfect.* Prima principia naturalia, *inquit*, ex quibus metalla procreantur sunt spiritus fætens, id est sulphur, & aqua viva, quam & siccam aquam nominari concedimus. *Et alibi in fine libri investigat. pergit.* Manifesta probatione & aperta concludimus: Lapidem nostrum nihil aliud esse, quàm spiritum fætentem & aquam vivam quam & siccam aquam nominamus, per naturalem decoctionem & veram pro-

 por-

portionem mundatam unione tali, ut sibi nihil abesse nec adesse possit, quibus addi debet tertium, ad opus abbreviandum hoc est corpus perfectum attenuatum.

10. *Adrop nomen materiæ horum menstruorum significare saturnum sive plumbum Philosophorum.* Prima materia hujus corporis leprosi, *inquit Ripleus*, est aqua viscosa inspissata in visceribus terræ. De hoc corpore, *ut vult Vincentius*, fit magnum elixir ad rubeum & ad album, cujus nomen est Adrop, quod aliter vocatur plumbum Philosophorum. *pag.* 132. *Medullæ Phil. Chym.*

Lapis noster, *inquit Arnoldus in speculo Alchymiæ*, vocatur Adrop quod est latinè saturnus, & secundùm Trojanos draco vel toptim, id est, venenum. *Septima disposit. speculi pag.* 596. *Volum.* 4. *Th. Chym.* Ostendi quod philosophi propter diversitatem colorum diversa nomina imponebant, sed quantum ad eorum intentionem unum proprium nomen habuerunt scilicet aurum romanum, vel Adrop, vel Lapis superior omnium lapidum hujus mundi. *Quarta dispositio speculi pag.* 594. *ejusdem volum.*

Laton & Azoch sunt insimul & nunquam separantur, imo conjuncti manent semper, sed propter diversitatem colorum, philosophi nominaverunt multis nominibus: Et secundum quod colores variantur & mutantur, tanta nomina imposuerunt, quia Azoch apud indos est aurum, & apud Hermianos est argentum, & apud Alexandrinos & Macedonienses est ferrum, apud Græcos mercurius, apud Hebraicos stannum, apud Tartaros æs, apud Arabicos saturnus, apud Latinos & maximè apud Romanos Ognividon (dono G. vini) sed ut nullus erret, dico quod habet unum proprium nomen, & vulgariter ab hominibus nominatur & quilibet cognoscit lapidem. *Tertia dispos. specul. p* 593. *Volum. ejusdem.*

Alii Adeptorum non Adrop sed Atrop scribunt, quo nomine indigitare voluerunt, materiam horum menstruorum esse quasi portam totius secretioris Chymiæ. Atrop enim per inversionem literarum porta legitur. Ita Robertus Vallensis in Gloria mundi pag. 305. Ut ad verum fundamentum pervenias, *inquit*, tibi denuò inculcabo, illúmque primum Hyle, hoc est, rerum omnium principium appellabo, nominatur quoque sanctus unicus, intellige ex repugnantibus elementis quæ in illo sunt; Lapis

pis philoſophorum, ſolis, metallorum, ſervus fugitivus, æreus lapis, Thirnius lapis, Magneſia, ſive corporalis lapis, Marcaſites, Lapis gemmæ, Lapis liberorum, aureus lapis, origo rerum mundanarum, Xelis quoque per inverſionem Silex, Xidar eadem inverſione Radix, Atrop per inverſionem porta, & quotquot etiam alia nomina habet, tamen unica ſaltem res eſt.

Roberto adſtipulari videtur Lullius, cui placuit quamcunque alterationem vitrioli azoquei ſive materiæ menſtruorum, hujus generis nuncupare operis portam primam; ita materiæ diſſolutionem vocavit portam primam: In toto magiſterio noſtro, *inquit*, neceſſarii ſunt tres ſpiritus principales qui ſine conſummatione ſuæ reſolutionis non poſſunt manifeſtari, & nominantur alio modo tria argenta viva— Et quia reſolutio eſt toties primæ portæ habitudo noſtri magiſterii, quam declarare volumus— dicta reſolutio diviſa eſt in tres partes principales. Prima eſt corporalis & vocatur in lingua Oritana Recſage (*id eſt facere G. per G. autem intelligit ſulphur aqueum. Cap. 5. Theor. Teſt. pag. 15. Volum. 4. Theat. Chym. vel mercurium noſtrum. Cap. 20. pract. Teſt. pag. 170. ejuſd. Voluminis.*) Secunda ſpiritualis eſt, & vocatur Agazoph. Tertia autem ſpiritualis & corporalis & vocatur Ubidrugat, &c. *Deinde cum materia in ejus reſolutione appareat nigra; nigredinem hanc, (ob quam alii eam dixere plumbum) eſſe voluit ſignum primæ portæ.* In prima reſolutione, *inquit*, jacet totum periculum, & ideo tibi notifico, quod habeas ſulphura per calorem deſtructa ſimplorum argentorum vivorum in forma tali, ut eorum proprietas activa non exterminetur extraneo calore, & quod ſeparari non poſſit à ſuo ſubjecto humido, quod ex toto apparet nigrum, plenum de nobili ſpiritu Iſta nigredo demonſtrat ſignum primæ portæ ad intrandum noſtrum magiſterium, & ſine ipſa non poteſt aliquid fieri, quia eſt ignis naturæ, qui habet lapidem creare, & qui ſine ſui corporis corruptione manifeſtari non poteſt. *Cap. 28. Theor. Teſt. pag. 51. Volum. 4. Th. Chym.*

Denique ipſam hujus materiæ deſtillationem vocavit primam portam. Præparatio lapidoſi ſpiritus ac fermentabilis eſt, quod recipias de ſucco lunariæ, & ſudorem ejus extrahe cum igne parvo & levi, & habebis in tuo poſſe unum de argentis vivis noſtris in liquore & forma aquæ albæ, quæ eſt ablutio

& purgátio lapidis nostri & totius ejus naturæ. Et istud est unum de principalioribus secretis & est prima porta, prout intelligere potes rationibus antedictis, &c. *Cap. 9. Theor. Test. pag. 21. Volum. ejusdem.*

Ex hisce & ejusmodi locis persuasus diceres: Potius scribendum esse Atrop quam Adrop cùm præter nigredinem sive plumbum philosophicum significet operis initium vel primam portam.

11. *Plures esse in Chymia adepta leones virides, quos inter se distinguere necesse est.*

Per primum adepti intellexerunt solem cœlestem, totum mundum gubernantem.

Secundus est argentum vivum nobis magis commune quam argentum vivum commune.

Tertius est dictum argentum vivum in viridem colorem, dissolutum.

Quartus est Adrop, vitriolum azoqueum plumbum philosophorum, &c.

Quintus est ipsum menstruum fætens, aliàs sanguis viridis leonis dictus.

Sextus est leo viridis fatuorum, vitriolum Romanum, viride æris, &c.

Septimus est extraordinarius videlicet mercurius vulgi sublimatus.

12. *Plures etiam esse Saturnos.*

Primus est plumbum vulgi, metallorum impurissimum adeoque in arte nostra omnium remotissimum. Quod probare Adeptorum sententiis superfluum est, cum ubique fere locorum legamus apud Adeptos lege solenni cautum esse ut nobis caveamus ab hoc metallorum mineraliumque devoratore Saturno. Cave, inquit Ripleus, (ut hunc unicum pro omnibus adducam testem) ne opereris cum Saturno, quia vulgariter dictum est, ne comedas de filio, cujus mater est corrupta, & crede quod multi errant in Saturno. Audi quod Avicenna dicit: Saturnus semper erit Saturnus; imò ne opereris in terra Saturni (philos.) quam ejus spiritus despexit & reliquit pro sulphure pessimo, &c. Cap. 2. Philorcii, pag. 188.

Secundus est Adrop sive vitriolum azoqueum; de quo in antecedentibus.

Ter-

Tertius est operis primi primus color vel nigredo; de quo in sequentibus.

Quartus est cuprum, metallorum primum; de quo Arnoldus in speculo Alchym. disp. 8. pag. 605. Volum. 4. Theat. Chym. ita: Fuerunt inquit Philosophi qui posuerunt scientiam in septem Planetis; & primus planeta noster vocatur Venus, secundus Saturnus, tertius Mercurius, quartus Mars, quintus Jupiter, sextus Luna, septimus Sol. Cupri generatio primum obtinet locum post mercurium (universalem) ait Basilius libro de rebus nat. & supernat. cap. 4.

Ex omnibus illis, inquit Paracelsus, *quæ ex salibus oriuntur, nullum est virtuti minerali cognatius, ac est vitriolum; cujus rei hæc causa est, quod salia mineralia sint, & mineralia omnia in massa una & Ares lateant. Vitriolum autem in separatione mineralium est ultimum, hoc quàm proxime sequitur generatio metallorum ex quibus Venus primum est. Libro 4. philos. de Elemento aquæ. pag. 279.*

Et paulo post ait: Marcasithis & cachymiis a prima materia metallorum hoc modo separatis, sequitur deinde generatio prima, quæ est veneris, &c. Præterea per separationem, qua marcasitharum & cachymiarum naturæ expelluntur, cupreæ generationes nimis celeriter concurrunt, sese imprimunt & simul coagulantur; cujus rei hæc causa est, quod id primum post separationem marcasitharum & cachymiarum metallum sit. Libro eodem pag. 281.

Veneris vitriolum, eo quod primum sit quod præ cunctis rebus mercurio vegetabili addatur vel conjungatur in confectione Adrop a Lullio dicitur primus masculus. Iste ignis, inquit, *est illa proprietas mercurii quam debes totis viribus à combustione conservare; scilicet tinctura vitrioli cum qua debet mercurius (vegetabilis) sublimari, quoniam est primus masculus ejus, & est additamentum tincturæ nostræ, quod est additio magna in virtute & potestate, cum conjuncta sit cum tinctura solis. Nam si a vitriolo & sale scis extrahere proprietatem mercurii, & sibi amicari per conjunctionem, quæ fit per sublimationes lentas, non ignorabis unum de secretis naturæ maximum, & veram perfectionem principalem. Codicill. cap. 92. pag. 202. Ita passim in Theoriâ Testamenti majoris intelligit vitriolum per masculum suum, præsertim in hisce locis: Ignis maris*

nostri

nostri pag. 50. Virtus masculi pag. 94. Virtus spermatis masculi pag. 108. Calor masculi pag. 72. fæmella (Venus) in hoc casu est masculus, & non est tam calidus ut masculus verus (secundus) aurum. Pag. 73. Volum. 4. Theat. Chym.

Hujus etiam masculi meminit Espanietus in confectione sui menstrui. ℞. Inquit Virginem alatam optime lotam & mundatam semine spirituali primi masculi impregnatam, &c. §. 58. Arcani Hermeticæ phil.

Paracelsus ut masculinam veneris naturam eo melius exprimeret id metallum nomen masculini generis fecit, metallus primus. ℞. Inquit liquorem corallinum, eum nempe qui probè diaphanus existit, cui adjunge ejus quidem vitrioli quod est ex venere quintam partem, digerantur in balneo ad mensem suum. Hoc enim pacto separat se Vinum metalli primi in summitatem, cæterum quicquid de fæcibus vini (hujus) est vitriolum veneris occupat (intelligit residuam in Extractione vitrioli relictam) sicque fit primus ille metallus perspicuum diaphanum ac rubicum plane vinum, &c. Cap. XII. Libri 3. de vita longa Pag. 65.

Quemadmodum vero venerem Adepti dixere metallum primum in masculino genere; ita etiam Saturnum nomen masculini generis transmutavere in nomen fæminini generis (Saturnam) ut per istud non plumbi vulgi sed cupri exprimérent nomen fæmininum venerem.

Habeo, inquit Ripleus filiam dilectam & mihi caram nomine saturnam, de qua certe filia, Elixiria tam alba quam rubea fiunt. Ex ea igitur extrahere debes aquam claram, si hanc scientiam habere desideras, &c.

Aliquando ut per Saturnum non modo venerem, sed etiam cupri philosophicam (id est menstruo vegetabili peragendam præparationem describerent illum fecerunt vegetabilem sive herbam, ut ita præparatum à non præparato distinguerent, ita Flamellus in suo summario: Quidam rerum imperiti homines, indoctique Chymici vulgare aurum, argentum & mercurium sumunt, illaque tam malè tractant, donec per fumum evanescant, atque eo modo mercurium Philosophorum perficere conantur: Ad illum tamen minime perveniunt, qui prima lapidis est materia & vera minera. Sin autem ad illum

lum pervenire, & boni aliquid reperire velint, tunc ad montem septimi, ubi nulla est planities sese conferre & ex alto deorsum sex cæteros intueri necessum habent, quos è longinquo conspicient. In montis istius altitudine triumphantem regalem herbam, quam quidam philosophi mineralem nonnulli vegetabilem vocant invenies, & jusculum purum mundumque exinde sumatur, atque hoc modo potior operis pars fieri poterit, & hic rectus subtilisque mercurius Phil. tibi sumendus est. Locus hic ita legitur apud Chortalassæum pag. 313. Vol. 6. Theat. Chymic.

Montem igitur conscende, ut vegetabilem saturninam, plumbeam & regiam similiter etiam mineralem radicem aut herbam videas, succum inde tantum sume, & siliquas abjice.

XIV. Genus.

XIV. Genus.

Menstrua mineralia simplicia ex acidis vel salsis salium Essentiis, menstruis vegetabilibus confecta.

71. Aqua vel oleum salis Paracelsi, *Cap. 3. lib. X. Arch. pag. 38.*

QUanquam plures sint viæ ad extrahendum Ens primum salis, hæc tamen (*methodus conficiendi sal circulatum, circulatum minus ex sale, Aquam solventem, Aquam vel spiritum salis circulati superiùs sub* No. 27. *descripta*) utilissima & expeditissima, & post hanc alia illa via est, cujus de *Elixire Salis* mentionem fecimus. Ut nempe sal recens cum Aqua solvente quæ est spiritus salis (*circulati*) destillatus permixtum putrificetur & tamdiu destilletur, donec tota salis substantia solvatur, ac in oleositatem perpetuam reducatur, corpore phlegmatis in modum ipsi subducto. Hac quoque ratione Arcanum vel magisterium Vitrioli & Tartari conficiendum docetur, ut ex omnibus aliis salibus.

Annotationes.

MEnstrua generis antecedentis ex unctuosa vini phil. materia acido purgatâ, dissolutâ & volatilisatâ confici annotavimus; in præsenti contrarium observabimus videlicet acidas vel salinas salium Essentias unctuoso vini phil. spiritu confectas, menstrua esse hujus decimi quarti generis. Paracelsus in recepto præscripto salia cum aqua salis circulati, sola cohobatione redegit in liquidam substantiam sive oleum. Oleum autem ex sale com-

communi, methodo prædicta confectum, præ cæteris commendat discipulis suis, pro corporum metallicorum extractionibus. Certè, *inquit*, nobilior, meliorque via non dabitur quam per aquam salis, seu oleum ipsius, præparatum eo modo, quem in Alchymia (*& in libris Chirurgicis*) luculenter descripsi. Talis quippe Aqua fundaliter & radicitus extrahit omnibus corporibus metallicis liquorem ipsorum naturalem, seu sulphur & crocum præstantissimum tam pro operibus medicis quàm chymicis. Resolvit & frangit unumquodlibet metallum, ex natura ipsius metallica id deducens in aliam, pro varia intentione & industria laborantis. *Manuale de Lap. phil. pag.* 139.

Operæ pretium ergò erit ut hujus olei salis confectionem vobis clarius explicemus. In primis autem afferemus pro recepti elucidatione ab ipso authore allegatam olei salis descriptionem ex libro octavo archidoxorum quam in Elixire salis, pag. 31. *ita legimus.*

℞. Sal optime præparatum, albissimum, & mundissimum: Hoc in pellicanum ponatur cum Aquæ solventis tanta quantitate quæ sexies pondus illius superet. In fimo digerantur equino simul uno mense, posteà separetur aqua solvens per destillationem, & rursum affundatur ac separetur ut priùs, idque toties, donec sal in oleum convertatur.

Ex receptorum collatione patet per sal recens, non sal marinum recenter confectum, sed idem optime purificatum intelligendum esse. Deinde clarum est, quod pondus aquæ salis circulati in recepto libri X. omissum, ita determinari oportet, ut sexies pondus salis superet. Porrò tempus & locus putrefactionis in priori processu omissa describuntur in altero; videlicet, ut in fimo equino digerantur uno mense. Præterea ex receptis observatur, non totum sal fieri oleum, cum corpus salis per modum phlegmatis, subducatur Essentiæ. Tandem eàdem methodo confici etiam posse olea Vitrioli & Tartari. Recepta ita collata non solum omni carent obscuritate, sed ex luminis eorum exuberantia, etiam processus alios, alias minùs intelligibiles illustrant. Ita hoc oleum salis, ut salis Essentia vel primum Ens, obscuriorem descriptionem Essentiæ salium libro 4. *Archid. pag.* 14. *traditam exponit.*

℞. Salia quæ calcinabis optimè; si volatilia sint, adures, (*sublimabis*) postmodum resolvantur in tenuitatem (*per de-*

liquium) & in Aquam destillentur (*per filtrum*) Aquam hanc in putrefactionem ponito (*minimè quidem per se, sed quod artis discipulus subintelligere & scire debet, cum Aqua salis circulati*) per mensem & per balneum destillato, & ascendet Aqua dulcis (*corpus salis per modum phlegmatis*) quam abjice. Quod ascendere noluerit iterum in digestionem ponas (*cum nova aqua solvente*) per mensem alium, & destilla sicut priùs, ac toties, donec amplius dulcedo nulla percipiatur. Hac via jam habes quintam Essentiam salis in fundo; (*instar olei*) ex adusti vel calcinati salis libra una, vix duas uncias. Hujus salis ad hunc modum extracti, si commune fuerit, uncia semis plus condit cibos quam alterius libra semis. Nam ejus Essentia quinta duntaxat adest, & corpus ab ea per liquidam solutionem abstractum est. Hac ratione quinta separatur Essentia salium omnium.

Processus hîc radiis antecedentium ita illustratus non parvum in dicta recepta reflectit lumen, videlicet ex salium libra una vix recipi duas uncias.

In clavi archidoxorum, videlicet libro X. pag. 37. Paracelsus salium Essentias descripsit hisce verbis: Quintæ Essentiæ extractio è salibus puta Vitrioli, Salis, Nitri, Tartari, &c. fit hoc modo. Cohoba cum proprio suo liquore vel Aqua sæpius, putrefac cum phlegmate, & inde corpus abstrahe in modum phlegmatis usque ad spiritum fixum. Hunc solve in Aqua vel unda sua propria & in fervore separa cum spiritu vini, purum ab impuro.

Descriptio hæc obscurissima est, sed clarior redditur per modò dicta. Mens Paracelsi, hæc est: Salia putrefacit & toties cohobat cum propriis liquoribus vel undis, id est cum propriis circulatis; sal com. cum sale circulato; Nitrum cum Nitro circulato, vitriolum cum aqua vitrioli circulati, alumen cum aqua aluminis circulati, aqua solvente ex Alumine, circulato minore ex Alumine, &c. usque dum remaneant in fundo in forma olei, quod oleum, quia vel acidum vel salsum, facilè cum unctuoso vini phil. spiritu vel circulato proprio effervescit, & in hoc fervore quasdam de se dimittit impuritates, adeoque purius redditur, quod confirmatur ex ipsa aquæ salis circulati descriptione, ubi sal fusum & resolutum per deliquium cum vini phil. spiritu putrefacit, cohobat & usque ad oleitatem abstrahit; Conjunge, *pergit*, cum

spiritu

ſpiritu vini (*phil.*) & impurum in fundo decidet, quod ſepara, purum verò in frigido criſtalliſetur, affunde iterum deſtillatum & toties cohoba donec oleum fixum in fundo remaneat & nihil dulce poſteà transgrediatur.

Deinde hoc oleum ſalis ut menſtruum, ſui ipſius proceſſum in Chirurgia alias inexplicabilem, intelligibilem reddit, qui ita legitur.

72. Aqua ſalis aliæ deſcriptionis Paracelſi,

Cap. 2. Tract. 3. Part. 2. Chyr. major. pag. 66.

℞. SAlem abſque artis acceſſione ab ipſa natura albiſſimum (*ſal gemmæ*) quem aliquoties fundes, poſt in pulverem tenuiſſimum redactum cum ſucco raphani mixtum agitabis, poſt reſolutionem deſtillabis, deſtillatum cum æqua portione ſucci ſanguineæ deſtillabis adhuc quinquies, in hac aqua laminæ ſolis per Antimonium repurgatæ in pulverem facilè reſolvuntur. Pulvis deinceps hoc modo præparatus Aqua dulci deſtillata abluendus eouſque eſt, donec nullum amplius ſalem reſipiat, nam ſal cum in ipſius ſubſtantiam non penetret, facilè lotione abluitur.

In hoc proceſſu ſal Gemmæ fuſum per methodum aquæ ſalis circulati ſucco Raphani diſſolvitur, abſtrahitur & reſolvitur per deliquium, deinde ſexies deſtillatur cum æquali portione ſucci ſanguineæ. In antecedenti hujus Olei ſalis deſcriptione hæc ſalis fuſio, in ſucco Raphani diſſolutio & reſolutio per deliquium non neceſſaria eſt, quoniam aqua ſalis circulati per ſe ſufficit ut ſalis Eſſentiam ſeparet à ſuo phlegmate. At in confectione aquæ ſalis circulati ubi utimur ſpiritu vini phil. abſque dicta prævia ſalis præparatione, opus haberemus nimis tædioſum; interim ambo proceſſus conveniunt in menſtrui pondere, perinde enim eſt, num ſal cum ſextuplo aquæ ſolventis cohobetur in oleum; vel ſexies deſtilletur cum ſucco ſanguineæ in æquali pondere. Unicum quod proceſſum poſteriorem reddit inexplicabilem, eſt incognitus ſuccus ſanguineæ, verumenimvero vel vini philoſ.

spiritum, vel Aquam salis circulati, ejus supplere locum, ex modò dictis patet.

Basilius sal commune spiritu vini phil. non quidem in oleum resolvit, sed in Lapidem viridem redegit hoc modo:

Viride salis Basilii,

In supplemento libri de conclusion.

℞. SAl commune, quod calcina bene, absque fusione tamen, reduc in pulverem, resolve per deliquium in cella, vel in Raphano exciso, tum destilla ex arena igne celeri, & ascendet aqua; residuum in fundo pulverisa & aqua sua destillata solve, iterumque destilla; hoc toties repete usque totum sal ascenderit, quod fiet quarta vel quinta vice. Ab aqua destillata abstrahe phlegma in balneo, residuum pone in cella in aqua frigida, & habebis cristallos, quas exime & solve in phlegmate; denuo abstrahe ad medietatem, & novas invenies cristallos, opus repete quater vel amplius, quo sæpius enim, eo cristalli evadent fusibiliores. Quibus exsiccatis & in marmore tritis affunde spiritum vini (*phil.*) rectificatum, quem toties à sale cohoba, usque dum videas oleum salis coagulatum in lapidem transparentem viridem, quem reserva.

Paracelsus in suis Receptis jussit ut salis calcinatio perficiatur, adjuncta ejusdem fusione; Basilius autem in hoc processu prohibet hanc salis liquefactionem. Nos eam in dicta salis depuratione minùs esse essentialem inde concludimus. Nec adeo necessarium æstimamus, sal resolutum per deliquium destillandum esse, ut inde fiat sal fusibile, cum Paracelsus ex sale fuso idem conficere oleum docuerit, quod viridis esse coloris præter Basilium ipse passim testatus est Paracelsus. Ita legimus de oleo salis viridi. Libro de male curatis, pag. 170. Chyr. majoris. De viriditate salis, Libro 4. de gradibus, pag. 154.

Ex Receptis observamus,

1. *Menstrua hæc esse salium non tingentium Essentias.*
2. *Olea vel Essentias salium tingentium utpote Vitrioli, &c.*

ea-

eàdem quidem etiam posse confici methodo, ac non ad præsens, sed ad aliud pertinere genus.

3. *Menstrua hæc ulteriori digestione vel cohobatione fieri dulcia, & transmutari in ——— Arcana volatilia, circulata minora sive Menstrua vegetabilia simplicia quinti generis.*

4. *Menstrua hæc dissolvere metalla in pulverem pro extractione croci vel sulphuris metallorum & mineralium modum mutuabimus à Ripleo ex usu menstruorum fætentium:*

Procedamus, *inquit*, *pag.* 145. *Medulla phil. Chym.* ad practicam super corporis (*metallici*) debitè calcinati calcem. Præparato itaque corpore, pone desuper tantum hujus aquæ compositæ (*sub* No. 70.) ut possit illud cooperire ad spissitudinem dimidii pollicis, & statim ebulliet super calces corporis sine alio igne externo, dissolvendo corpus, & elevando illud in forma glaciei cum sua ipsius exsiccatione, quam oportet manum artificis removere. Et postquam calces relictæ fuerint, iterum bene exiccatæ per ignem, addatur illi tantundem Aquæ quantum supra, & sic in omnibus ulterius procede ut dictum est, & hoc modo perseverabis in eadem operatione, donec omnes calces fuerint bene dissolutæ. Quæ substantia bene dissoluta & subtiliter separata atque in pulverem redacta, ponenda est in bona quantitate aquæ ignis naturæ rectificatæ (*spiritus vini phil.*) ut in eo vase bene obturato per calorem extrinsecus administratum caloremque internum excitantem solvatur in oleum quod cito fiet, &c.

Quando superfunditur menstruum (*sericonis sub* No. 63.) super calces prædictas (*metallorum*) incipit ebullire. Tunc autem si vas fuerit bene clausum, non cessabit operari sine igne extrinseco illi administrato quousque exsiccetur in calcem. Quocircà non debet apponi illius major quantitas quam quæ vix sufficiat cooperire calces. *Ibid. pag.* 171. Nam in hac operatione quanto minus apponitur spiritus, & quanto magis corporis, tanto meliùs & citiùs fiet dissolutio quæ fit per congelationem aquæ. Cavendum ergo, ut dicitur in Rosario, ne venter sit nimis humidus, quia tunc materia non reciperet siccitatem. Atque hic modus servandus est, quousque tota aqua exsiccetur in corpus. *Ibid. pag.* 161.

5. *Pulverem hunc metallicum aqua dulci abluì posse ab omni acre-*

credine. Adeptorum menstrua esse permanentia ex ipsis constat eorum confectionibus, & clariùs patebit ex illorum usu in librorum sequentium Receptis. Nihilominus cum Paracelsus præsenti menstrui ablutione contrarium statuisse videatur, quapropter ne in errorem incidatis totius Chymiæ adeptæ maximum & periculosissimum, observationem unam vel alteram circa menstruorum permanentiam vobis communicare placuit.

Primo, *Aquam ardentem puta Philosophicam digerendo vel circulando dividi in phlegma & oleum huic supernatans, modò observastis in confectione Essentiæ vel spiritus vini philosophici.*

Annotastis etiam eandem aquam ardentem vel idem oleum ex ea confectum ulterius concentrari, & reliquum phlegma exspuere; ipsummet, utpote merum oleosum, autem permanere cum terris inanimatis ita dictis, in saltum harmoniacorum tam vegetabilium quàm mineralium præparationibus. Impossibile enim est ut dictum phlegma unctuosi spiritûs Vehiculum cum rebus dissolutis permaneat, multo minus fixetur cum eis sibi adeo heterogeneis. Cum grano salis itaque intelligenda venit menstruorum, imo ipsius vini phil. spiritûs permanentia, nempe quatenus menstrua hæc sint unctuosa aridis permixta, minime suis aquositatibus diluta, quæ omnes ceu inutiles in fixatione sese separant. Exempla habebitis, Libro 2. de Astris & Arcanis & passim libro 3. de tincturis philosophicis.

Secundo, *Menstrua hæc non statim & primis vicibus permanere cum dissolutis suis. Aliquoties imo sæpius affundendum est & cohobandum antequam pars ejus cum corpore dissolvendo permaneat, ubi reliquum interea ascendit inalteratum.*

Tertio, *Nec Menstrua permanent cum omnibus rebus promiscue, sed uniuntur tantùm sibi homogeneis, quibus cum ut remaneant, ratio dictitat. Sic menstrua vegetabilia simplicia permanent cum Essentiis, minime cum earum spretis corporibus albis; ubi menstrua vegetabilia composita corporibus hisce etiam adæquata totum dissolvunt in magisteriorum confectionibus.*

Quarto, *Imo quamvis quodlibet menstruum vel Essentia sit, vel Magisterium; Essentia autem aliam præparet Essentiam, una alteram facile penetret & intimè commisceatur, ambæ tamen quamdiu sint diversorum generum vel graduum separantur ite-*

iterum nec permanent, usque donec noviter extracta ad eundem alterius gradum provecta fuerit, tum tandem confluunt in mixtum naturâ & arte inseparabile.

Quinto, *Circa menstrua mineralia hæc annotabitis, quod eorum aciditas eandem habeat rationem cum phlegmate vel aquositate menstruorum vegetabilium, quatenus humida sit, adeoque separanda in rerum fixationibus: Quatenus vero ex aridis salium mineralium (salia autem arida sunt acidis dissoluta) particulis constet sub duplici consideratione cadet.*

In prima, Menstrui aciditas fortè existens in majori copia quàm necesse, vel circa dissoluti superficiem adhærens facile abluitur aqua communi.

In secunda autem, eadem aciditas peritius admixta, & ab ariditate dissoluti absorpta, venenositatis causa facta est, & jam non nisi menstruis vegetabilibus ipsam transmutantibus alterari nequit. Paracelsus non salis oleum, sed salis acredinem, quod in metalli substantiam non penetrat & facilè lotione abluitur, abluere mandat, salis autem unctuositatem unctuoso vini phil. spiritu permixtam, jamque unctuositati metalli unitam aqua communis nec tangere nec separare potest. Acidum autem in aridi penetralibus receptum vini phil. spiritu denuo corrigit, ne fiat venenositatis causa. Attamen extat quidam apud Paracelsum locus, ubi singulare quoddam sanxisse videatur edictum contra menstruorum permanentiam: Varii modi, *inquit libro 4. Archid. de Essentia pag. 12.* reperiuntur per quos Essentia quinta potest extrahi, videlicet per sublimationem, calcinationem, per aquas fortes, per corrosiva, per dulcia, per acerba, &c. quacunque via fieri potest. Ubi hoc simul curandum est, ut omne quod ad Essentiam quintam admixtum fuerit ob necessitatem Extractionis, id ipsum rursus extrahatur, & ita maneat Essentia quinta sola, nullis coinquinata rebus aliis aut permixta. Fieri namque nequit ut à metallis, & præsertim ab auro, quod non per se potest superari, extrahatur quinta Essentia, quin adhibeatur corrosivum aliquod aptum, quod ab eo postmodum separari iterum valeat. Sic sal quod aquâ fuit (*dissolutum*) iterum ab aqua extrahitur, ut hæc sale careat. Ubi hoc tamen considerandum venit, scilicet omne corrosivum ad hoc idoneum non esse, quod non omnia separari possunt. Si enim Vitriolum aut Alumen aquæ permisceatur, neutrum ab ea postmodum absque detrimento vel cor-

corruptione separari potest iterum, quin asperam post se remanentiam relinquant, ea de causa, quod aqueum utrumque sit ac similia duo concurrant; quod hoc loco fieri non deberet. Quapropter satagendum est, ut aquosum ad aquosum; aut oleatum (*oleosum*) ad oleatum; resinatum nullum ad resinatum; sed contrarium utique separare debet quintam Essentiam & extrahere illam, prout aquæ oleaginosorum quintas Essentias, uti de metallis traditur, extrahunt; & oleaginosa quintas Essentias aquosorum, ceu de quintis Essentiis herbosorum discere possumus. Sunt igitur post separationem & extractionem Essentiæ quintæ separanda iterum corrosiva; quod factu facilè fuerit: Nam oleum & aqua leviter separantur: At oleum ab oleo non, nec aqua similiter ab aqua sine permixtione extrahi potest, quod quidem relictum in Essentiam quintam damnum invehere posset maximum. Oportet enim quintam Essentiam claram & immaculatam, absque permixtione cujusvis esse collectam, ut uniformem substantiam habeat, qua totum penetrare corpus habeat.

Ne Essentia coinquinetur rebus ob extractionis necessitatem additis, præcipit, ut nulla materia aquosa menstruo aquoso: oleosa oleoso; resinata resinato; sed contrario quodam extrahatur. Regula hæc si juxta literarum sonum intelligatur, erronea est, tollit enim omnem menstruorum permanentiam stabilitam super istud adeò ab Adeptis decantatum axioma: Dissolutio corporis est coagulatio spiritûs vel menstrui & vice versa. Tollit inquam omnem naturalem dissolventis & dissolvendi homogeneitatem, imò repugnans est ipsius Paracelsi experientiæ, qui nullum habuit menstruum quod cum suis dissolutis non remanserit intimè commixtum, ut ex illorum usu probabimus in sequentibus. Essentia autem coinquinatur rebus additis in sui extractione variè.

Primo quando Essentia naturalis vel seminalis extrahatur simili naturali Essentia alterius speciei; exempli gratia, Essentia croci inquinatur & confunditur cum viribus cinamomi in ejus extractione cum Essentia specifica cinamomi. Hinc non cum naturali quadam Essentia, sed artificiali potius sive cum spiritu vini phil. nondum specificato extrahendæ veniunt vegetabilium Essentiæ.

Secundo inquinatur Essentia quando menstruum vel Essentia in majori quantitate, quàm convenit, adhibeatur in Essentiæ alterius extractione, qua quantitate qualitas Essentiæ dictæ diluitur, diminuitur, & veluti inquinatur; hinc amovenda est semper men-

menstrui superfluitas ut Essentia maneat per se sola absque omni permixtione.

Tertio inquinatur Essentia in ejus extractione cum menstruis acidis sive mineralibus juxta processus veterum. Acidum enim, etiamsi intimè nulli commisceri possit Essentiæ, quia ipsummet non Essentia est, nihilominus facilè ab Essentiarum mineralium ariditate absorbetur vel absconditur, & ita per accidens Essentiis dictis conjungitur, & ex re alias innocua summum procreat venenum. Istud itaque ut removerent veteres, primo Aquæ lotione abluerunt quod corpori adhærebat externè, deinde quod penitius fuerit admissum transmutarunt menstruorum vegetabilium digestione. In confectione verùm essentiarum cum menstruis acidis sive mineralibus juxta processum reformatum, alias duorum colorum dictum Paracelsi, dicta Essentiæ inquinatio, nullum habet locum. In hujus processus initio quidem acidum ab arido absorptum causa fit venenositatis ut in processu veterum; ast quum processus hic Paracelsicus ulteriùs elaboratur & quàm ingeniosissime ad tantam perducitur perfectionem ut nullum ampliùs superesse possit aridum in quo acidum occultari queat, sed è contrario totum corpus convertitur in duo olea vel pinguedines, à quibus omnis aciditas facilè communi aqua ablui potest, ideo nulla hic timenda est ab acidis inquinatio. Dictum Paracelsi ad hanc methodum referendum esse putamus cum ibidem de proposito egerit de ea, præsertim cum metallorum Essentias oleaginosas dixerit menstruis aquosis id est acidis vel corrosivis extrahendas; Herbarum autem aquosas, id est respectu metallorum minus oleosas, oleaginosis, id est, menstruis vegetabilibus conficiendas quæ cum non terminis communibus, sed satis obscurè data sint, ideò hæc suis discipulis, ad melius explicandum relinquimus, quæ si verò juxta literam intelligenda essent, error sanè esset ne quidem in principe Adeptorum connivendus: Sed juxta veri verbium, Homines sumus, &c. aliquando enim bonus etiam dormitavit Homerus, & Paracelsi penna fuit ebria.

XV. Genus.

Menstrua mineralia simplicia ex spiritu vini phil. & spiritibus acidis, utpote Aqua forti, spiritu nitri, spiritu sulphuris, salis, &c. Aceto destillato, &c.

73. Aqua fortis cum spiritu vini mixta Paracelsi,

In tinctura Paracelsica p.37. Aurei Veller.Germ.

℞. Vinum optimum (*rubeum vel album Lullii*) rectifica toties donec linteum in eo madefactum & accensum comburatur. Hic spiritus vini dicitur Essentia. ℞. Vitrioli libras duas, nitri libram unam, de quibus destilla Aquam fortem in Essentiam vini prædictam, posteà digere per 10 dies ut bene uniantur.

Annotationes.

Quod Adepti diversimode tam cum oleosis quàm Aridis acuerint vini phil. spiritum, sufficientem dedimus exemplorum copiam in antecedentibus menstruorum vegetabilium generibus; jam quibus modis acuendus sit hic spiritus Acidis monstrabitur in menstruis sequentibus. In præsenti decimo hoc quinto genere conjungemus unctuosum vini phil. spiritum aliquibus spiritibus acidis, ut eorum aciditate adjutus celeriùs & faciliùs quàm antea solus Arida dissolvat & perficiat. Paracelsus in recepto nostro, ut nimiam effervescentiam in dissolutione spiritûs vini phil. in Aqua forti compesceret, Aquam fortem destillavit in

in vini spiritum, ut ambo paulatim commiscerentur, quæ ita invicem commixta porrò digessit per dies decem. Idem menstruum describitur a Trithemio.

74. Aqua fortis cum spiritu vini mixta Trithemii.

Pag. 46. aurei Velleris Germ.

℞. SPiritûs vini libras tres, Vitrioli, Nitri, ana libram unam, destilla spiritus Aquæ fortis in prædictam Aquam vitæ, digere per octo dies.

Quantitas hæc Aquæ fortis insufficiens est ad dissolvendum libras tres spiritûs vini; forsitan pro libris totidem intelligendæ sunt unciæ. Nullum hic requiritur artificium, dummodo Acidum & oleosum commisceantur invicem. Olim, vice Aquæ fortis, Adepti usi fuere Aceto destillato pro hoc Menstruo. Ita

75. Acetum cum spiritu vini mixtum Basilii,

Cap. de Wein Essig. *in Repet. Lapidis.*

DEr Wein Essig (*Acetum Vinum, verbum indeclinabile simplex*) non est Acetum Philosophorum, quod liquor alius est, ipsa videlicet lapidis materia, quoniam ex Azot Philosophorum, conficitur lapis Philosophorum. Acetum vinum vero componitur ex communi Azot destillato (*Aceto com.*) & spiritu vini (*videlicet philosophici:*) Et alibi *libro de Particularibus de particul. Veneris.*

De hac, *inquit*, præparatione modo locutus fui parabolicè in libro Clavium (*in Repetitione*) *capite de* Wein Essig, ubi dixeram quod commune Azot (*Acetum*) non sit materia lapidis, sed Azot nostrum sive materia prima extractum è com-

muni Azot & Vino, quod compositum succus expressus dicitur uvarum immaturarum, quo cum veneris corpus dissolvendum & in vitriolum redigendum (*deinde in Azot nostrum, primam lapidis materiam, mercurium philosophorum, spiritum mercurii ex vitriolo, &c.*) quod optimè observabis, ut à multis laboribus & periculis sis immunis. Mercurius Philosophorum, *inquit libro de conclusionibus sect. 2. de vitriolo Philosophorum*, sive materia prima lapidis arte conficienda venit, nam nostrum Azot non est commune Acetum, sed extractum mediante communi Azot.

Quamvis itaque ex communi Azot vel Aceto destillato & vini phil. spiritu menstruum confici possit philosophicum, ut & in quorundam corporum dissolutionibus sufficiens & appropriatum; nihilominus, quoniam præsertim in metallorum, mineraliumque usu alchymico sit minùs acutum, ideò Aceti loco sumpsere Adepti Aquam fortem, ut videlicet eò citiùs sua perficerent opera.

Scias *inquit* Isaacus Hollandus, majores nostros in arte laborasse variis modis, atque tamen ad unum eundémque finem pervenêre, verùm lapis eorum non æquè magnam projectionem fecit, hic altam, ille longam, prout opera (*menstrua*) acuta fecere aut alti coloris. Nonnulli diu desudarunt, antequam lapidem produxere; alii acumine ingenii tempus abbreviarunt, ut jam quotidie fit multo sudore & labore. Nostri majores alii tres annos, alii quatuor laboravere antequam lapidem produxerunt, illis enim temporibus aqua fortis erat incognita, ac non nisi Aceto destillato utebantur, nunc eorum posteri aquas fortes adinvenêre quod opus multum abbreviavit. *Cap. 6. libr. 2. Oper. min. pag. 423. Volum. 3. Theat. Chym.*

Ad illud usque tempus corpora erant aperienda lentè, videlicet calcinando, reverberando, solvendo in acri nostro Aceto, (*Aceto cum spiritu vini phil. mixto*) idque posteri animadvertentes acumen mentis exacuerunt, ac aquam fortem adinvenerunt, quæ viam illis multum abbreviavit. *Cap. 77. libr. 1. oper. min. pag 358. Volum. ejusdem.*

Adepti non Aceto & aqua forti tantùm, sed omni spiritu acido non tingente, videlicet salis, sulphuris, &c. hunc vini phil. spiritum dissolvebant, ut præsens conficerent menstruorum genus. Ita præparatur

76. Spiritus

76. Spiritus ſalis Baſilii,

Libr. Partic. in Particul. Solis.

℞. SPiritûs ſalis optimè dephlegmati partem unam, ſpiritûs vini (*phil.*) optimi abſque omni phlegmate, ſive ſulphuris vini partem ſemis, lutatis vaſibus deſtilla fortiter ut nihil remaneat.

Si deſtillato ſuperaddas novum vini ſpiritum, & per tempus aliquod digeras, fit dulce; oportet ergo ſpiritum vini diſſolvere in ſalis ſpiritu abſque digeſtione ne pereat hujus ſpiritus aciditas vel ſalſedo. Guido loco ſpiritûs vini phil. aliquando ſumpſit ſuum circulatum vel minus vel majus, in quod deſtillavit ſpiritum ſalis.

77. Spiritus ſalis Guidonis,

Pag. 7. Theſauri. Chym.

℞. MEnſtrui vegetabilis minoris (*ſub.* No. 36.) vel magni (*ſub* No. 38.) libram unam, pone in recipiente capaci. Deinde ℞. Salis com. vel Gemmæ, lapidis Tripolenſis ana libras quatuor, deſtilla ex retorta terrea, igne aperto, primo leni, uſque ad totius phlegmatis extractionem, deinde appone recipiens cum circulato, & deſtilla ſpiritus, uſque dum ne guttula olei ſalis aſcendat, & menſtruum habebis acuatum.

Aliquando ut menſtrua hæc fortiora redderent, Acidum ſeparavere vel abſtraxere ab oleoſo, ut vini phil. ſpiritus remaneret in forma olei vel glaciei. Ita fit.

78. Aqua

78. Aqua fortis cum ſpiritu vini mixta Lullii,

In Elucidat. Teſtam. p.147. Artis aurifer.

℞. VItrioli partem unam, Nitri partem unam, Aluminis partem quartam, omnia miſceas bene inſimul, & pone ad deſtillandum lento igne, donec humiditas recedat, tunc da fortiorem, & ultimò fortiſſimum, donec albificetur alembicus, tunc enim eſt præparata aqua fortis. Poſteà ℞. Aquæ prædictæ libram unam, & pone in cucurbita magna, & ſunde deſuper uncias quatuor aquæ vitæ (*ardentis*) quatuor vicibus deſtillatæ, & pone deſuper alembicum cum ſuo receptorio, tunc faciet magnos ſtrepitus bulliendo cum maximo impetu ſine igne. Quapropter commixtio aquarum debet fieri ſucceſſive. Tunc pone in aliam cucurbitam minorem & pone deſuper alembicum cum ſuo receptorio, & in balneo deſtilla Aquam, ut ſolummodo materia remaneat in fundo vaſis in forma Glaciei, reaſſunde Aquam, & deſtilla iterum, & hoc reitera novem vicibus, tunc manebit in fundo oleum vel materia ut glacies.

Hoc Lullii menſtruum clarum eſt, quapropter noſtra elucidatione non indiget. Deſcribitur autem ab Anonymo quodam apud Rhenanum hoc modo.

79. Aqua fortis cum ſpiritu vini mixta Anonymi cujuſdam,

Libro de Principiis naturæ & Arte alchym. pag.28. ſyntagm. Harm. Joh. Rhenani.

℞. NItri & Aluminis ana, & deſtilla phlegma donec ſpiritus fortes & diſſolventes aſcendant, & his præpone recentem & mundam aquam deſtillatam, & in eam ſpiritus igne

igne fortissimo urge. Deinde ℞. Spiritus vini bene purgatos, ac subtiliter destillatos per balneum, de his recipe uncias quatuor ad libram unam aquæ fortis, in cucurbitam magnam, superponens ei alembicum, claude & loca eam in Aquam frigidam, ac ebulliant, donec cessat bullire. Tunc loca in balneum, & destilla aquam, sic ut spiritus adhuc humidi remaneant, tunc reaffunde ipsis Aquam priùs extractam, & fac ut priùs, & illud septies repete, semper destillans cum igne leni, donec non velit destillare, sed remaneat in fundo instar olei.

Ex Receptis hæc observamus notatu digna.

1. *Spiritum vini phil. in spiritu acido quodam dissolutum, menstruum esse minerale. Nostram Aquam fortem; Acetum nostrum, Acetum destillatum, Acetum cum spiritu vini mixtum, nostrum spiritum salis, sulphuris, &c.*

2. *Spiritum ejusdem vini in acido cum maxima dissolvi effervescentia. Hinc summè cavendum ne spiritùs vini phil. nimium effundas in Aquam fortem; & vice versa. Tutius enim esset Aquam fortem destillare desuper vini phil. spiritum, juxta Paracelsi monitum.*

3. *Sumere Aquam fortem cum spiritu vini mixtum, pro Aceto cum spiritu vini mixto, aut spiritu salis cum spiritu vini mixto, &c. licitum esse, præsertim in operibus alchymicis.*

4. *Menstrua hæc eo fortiora fieri, quo magis abstrahantur ab acido in dissolutione debilitato.*

5. *Adeptos etiam usos fuisse menstruis corrosivis vel aquis fortibus. Sunt non tantùm communium laborantium & ignorantium sed Adeptorum etiam quidam, horum menstruorum præparationem & usum nescientes, qui contra corrosiva hæc menstrua scripsere.* Fatui *inquit Bernhardus*, ex minoribus mineralibus faciunt & extrahunt aquas corrosivas, in quas projiciunt species metallorum & eas corrodunt. Putant enim illas solutas esse solutione naturali, quæ quidem solutio requirit permanentiam simul scilicet solventis & soluti; ut ex utroque nempe masculino & fæminino semine nova species resultet. Amen dico tibi, quod nulla aqua naturali reductione speciem metallicam dissolvit, nisi illa quæ permanet

manet in materia & forma, & quam metalla ipsa soluta possunt recongelare. Quod in aquis fortibus non contingit, sed potiùs est deturpatio compositi, utpote corporis dissolvendi, &c. sic tamen solvere se putant in natura errantes, sed non solvunt. Quia aquis fortibus abstractis, corpus ut priùs liquefit, nec aqua illa erit ei permanens, nec substat illi corpori pro humido radicali. Corpora quidem corroduntur, sed non solvuntur, & tanto magis à metallica specie alienantur. Quare hujuscemodi solutiones non sunt fundamentum Artis transmutatoriæ, sed potiùs imposturæ Alchymistarum sophisticorum, qui putant in his hanc artem sacram latere, &c. *Epist. ad Thom. de Bononia pag* 60. *Artis aurifer.* Sic in Regeneratione metallorum, *inquit Sendivogius*, sinistrè proceditur à vulgaribus chymicis. Corpora metallica solvunt sive mercurium, sive aurum, sive saturnum, sive lunam, & corrodunt illa aquis fortibus, & aliis rebus heterogeneis ad veram artem non requisitis, posteà conjungunt & simul cogunt nescientes quod ex corpore humano dissecto non generatur homo, &c. *Tract.* 6. *pag.* 488. *Vol.* 4. *Th. Chym.*

Some do by Art corroding waters make,
In which metalline species they calcine,
But then the liquor doth the earth forsake
Nor by mans skill together they will combine:
This way to fools we leave, for nothing fit,
But for to waste ones thrift, beware of it.

Pag. 41. of the 2. part of the Marrow of Alchymy.

Hæc & ejuscemodi dicta contra nostra torquent menstrua mineralia sive acida, ubi contra communes non sapientum aquas fortes fuere scripta à Philosophis. In isto passu, *inquit Lullius*, errant ignorantes, arbitrantes corpora metallorum cum fortibus aquis communibus dissolvi, ut suprà dixi in principio hujus operis, & adduci ad primam sui materiam vel naturam; sed si libros nostros legissent, scirent utique tales liquores intentioni

tentioni Philosophorum repugnare, &c. *Compend. animæ Transm. pag.* 194. *Volum.* 4. *Th. Chym.*

Lullii mentem ita explicat Parisinus fidelis ejus discipulus: Quæ de aquis fortibus nobis objiciuntur, illas videlicet in arte inutiles esse, & nihilominus à Lullio doceri, aliter accipienda sunt. Hoc modo enim differentiam inter aquas fortes sapientum & vulgares ponit, &c. ideoque Raymundus cum aquas acutas rejicit, aquas fortes separationis intelligit, non verò sapientum aquas. *Cap.* 6. *libr.* 1. *Elucidar. pag.* 206. *Volum.* 6. *Theat. Chym.*

Sed quod ipsa commonstrabunt menstrua, nobis vel authoritatibus vel argumentis elucidare non nisi superfluum foret.

XVI. Genus.

Menstrua mineralia simplicia ex Aceto philos. & salibus volatilibus, uti sunt sal armoniacum vulgi; urinæ, &c.

80. Oleum salis armoniaci Guidonis,

Pag. 11. *Thesaur. Chymiatr.*

℞. OLei salis (*menstrui sub* No. 71. *descripti*) libram semis, salis armoniaci (*vulgi*) uncias quatuor. Sal solve in oleo, dissolutum cohoba ter per alembicum.

Annotationes.

IN genere antecedente spiritus vini phil. dissolvebatur in Acidis, jam ut menstrua hæc oleoso-acida fortiora redderent Adepti, his addidere salia, id est, arida acidis dissoluta & cristallisata. In hoc præsenti genere sumpsere salia volatilia, utpote quæ facilioris præparationis sunt, in sequenti salia fixa, fortioris utpote virtutis. Nihil est in recepto Guidonis vel difficile vel obscurum, nisi in dubium vocare velitis ingredientia, quæ ambo communia esse nequeunt, quoniam Guido menstruo hoc aurum philosophicè sublimat. Quicquid etiam legis in libris Chymiæ practicæ, semper juxta literam intellige (artis loquendi terminos ut excipias, non est quod te admoneamus) si modo ita, hoc quod promittitur in præparatione & usu fieri queat; si non: Sensum analogicum quære non in præparandi methodo & usu, sed in ingredientibus. Juxtà quam regulam vel oleum salis, vel sal armoniacum, vel ambo philosophica esse debent,

eò

eò quod communibus aurum sublimari nequeat philosophice. Quod oleum salis sit menstruum philosophicum, probavit oleum salis Paracelsi, ut & spiritus vel oleum salis Basilii, quo sulphur solis extrahit. Cap. 6. de Rebus nat. & supernat.

Quod Guido idem oleum intellexerit probabile est, aliàs enim olei nomen improprie attribueretur à Philosopho, tenui & communi salis spiritui. Sed si malles, Guidonem per oleum salis communem intellexisse salis spiritum, oportet ut per sal armoniacum non vulgi, sed sal harmoniacum vegetabile (spiritum vini phil. sale quodam exiccatum & denuo sublimatum) intelligas, nam & ita menstruum conficeres ejusdem, si non fortioris virtutis, sequentis decimi octavi Generis speciem. Sed si ambo & oleum salis & sal harmoniacum assumeres philosophica, menstruum inde produceretur præcedentibus ambobus adhuc fortius; hîc errare potes de vero & genuino Recepti sensu, sed nunquam de veritate Chymica, quamdiu manuductus fueris à spiritu vini phil., ast hîc est, ut summè caveas, ne falsa falsorum lachrymistarum recepta aliquando incogitanter transmutes in vera; impossibile in possibile; mendacium in veritatem; & nequam in Philosophum.

Aliquando sal armoniacum vulgi impræegnarunt tincturâ quâdam ut menstruum conficerent altiùs; ita facta

81. Aqua salis armoniaci Isaaci,

Cap. 47. 2. oper.min. pag.460. Vol.3. Th.Chym.

℞. SAl armoniacum, sublima ipsum per vitriolum Romanum, libram unam salis armoniaci in libras duas vitrioli, tum contere denuo super fæces, iterum sublima, tum fæces abjice, tum sublima rursum per duas libras vitrioli recentis, fac ut suprà, & itera novies. Istud sal armoniacum pulverisa, pulverem vitro inde; superfunde Acetum destillatum (*phil. sive menstruum aliquod decimi quinti Generis*) ut tantummodo solvatur nec amplius, quam ut sal armoniacum solummodo aqua fiat tam crocea quàm sol, quia sal armoniacum per vitriolum erat sublimatum, atque id tincturam producebat. Estque hæc ea aquâ salis armo-

niaci qua cujus confectionem suprà pollicitus sum me dectum.

Ex Receptis observamus,

1. *Oleum sive Essentiam salis menstruum fieri fortius salium volatilium additione.*

2. *Hoc de menstruis præcedentis decimi quinti generis intelligi etiam debere.*

3. *Menstrua hæc eadem esse cum menstruis vegetabilibus quarti generis, nisi quod superadditum habeant Acidum.*

4. *Menstrua hæc esse facillimæ præparationis, utpote quæ tribus tantùm fiunt cohobationibus.*

5. *Cunctis in Chymia secretiori versatis perdifficile esse errare. Facilè enim quilibet artis hujus practicam intelligens explicabit cujuscunque Adepti receptum etiamsi obscurissimum, vel ex usu, vel titulo, vel ipsa præparandi methodo. Quasi impossibile enim est, quod ex dictorum trium uno vel altero, non hauriat lumen aliquod, vel directionem sufficientem inveniendi idem receptum clarius vel in ejusdem vel alteriùs Adepti scriptis. Et quamvis quidem interdum occurrant recepta, quæ receptis Chymiæ vulgaris in titulo, præparandi modo & usu similia esse videantur, attamen artis nostræ discipulus dijudicabit facilè de horum receptorum vel approbatione vel rejectione. Dantur enim signa infallibilia quæ verum à falso distinguunt menstruum. Unicum sequens hic nobis sufficiet: Boni menstrui qualitas est, ut vel suaviter vel violenter dissolvat corpora, eaque reddat non solum volatilia, sed pinguia etiam, imò eadem reducat in oleum verum liquoribus aquosis vel supernatans vel subsidens. Hoc menstrui attributum nulli communi dissolventi competit, sed solis philosophicis tantùm, ex unctuoso vini phil. spiritu confectis, qui spiritus solus sui permanentia aridum metalli sulphur & tenuius & pinguius reddit; quodcunque ergò menstruum in cujus usu talia promittuntur, quæ communibus fieri nequeunt, id philosophicum esse dicito, observata tamen una vel altera cautela.*

1. *Quod receptum sit noti alicujus & non suspecti authoris;*

non

non cujuſcunque ſumivenduli, magna & multa promittentis ſine baſi. Quare quodcunque receptum ſua authoritate carens, utut veris ſimile videatur, ut ſuſpectum rejiciendum eſſe putamus.

2. *Quod receptum ſit non ſolitarium, non in uno ſed diverſis locis ab eodem authore deſcriptum, vel ſaltem in ſuis ingredientibus clariſſimum. Eadem enim nomina hanc apud hunc habent ſignificationem, aliam apud alium Adeptum; quamdiu itaque per loca collateralia non ſcitur, quid ſibi velit author per ſuas materias, ejuſmodi recepta incerta declaramus.*

3. *Quod receptum ſufficientem in ſe contineat operandi regulam, ut videlicet pateat num in parte, num in toto volatiliſandæ ſint materiæ; qualiacunque autem breviori verborum ſyrmate obſcuriora, ut imperfecta ſeponimus.*

XVII. Genus.

XVII. Genus.

Menstrua mineralia simplicia ex Aceto philos. & salibus fixis non tingentibus, tam vegetabilibus, quam mineralibus.

82. Aqua Comedens Paracelsi,

Lib. X. Arch. Pag. 37.

SUB aqua comedente vel corrodente intelligimus Acetum cum spiritu vini (*philos.*) mixtum, quod toties à sale communi abstrahatur, donec in Acetum facesserit.

Annotationes.

ACetum philosophicum, sive Acetum cum spiritu vini phil. mixtum, quod salibus volatilibus acutum reddidistis in genere præcedente, magis fit forte salium fixorum ita dictorum permixtione. Varia ex salibus alcalibus descripsimus menstrua vegetabilia in illorum quinto genere, quæ si loco spiritûs vini phil. præpares Aceto philosophico, hujus generis inde fierent menstrua mineralia, licet alio & vario fuerint præparata modo, solo hoc discrimine; cum vini phil. spiritu fiunt satis tardè; hæc cum Aceto philos. conficiuntur multo citiùs; imò citissime componuntur si menstruis vegetabilibus adjungatur Acetum vel commune vel philosophicum. Aqua comedens tertium est menstruum quod ex sale communi fieri observavimus. Primum habetur in quinto genere menstruorum vegetabilium, ubi sal com. fusum & resolutum per deliquium mediante vini phil. spiritu redigitur in oleum sive Essentiam salis, quæ dein cohobando aliquoties cum eodem spiritu fit dul-

dulcis & transmutatur in Arcanum salis sive circulatum minus ex sale com. secundum extat in decimo quarto genere, ubi prædictum salis oleum in sua acida (salina potiùs) relinquitur Essentia. Tertium; quod in præsenti docetur genere, cum primo convenit, nisi quod non vini phil. spiritu, sed Aceto phil. adeoque citiùs hoc præparetur, & in usu fortiùs existat ut menstruum minerale. Dissolve Arcanum salis sive sal circulatum in Acido quolibet non tingente, videlicet communi Aceto destillato, spiritu Nitri, sulphuris, salis, &c. & evadet aqua comedens per simplicem commixtionem; è contra si debilites vel removeas acidum aquæ comedentis vel præcipitando cum spiritu vini com. aquâ com. &c. vel digerendo per se habebis Arcanum salis sive Aquam salis circulati.

Quod de sale com. dictum, hoc etiam de Nitro, Alumine, cæterisque salibus non tingentibus intellectum esto. Receptum aquæ comedentis ex se clarum est, nisi quod in latina versione, à Salis Nitri spiritu, *malè legatur; cum autographum germanicum* à sale communi, *habeat. Errorem ut corrigas oportet.*

Non tantùm ex salibus mineralibus non tingentibus sed etiam ex alcalibus vegetabilibus hujus generis conficiuntur menstrua. Ita fit

83. Aqua fixativa Trithemii,

p.37. Aurei veller. Germ.

℞. AQuam fortem cum spiritu vini mixtam (*superiùs sub* No. 74. *descriptam*) cui adde olei Tartari per deliquium libram semis, destilla spiritum, phlegma abjice, & Terram sive sal residuum in spiritu solve.

Pro rerum fixationibus solutum serva; pro volatilisatione autem, sal Tartari cohobandum est toties, usque ascendat per modum salis com. in aqua comedente.

Huc refertur menstruum quod dicitur

84. Aqua

84. Aqua mirabilis Isaaci,

Cap. 29. 2. oper. min. & pag. 91. manus phil.

℞. URinam veterem, destilla lento igne, deinde fortiori, ut quicquid poterit ascendat, destillatum toties rectifica, removendo omnem pinguedinem vel oleum, donec nullas post se relinquat fæces. Caput mortuum in fundo relictum calcina per duas horas, absque salis fusione tamen, ex calcinato aqua communi extrahe omnem salsedinem; lixivium evapora ad cuticulam, ut sal cristallisetur, reitera aliquoties ut sal fiat purissimum. Quod solve in urina destillata. Tum ℞. Hujus urinæ regeneratæ mensuras sex, Aceti destillati, spiritus vini (*phil.*) ana mensuras tres, salis communis libras duas, salis armoniaci, Tartari calcinati, ana libram dimidiam; solve hæc omnia invicem in Aquam mirabilem.

Similem ferè Aquam habuit Basilius, nisi ut suam destillet per alembicum, cujus descriptio sequitur.

85. Aqua Resuscitativa Basilii.

Pag. 81. Currûs triumphalis Antim.

℞. SAlis ex urina humana clarificati & sublimati, salis armoniaci, & salis tartari, ana partem unam, salia misce, affunde acetum forte (*phil.*) luta luto sapientiæ, digere salia sic per mensem in calore continuo, denique destilla acetum per cineres donec salia sicca remaneant; quo facto admisce terræ venetæ partes tres, urge igne forti per retortam, & habebis spiritum mirum ad conficiendum mercurium currentem ex Antimonio.

Eandem Aquam invenimus etiam pag. 39. suarum manualium operationum.

Aliquando loco spiritûs vini phil. Adepti usi fuerunt oleoso crudo quodam in horum menstruorum confectionibus, ita Paracelsus

ſus cum cera in aqua forti diſſoluta, volatiliſavit 4 ſalia in menſtruum hujus generis.

86. Aqua Sallabri Paracelſi,

Libro de Reductione Metallorum in argentum vivum ſive Tractatu 4. Roſarii novi olympici Bened. Figuli Pag. 24.

SCies nullam nobis eſſe cognitam methodum reducendi metalla in mercurium, breviorem eâ quam exhibuimus in libello noſtro de putrefactione quatuor ſalium, quæ ibidem vocavimus ſallabrum; videlicet iſtorum (*ſalium, ut inferiùs*) quodlibet redigatur in Aquam puram vel oleum (*per deliquium*) quæ in æquali pondere permixta dicuntur Lac Veterum. Quod Lac philoſophicum impone recipienti forti, & quinquies deſuper deſtilla ſpiritus ex vitrioli calcinati, Aluminis calcinati, & Nitri optimi ana, & mixtum vocabitur aquila volans, metalla unguibus ſuis in altum rapiens; metallum ſublimatum contere in pulverem, à quo ſpiritum vini fortis ad digiti ſupereminentiam affuſum ter vel quater leniter in balneo abſtrahe, & recipies metallum vivum vel currens ad modum mercurii vulgi. Aquila autem redditur volatilis hoc modo: Lacti philoſophorum dictis ſpiritibus acuato, vel aquilæ affunde ceram optimè eliquatam ad digiti craſſitiem, deſtilla ex cucurbita in balneo phlegmata unà cum ſpiritibus, quod cohobandum eſt toties, uſque dum omnia fuerint coagulata vel bene commixta; & habebis boracem philoſophorum de quo in libello de virtute vitrioli ſcripſimus, in quo aquila volatilis, cum pennis ſuis, id eſt, ſpiritibus ſeſe abſcondidit. Jam recipe metalli cujuſcunque volueris calcem ex aqua forti, partem unam, aquilæ volantis partem ſemis, commiſce, pone ad putrefaciendum per novem dies, quo longius eò melius; deinde ſublima materiam ex arena in cucurbita bene lutata, & aſcendet totum quodcunque ſumpſeris metallum, quo cum procede ut modo dictum ſuperiùs. Sallabrum ex libro allegato (*de putrefactione 4 ſalium*) deſcriptum. ℞. Sal Nitri, ſal gemmæ, ſal commune, ſal cinerum clavell. ana, quodlibet

 ſolve

84. Aqua mirabilis Isaaci,

Cap. 29. 2. oper. min. & pag. 91. manus phil.

℞. URinam veterem, destilla lento igne, deinde fortiori, ut quicquid poterit ascendat, destillatum toties rectifica, removendo omnem pinguedinem vel oleum, donec nullas post se relinquat fæces. Caput mortuum in fundo relictum calcina per duas horas, absque salis fusione tamen, ex calcinato aqua communi extrahe omnem salsedinem; lixivium evapora ad cuticulam, ut sal cristallisetur, reitera aliquoties ut sal fiat purissimum. Quod solve in urina destillata. Tum ℞. Hujus urinæ regeneratæ mensuras sex, Aceti destillati, spiritus vini (*phil.*) ana mensuras tres, salis communis libras duas, salis armoniaci, Tartari calcinati, ana libram dimidiam; solve hæc omnia invicem in Aquam mirabilem.

Similem ferè Aquam habuit Basilius, nisi ut suam destillet per alembicum, cujus descriptio sequitur.

85. Aqua Resuscitativa Basilii.

Pag. 81. Currûs triumphalis Antim.

℞. SAlis ex urina humana clarificati & sublimati, salis armoniaci, & salis tartari, ana partem unam, salia misce, affunde acetum forte (*phil.*) luta luto sapientiæ, digere salia sic per mensem in calore continuo, denique destilla acetum per cineres donec salia sicca remaneant; quo facto admisce terræ venetæ partes tres, urge igne forti per retortam, & habebis spiritum mirum ad conficiendum mercurium currentem ex Antimonio.

Eandem Aquam invenimus etiam pag. 39. suarum manualium operationum.

Aliquando loco spiritûs vini phil. Adepti usi fuerunt oleoso crudo quodam in horum menstruorum confectionibus, ita Paracelsus

ſus cum cera in aqua forti diſſoluta, volatiliſavit 4 ſalia in menſtruum hujus generis.

86. Aqua Sallabri Paracelſi,

Libro de Reductione Metallorum in argentum vivum ſive Tractatu 4. Roſarii novi olympici Bened. Figuli Pag. 24.

SCies nullam nobis eſſe cognitam methodum reducendi metalla in mercurium, breviorem eâ quam exhibuimus in libello noſtro de putrefactione quatuor ſalium, quæ ibidem vocavimus ſallabrum; videlicet iſtorum (*ſalium, ut inferiùs*) quodlibet redigatur in Aquam puram vel oleum (*per deliquium*) quæ in æquali pondere permixta dicuntur Lac Veterum. Quod Lac philoſophicum impone recipienti forti, & quinquies deſuper deſtilla ſpiritus ex vitrioli calcinati, Aluminis calcinati, & Nitri optimi ana, & mixtum vocabitur aquila volans, metalla unguibus ſuis in altum rapiens; metallum ſublimatum contere in pulverem, à quo ſpiritum vini fortis ad digiti ſupereminentiam affuſum ter vel quater leniter in balneo abſtrahe, & recipies metallum vivum vel currens ad modum mercurii vulgi. Aquila autem redditur volatilis hoc modo: Lacti philoſophorum dictis ſpiritibus acuato, vel aquilæ affunde ceram optimè eliquatam ad digiti craſſitiem, deſtilla ex cucurbita in balneo phlegmata unà cum ſpiritibus, quod cohobandum eſt toties, uſque dum omnia fuerint coagulata vel bene commixta; & habebis boracem philoſophorum de quo in libello de virtute vitrioli ſcripſimus, in quo aquila volatilis, cum pennis ſuis, id eſt, ſpiritibus ſeſe abſcondidit. Jam recipe metalli cujuſcunque volueris calcem ex aqua forti, partem unam, aquilæ volantis partem ſemis, commiſce, pone ad putrefaciendum per novem dies, quo longius eò melius; deinde ſublima materiam ex arena in cucurbita bene lutata, & aſcendet totum quodcunque ſumpſeris metallum, quo cum procede ut modo dictum ſuperiùs. Sallabrum ex libro allegato (*de putrefactione 4 ſalium*) deſcriptum. ℞. Sal Nitri, ſal gemmæ, ſal commune, ſal cinerum clavell. ana, quodlibet

 ſolve

ſolve per ſe & purga ab omni terreſtreitate, ex omnibus invicem permixtis claram confice & perſpicuam aquam, quam iterum coagula in vaſe mundo, & ſal invenies alterius coloris, videlicet cerei, penetrans & edulcorans, diſſolvens & figens. Hoc ſal ſit tibi in honore & amore, ſiquidem in eò ſunt multa Arcana, fixat enim volatile, & vivificat ſpiritum mortuum; durum & friabile emollit, & ab omni lepra & veneno liberat, figit Arſenicum, præterea etiam plura opera præclara ad optatum & felicem promovet finem.

Imprimis ut caveatis ab hoc & ejuſcemodi menſtruis vos admonitos velimus. Myſterium enim latet in hiſce receptis, quod ut obſervetis neceſſum eſt, ne poſt varia in vanum tentata experimenta periculoſiſſima in dubium vertetis eorum veritatem. Vobis incipientibus ſufficiat: Impoſſibile eſſe ut cera vel aliquod aliud oleoſum agere poſſet vices ſpiritûs vini philoſophici. Nulla eſſet hujus ſpiritûs in tota Arte neceſſitas, ſi cruda oleoſa præſtarent idem quod iſte purificatiſſimus & unctuoſiſſimus liquor. Nemo niſi peritus vini phil. ſpiritum præparando methodi hæc conficiet menſtrua, ubi cætera omnia à quolibet confici poſſunt idiota, modo ex dono poſſideat hujus vini ſpiritum. Adepti in hiſce receptis & præparant & acuunt hunc vini ſpiritum; non mirum ergò quod laborem ſophiæ vel penitus omiſerint, vel non ſatis expreſſerint in eorum compoſitionibus, unde etiam menſtrua hæc ad vini phil. ſpiritûs præparationem potiùs pertinent, quàm ut cætera omnia ad hujus ſpiritûs uſum vel horum menſtruorum compoſitiones. Nec illorum hîc meminiſſem, niſi hæc (ſciens loquor) pluribus damno fuiſſent.

Nomen Sallabrum dicitur quaſi ſalis labrum, non quod ſal ſit in hoc labro continendum, quemadmodum candelabrum vocatur quod in eo candelæ figantur, ſed quod potiùs in hoc labro ſalino, alicujus metalli Eſſentia, ignis, vel lumen aliquod chymicum ſit vel reſervandum vel conficiendum, quemadmodum Alumen apud Iſaacum in Manu philoſophor. pag. 28. Lucerna *dicitur.*

De hoc ſalis labro Thomas Aquinas in Lilio Benedicto pag. 1685. Vol. 4. Th. Chym. ita;

Adde

Adde labrum ſalis quanta ſit ſexta duorum
Conjunge poneque ſimul——

Ibidem hoc ſalis labrum medium conjungendi Tincturas *vocat*, medium inter duo extrema, inter durum & molle, inter lunam & ſpiritum, corpus & ſpiritum; uti ſanguis menſtruus eſt medium inter ſperma maſculi & femellæ, ita hoc ſal noſtrum. *Pag.* 1085. Sallabrum ſalem tonantem, lapidem illuminantem & pinguedinem aquilæ *nuncupat*. *Pag.* 1087. Sal Alembrot, lapidem Bore (*Borax*) & pinguedinem aquilæ. *Pag.* 1097. Tincar, Borax.

Sallabrum hoc ſive labrum ſalinum à Paracelſo componitur ex hiſce ſalibus. Nitro, ſale gemmæ, ſale communi, & Alcali.

Guido quatuor ſequentibus uſus eſt in ſua metallorum reductione in mercurium: Sale communi Alcali, ſale Armoniaco & ſale Tartari. *Pag.* 23. *Theſauri Chym.*

Thomas de Aquina eadem ſalia Guidonis recepit pro ſuo ſalis labro. Affinitatem quam obſervo inter Paracelſi ſalia, Gemmæ & commune, animadverto etiam inter ſal Tartari & Alcali Guidonis, at recepti Baſis ſuper hæc quatuor ſalia non ſtabilitur. Nitrum & ſal com. invicem fuſa & reſoluta per deliquium aliquandò ſatisfecere Paracelſo. Nec in Cera, recepti jacet myſterium, cujus loco ſi aliud elegeris minimè errabis. Ejuſdem vice aliquandò uſus eſt oleo lini in aqua ſextæ gradationis, ſed de hac in ſequentibus.

Ex Receptis annotamus,

1. *Menſtrua hæc eſſe menſtrua vegetabilia ſimplicia quinti generis acidis diſſoluta. Diſſolve quodlibet iſtorum in aqua forti comm. & menſtruum habebis hujus generis. Remove autem Acidum & fóret iterum ut anteà menſtruum vegetabile.*

2. *Menſtrua hæc ratione aciditatis & citiùs fieri, & potentiùs operari dictis menſtruis quinti generis.*

3. *Non ſemper componi ex vini phil. ſpiritu, ſed fieri etiam mediante oleoſo aliquo vulgari, modò tentetur per artiſtam in ſpiritùs vini philoſophici conficiendi methodo expertum.*

4. *Menſtrua hæc abſque omni additione argenti vivi vulgi, ſed propriis viribus reducere metalla & mineralia in mercurium currentem.*

5. *Metalla menſtruis hiſce diſſoluta & ſublimata, ſatis propriè dici mercurios philoſophorum, quoniam uti mercurius ſublimatus communis ita hæc facillimè reſuſcitantur in argentum vivum currens.*

XVIII. Genus:

XVIII. Genus.

Menſtrua mineralia ſimplicia ex ſale Harmoniaco vegetabili, & acidis non tingentibus.

87. Aqua fortis Iſaaci Hollandi,

Cap. 122. 1.*oper.min. pag.*397. *Vol.*3. *Th.Chym.*

COnficies aquam fortem ex ſale armoniaco & ſale nitro ana, ac ſalnitrum in pulverem ſiccum ſiccabis. Tum probè ſal armoniacum inter pulverem ſalis nitri intermiſce; ità ut bene inter ſe permixta ſint, ac incorporata unum in altero. Tum deſtillanda pone, nec receptaculum ſtrictè ad roſtrum luta, antequam deſtillare incipiat. Nam ſi initiò receptaculum ad roſtrum alembici lutas, ſpiritus ſylveſtres ventoſi inſunt materia, qui receptaculum diſrumperent, ſed cum aliquantiſper deſtillavit, luta intrepidè roſtrum, atque Aquam ſecundum artem deſtilla.

Annotationes.

PRæter Acetum Philoſophorum datur ſal harmoniacum, ſub cujus nomine lateſcit vini phil. ſpiritus omnium menſtruorum radix, concentratus utpotè, exſiccatus in Arido, & in ſal mirabile ſublimatus. De hoc ſale non communi ſale armoniaco, in Acidis communibus non tingentibus diſſoluto, hoc præſens tractat Genus. Ex communi etiam ſale armoniaco ſuperiùs quidem confecimus menſtrua philoſophica, mediante Aceto philoſophico, ſive Acido cum ſpiritu vini phil. mixto. Hujus autem generis menſtrua illis fortiora ſunt, cum vini phil. ſpiritus ſublimatus in ſul-

sulphur vel mercurium vegetabilem, melior redditur, scilicet vel Alcali, vel Arido quodam olim fixato acuatus, hinc Acido dissolutus, nobilius etiam præbet menstruum. Isaacus in Recepto nostro sal harmoniacum veget. cum tantumdem salis Nitri commiscet, ut in subsequenti destillatione sal vegetabile solvatur in acido minerali salis Nitri. Quoniam autem solutio hæc, ob subitaneam oleosi & Acidi effervescentiam, nimis periculosa fit, ideò receptaculum strictè ad rostrum lutare non ausus est. At cum similis fervor habeatur in destillatione communis salis armoniaci & salis Nitri, probandum nobis est, Isaacum per sal armoniacum, intellexisse non commune, sed philosophicum. Quod primò probamus ex menstrui usu, de quo Isaacus ita: In aqua confecta salem tuum solve & in balneo pone, alembico vitreo superimposito: Nec balneum magis accendas, quam ut manum tuam in eo ferre possis, ac receptaculum rostro admodum solidè agglutina. Et suprà in alembico erit pusillum foramen, ei infundibulum vitreum impone, per quod denuo alia aqua fortis infundi possit cum opus est. Ac balneum in eo calore retine, quo dictum est antè, die nocteque; cumque vides aquam tuam fortem ad tam parvam pervenisse (*destillando*) quantitatem, sicut erat, cum solveres in ea solem, (recentem aquam fortem affunde) & sinas sensim destillare diem ac noctem ex balneo. Cumque iterùm spissescit, rursum Aquam fortem materiæ superfunde, modis omnibus ut antè dictum. Id ter itera, semper aquam fortem recentem superfundens. Tertiò vero liberè siccum (*ad siccitatem*) destilla. Tum sine corpus illud refrigescere, ac receptaculum à rostro tolle, ac cera solidè obtura. Alembicum ab olla aufer. Ac tum sume drachmam aut scrupulum ex olla, materiæ, ac ollæ vitreæ inde, ac Aquam communem destillatam superfunde, ac super fornacem colloca in testa cum cineribus, & aqua illa ad semihoram bulliat. Tum sinas sponte refrigescere, & stare sinas diem unam & noctem, & pulvis in fundo vasis subsidet. Aquam effundas sensim supernè, ac Aquam reliquam super igne tepido evaporabis, ita ut pulvisculus tuus siccus fiat. Cum vero siccus fuerit, exime, ac laminam argenteam candefacito, ac paululùm tui pulvisculi laminæ candenti superjicito: ac sedulò vide an pulvis non fumet, ac si fumare videris cave tibi à fumo, fumus enim te enecare posset, &c. *Pag. 397. ejusd. Vol.*

Tum

Tum materiam tuam, *pergit cap.* 124. aut pulverem tuum ei (*sublimatorio*) inde, & tum magnum & lotum alembicum superimpone, & solidè luto operi, ita ut certus sis nullos spiritus lutum penetrare posse. Sunt enim adeò subtiles spiritus ut tibi scribi non posset. Nam si spiritus penetrarent, tuque aërem reciperes, moriendum tibi esset. Ac luta ingens receptaculum ad rostrum alembici, ac lutum illud ubique probe sinas siccescere. Tum ignem fornaci subjice, primum ignem admodum pusillum, ac aliquoties per gradus ignem auge, donec materia tua sursum sublimare incipiat, quod igne pusillo fiet. Cumque materiam ascendere vides, sedulò adverte, ut ignem eodem statu retineas, ut admodum leniter sublimet, quod facile fiet, nam materia sublimatur & ascendit igni admodum pusillo. *pag.* 402. *ejusdem Volum.*

Aurum in hac Isaaci aqua forti dissolutum, & una vel altera vice cohobatum, deinceps aqua communi ablutum adeò redditur volatile, ut igne admodum pusillo etiam ascendat in sublimatum venenosissimum; idem si præstet quispiam tam facili methodo cum communi Aqua Regis ex sale armoniaco & nitro confecta, istum non indigere hujus generis menstruis dicemus; ast commune sal armoniacum ad ejusmodi præstanda esse insufficiens, vel Chymiæ vulgaris Tyrunculi dudum fuere experti.

Præter hujus menstrui usum, Encomia salis harmoniaci, quæ communi ejusdem nominis minimè conveniunt hujus menstrui probant excellentiam. Nunc docere volumus, *inquit*, quomodo & qua ratione, animam, corpus & spiritum simul conjungemus, ut in se invicem ingrediantur. Nam contrariorum congregatio esse non potest ut simul maneant sine medio, (*quod in superioribus vocaverat sal armoniacum aut Aquam siccam. Cap.* 146.) Cape exemplum à tinctoribus qui pannos tingunt, &c. ita se res cum nostro lapide habet. Quamvis corpora rite præparavimus, animam & spiritum: Nisi in se invicem ingrediantur, neque jam, neque ullo unquam tempore simul manebunt sine medio aquæ siccæ. Jam dilecte, ubinam nunc Aquam illam reperiemus? Nam Geber ait: Aqua nostra non est aqua nubium. Aristoteles inquit: Aqua nostra est aqua sicca. Hermes ait: Aqua nostra ex sordida ac fœtida menstruali materia colligitur. Danthynus dicit: Aqua nostra invenitur in veteribus

stabulis

ſtabulis è latrinis ac fætidis cloacis. Ac Morienus: Aqua noſtra creſcit in montibus ac vallibus, ac ſtolidi verba iſta non intelligunt, & putant mercurium eſſe; non eſt mercurius, eſt aqua ſicca, quæ ingredi facit & congregare omnes ſpiritus minerales, animam & corpus, atque ubi ea congregavit, recedit ab illis, ac fixa ſimul manere ſinit. Atque hæc aqua reperitur in omnibus rebus quæ in mundo ſunt. Nam niſi hæc aqua eſſet, fruſtra lapidem efficere niteremur. Nam quo pacto efficeremus ut noſtræ materiæ præparatæ alia in aliam ingrederetur? Quemadmodum Pharmacopolæ herbas ſuas ſimul congregant, eodem modo facere debemus, ſive in vegetabili, animali aut minerali ad opus perfectum faciendum, aut quintam Eſſentiam, ex rebus ſingulis diſtinctis Aquam ſiccam habere debemus. Itaque in rebus omnibus aqua ſicca ineſt ut ſeipſæ perfectas efficiant. Ideò Galenus ait: Res omnes ſuam propriam habent medicinam ad lapidem conficiendum ſive in minerali, animali aut vegetabili, abſque ullarum rerum peregrinarum additione. Quare cum lapidem conficere volumus, aut ullam fixationem, conjunctionem illam aqua noſtra ſicca facere debemus, ſicuti de Tinctore & Pharmacopola dictum eſt. Ideò fit, mi dilecte, ut tam multi in errores incidant, quod naturam non intelligant nec ſequantur: Idcircò tibi de Tinctore & Pharmacopola mentionem feci ut per eam rationem rudem, naturam intelligas, ut tua ipſius mente capias nullam conjunctionem abſque medio fieri poſſe. Quare omnia opera quæ ſupra habentur proba ſunt, ſed duo illa ibi non nominantur, ſpiritus videlicet atque aqua ſicca, pondera ac congregatio, in quibus ars noſtra tota conſiſtit. Quare te adjuro, ut ſecretum iſtud nunquam patefacias nam huic omnis ars quæ in orbe eſt, incluſa eſt, ac brevi tempore ac exiguo labore opus perfectum faciendum. *Cap.* 147, 148, 149. 2. *oper. min. pag.* 524, 525. *Vol.* 3. *Theat. Chym.*

Ripleus eandem Aquam deſcripſit hoc modo.

88. Aqua

88. Aqua Regis Riplei,

Pag. 349. Viatici.

FAc Aquam corrosivam de sale petræ & armoniaco, & non ponas ultra quatuor uncias in destillatorio & trahe cum lento igne aquam, in qua dissolve & fac oleum solis, &c.

Hanc Aquam fortem Basilius Valentinus vocavit Balneum Regis de quo ita in Elucidatione secundæ Clavis: Nota amice, & seriò considera, quoniam hîc latet principale secretum. Fac ut conficiatur Balneum, cave ne aliquid intret peregrini, ne nobile semen auri radicitùs destruatur post ejus dissolutionem. Exactè itaque & cum cautela examina res, de quibus te informat clavis secunda; videlicet, Qualia materialia sint accipienda pro Regis Balneo, quo Rex dissolvi & ejus externa forma frangi debent ut anima ejus immaculata exeat. Huic proposito subservient Draco & Aquila, id est, Nitrum & sal armoniacum ex quibus unitis conficitur aqua fortis uti informaberis in meis manualibus ubi tractaturus sim de particulari solis.

89. Balneum Regis Basilii,

Libr. Partic. in Particul. Solis.

℞. SAlis petræ partem unam, salis armoniaci partem unam, silicum pulverisatorum partem semis, misce & destilla. Nota; Aquam hanc cum cautela & exactè esse destillandam, nam per methodum communem destillari nequit; expertus in chymiæ (*secretioris*) operationibus sciet quid faciendum: Nota; Oportet ut habeas Retortam terream fortem bene lutatam, in cujus superiori parte exeat fistula dimidiæ spithamæ longa, & duorum digitorum lata, appone Recipiens magnum, luta bene, ignem per gradus augmenta usque dum Retorta candeat. Tum per fistulam injice cochleare hujus materiæ, &

ſubitò claude fiſtulam linteo madido, & ſpiritus impetuoſè tranſiens in recipiens; ſpiritibus ſedatis aliud injice cochleare dictæ materiæ, ita procedendo uſque dum nulla materia ſuperſit, & Aquam habebis Gehenneam, diſſolvens Auri calcem in inſtanti in ſolutionem craſſam, de quâ mentionem feci in tertia parte, ut & in ſecunda clavi, non ſolummodo Aurum diſſolvens ſed idem redigens in volatilitatem, &c.

Hoc Balneum Regis deſcribitur etiam à Baſilio in Revelatione manualium operationum. Ita,

90. Aqua philoſophica ad ſolutionem Auri Baſilii,

Labore primo Revelation. man. operation.

℞. SAlis petræ, ſalis armoniaci ana partes duas, lapillorum lotorum partem unam, tere ſimul, & per retortam (*tubulatam*) deſtilla aquam in recipientem amplum, injiciens per tubulum duas aut tres uncias; recipiens ſit magnus, & jaceat in vaſe pleno aquâ frigidâ, & lineis pannis humidis tegatur, ut ſpiritus refrigeſcant, valdè enim incaleſcet; juncturas retortæ optimè obtura, ignem ſuccende, & retorta caleſacta injice uncias tres materiæ, tubulo ſtatim obturato tranſibunt ſpiritus, & recipiens albeſcet, & guttæ cadent: Cum ſpiritus conſederint, injice denuò uncias tres, obturato ſtatim tubulo, procede ut priùs ſæpiùs mutando linteà madida; continua laborem hunc donec aquæ ſatis habeas, quam obtura optimè, ne evaporet, eſt aqua vera & Balneum minerale pro Rege.

Baſilium æquè ac Iſaacum ſale harmoniaco vegetabili non communi pro ſuo Balneo uſum fuiſſe, uſus ejuſdem etiam probat.

℞. Aquæ hujus partes tres, calcis auri partem unam, miſce in cucurbita, pone cum alembico ſuper cineres calidos, ſolvetur; & ſi non ſolvatur totum, effuſâ aquâ affunde novam, & hoc donec omnis calx ſoluta ſit in Aqua; cum refrixerit ſubſident fæces albæ in fundo, quas ſepara; aquam omnem conjunge, & in Balneo per diem & noctem digere, fæcibus denuo remo-

tis

tis per novem dies continuò digere, destilla aquam ut materia in fundo remaneat olei similis, &c. destilla toties donec omne aurum per alembicum transiverit. Ibidem. *Balneum hoc unctuosum aurum cæteraque metalla redigit in olea, quoniam ex oleoso vini phil. spiritu, concentrato & exsiccato in Alcali quodam vegetabili, & Nitri spiritu, confectum est; ubi è contrario sal armoniacum vel Aqua Regis com. metalla ultra suam, id est, salinam naturam transmutare nequit, oleitatem enim quam non habet dare non potest. Isaacus ob Retortæ tubulatæ nondum fortassis tum temporis cognitæ defectum, non parvam spirituum jacturam passus est in hujus menstrui destillatione, quam Basilius dictæ retortæ ope resarcire annisus est, quamvis & hoc non sine sua difficultate.*

Melius istud confecêre Adepti recentiores Crinot, Trismosinus, & Paracelsus, destillationis difficultatem & spirituum jacturam observantes, qui simplici sed meliori modo sal harmoniacum vegetabile dissolvebant in Nitri spiritu vel aqua forti absque omni jactura, periculo & tædio.

91. Aqua fortis fortissima Paracelsi,

Libro 3. Arch. de separ. Elem. pag. 7.

℞. SAl Nitrum, Vitriolum, & Alumen æqualibus partibus, quæ destillabis in aquam fortem, hanc rursus ad suas fæces affundes, iteratoque in vitro destillabis, in hoc aqua forti clarifica argentum, & posteà in ipsa sal armoniacum solve.

Nec Paracelsum per sal armoniacum intellexisse commune, etiam ex usu menstrui demonstratur, quem ita describit: His peractis; accipe metallum in laminas redactum, & in aquam resolvas ibidem, id est, in eadem aqua, tandem separa per Balneum, rursum affunde. Hoc itera toties, donec in fundo repertum sit oleum, ex sole vel auro spacideum; ex luna lazurium; ex marte rubeum & valdè obscurum; ex mercurio album; ex saturno lividum & plumbeum; ex venere viride

prorsus; ex Jove flavum. *Ibid. Quis cum communi Aqua Regis dissolvit unquam metalla promiscuè, tam argentum quàm aurum in oleum, vel spacideum, vel lazurium? Ne quid dicam de metallorum omnium reductione in duas pinguedines rubram & albam Essentiam & corpus invalidum. Ab effectu ergò clarum est Paracelsum sal Harmoniacum aqua forti dissolvisse pro sua aqua forti fortissima.*

Guido addit quod Paracelsus omittit salis armoniaci pondus in hujus menstrui confectione.

92. Aqua Regis Guidonis,

Pag. 22. Thesauri. Chym.

℞. VItriolum sal com. Nitrum, destilla in aquam fortem, accipe hujus libram unam, salis armoniaci (*phil.*) uncias quatuor, destilla adhuc semel.

Solomon Trismosinus aliquando metalla dissolvit in communi aqua forti, & solutioni addidit sal harmoniacum. Ita argentum aqua forti dissolutum volatilisavit cum prædicto sale, libro 8. Tinct. in Tinct. quinta pag. 81. Aurei Velleris German. ℞. Lunæ puræ uncias quatuor, solve in aqua forti com. abstrahe phlegma, adde residuo salis armoniaci drachmas sex & affunde novam aquam fortem, abstrahe iterum in cineribus ad oleitatem, hoc repete quater cum nova aqua forti, tandem urge fortiter & luna ascendet una cum aqua forti.

Aliquando Aurum & Argentum junctim hoc menstruo volatilisavit. In Tinctura Regis Julaton, pag. 16. Aurei Veller. ℞. Auri limati, salis armoniaci, ana uncias duas, quibus affunde argenti optimi in unciis octo aquæ fortis dissoluti uncias quatuor, abstrahe ad oleitatem, novam affunde aquam fortem, quod repete ter cum recenti aqua, & aurum una cum argento ascendet per alembicum.

Lullius suam Aquam Regis confecit dissolvendo sal harmoniacum vegetabile in aqua acida mercurii sublimati.

93. Aqua

93. Aqua Regis Lullii,
In Exp. XVII.

℞. MErcurium bis cum vitriolo & ſale communi præparato ſublimatum ſemper cum novis materialibus, contere, & ſi ſublimati fuerit libra una, accipe albumina novem ovorum recentium quod albumen tam diu concutias, ut videatur eſſe aqua. Mox miſce albumen cum illo ſublimato, & pone in retortam habentem collum extenſum, junge illi receptorium quàm optimè clauſum, ſubminiſtrans illi ignem cinerum, in principio leviſſimum, donec eò gradu deſtillet. Ceſſantè autem deſtillatione augebis ignem: Ultimò dabis ignem violentiſſimum, àtque hoc pacto pars mercurii tranſibit in aquam, pars verò in mercurium vivum, quod vivum tranſactum iterum ſublimabis & junge cum aqua deſtillata, priùs tamen contritum, ac iterùm deſtillabis ut ſuprà, iterando magiſterium totiès donec totum ſublimatum tranſeat & convertatur in aquam. Quare poteris eodem modo multiplicare toties quoties volueris, adjungendo illi ſemper aquæ ſublimatum novum, & deſtillando donec in aquam convertatur. Accipe igitur hanc aquam & pone in urinali parvo (*cucurbita*) connectens ſibi capellum cum receptorio, poſt deſtillabis per balneum tamdiu, ut videatur tibi albumen illud immixtum tranſactum eſſe, quod ita cognoſces; accipe laminam ferream vel cupream, ſuper quam permitte unam guttam deſtillationis cadère, quæ ſi bulliat, & videatur diſſolvere, tum amove recipientem, annectendo alterum quamoptimè clauſum & deſtillabis per cinerem, atque iterum per cineres hoc magiſterium iterabis ſepties. Atque ita habebis aquam mercurialem quæ tibi ſerviet in multis operationibus. Accipe igitur unciam unam ſalis ſecundi Experimenti (*Salis Tartari volatilis ſub* No. 17. *dati*) & uncias quatuor iſtius aquæ (*acidæ jam deſtillatæ ex mercurio ſublimato*) & miſce ſimul, & ſtatim diſſolvetur, poſtquàm diſſolutum fuerit, deſtillato per cineres lento igne juncturis optimè clauſis, ultimò ignem augebis ut totum ſal cum aqua pariter tranſeat per alembicum, poſteà in eandem aquam iterum immitte unam alteram unciam

ſalis,

ſalis, ac per deſtillationem tranſmitte totam ut ſuprà, atque hoc pacto reiterabis hoc opus deſtillationis quater: Singula deſtillatione adjungens illi aquæ unciam unam de dicto ſale. Tum demùm habebis mineralem aquam vegetatam atque acutam, cum augmentatione virtutis, & potentiæ proficiſcentis à dicto ſale vegetabili pretioſiſſimo, ſine quo nihil fit.

Ex Receptis annotamus,

1. *Menſtrua hujus generis eſſe menſtrua vegetabilia ſimplicia ſexti generis acidis diſſoluta. Deme aciditatem & erit iterum ſexti generis menſtruum.*

2. *Menſtrua hæc ex aqua forti confici melius, utpotè acido reliquis fortiori; fieri tamen etiam poſſe ex quovis alio minus forti, utpotè Aceto deſtillato, ſpiritu ſalis, ſulphuris, &c.*

3. *Menſtrua hæc inter mineralia ſimplicia eſſe optima; tam quoad conficiendi facilitatem quàm virtutis excellentiam.*

4. *Perinde eſſe, num metallum priùs diſſolvatur in communi aqua forti, poſteáque addatur ſal harmoniacum vegetabile: Vel ſal dictum priùs, & deinde metallum.*

5. *Haſce Aquas Regis differre à communibus, eò quòd promiſcuè metalla qualiacunque, tam argentum quàm aurum diſſolvant: Et eadem non in calcem ſed oleum redigant, quod de vulgari Aqua Regis dici non poteſt.*

6. *Metalla menſtruis hiſce diſſoluta & ſublimata fieri ſumma artis venena.*

XIX. Genus.

XIX. Genus.

Menstrua mineralia composita ex spiritu Vini philosophorum, & spiritibus acidis tingentibus, spiritu Vitrioli, Butyro Antimonii, &c.

94. Spiritus Vitrioli cum spiritu vini mixtus Lullii,

Epist. accurtatoria, pag. 327.

SPiritus Vitrioli est magis siccus & grossus quàm spiritus quintæ Essentiæ aquæ ardentis, & magna est concordantia inter spiritum Vitrioli & naturam Auri, quia ambo ex iisdem principiis cum mineralibus trahunt originem. Ideò spiritus Vitrioli conjunctus spiritui aquæ ardentis inspissat eum, & eum citò adhærere facit Auro, ut secum fixetur, & crede mihi quod hæc curtatio est præexcellens.

Annotationes.

INter menstrua mineralia simplicia & composita hanc notetis differentiam; simplicia dissolvunt tantùm; composita verò & dissolvunt & tingunt dissoluta. Rebus enim tingentibus mirum in modum exaltantur, & pluribus gradibus meliora fiunt, ita ut sint non sibi tantùm sed etiam aliis sufficientia; unde merito dicantur aquæ tam graduatæ quam graduatoriæ. De simplicibus modò egimus hactenus, in hoc decimo nono genere examinanda veniunt composita ex duobus spiritibus oleoso & Acido tingente, uti in recepto præscripto ex vini phil. & Vitrioli spiritibus invicem permixtis, & destillando bis vel ter intimè conjunctis. Præparatio

est

est levissima, in qua tamen unicum hoc ut observetis non abs re foret: Quod ambo spiritus sint absque phlegmate, optiméque rectificati juxta sequentis Anonymi monitum. Ex vino extrahitur oleitas urens, ergo participat cum sulphure, & huic inest verè maxima virtus naturæ metallicæ quam ex terra traxit & concepit. Et sicut illa oleitas velut isti spiritus agiliores sunt multùm quàm cæterarum rerum; ideò virtutes eorum sunt multùm agiliores quàm cæterorum. Sed tamen sciendum quod isti spiritus sicut *Textus Alchymiæ dicit*, & est veritas, qui veniunt ex vegetabilibus & animalibus rebus non conducant ad Alchymiam, existentes in natura vegetabili; sed requiritur ut per multiplicem depurationem & destillationem perveniant in naturam metallicam, & tandèm deserviunt ei. Ergo est tantùm unus lapis & unum fundamentum necessarium arti; videlicet virtus metallica, quamvis interdum recipiantur vegetabiles & animales res, tamen non remanent in natura vegetabili vel animali, sed transmutantur in naturam metallicam & sulphuream, quæ continet vim metallicam. Propterea dicebat *Ferrariensis cap.* 20. *suarum quæstionum*, impossibile est coagulare argentum vivum absque sulphure vel alia re, sulphuream naturam non habente, quia sulphur est coagulamentum argenti vivi, & si vino insunt sulphureitates, cum sit urens, igitur ipsi inest natura metallica. Propter hoc sunt aliqui laborantes in Vino & Auro vel Argento, sic ut ex vino trahant spiritum ejus agillimum, confortantes cum eo virtutem auri, ita ut spiritus cum illo figantur per quos consequentèr dilatatur & multiplicatur tinctura auri, & pro certo inter spiritus vini, & spiritus auri est maxima convenientia seu participatio, cum utrobique sint naturæ calidæ, igitur spiritus vini inseparabilitèr figuntur cum auro. Sed tamen notandum, quòd spiritus mediorum metallorum, scilicet vitrioli, &c. sunt grossioris fixationis, & majoris convenientiæ cum auro, cùm quasi ex uno oriantur, utpotè ex mineris metallorum, quàm spiritus vini qui veniunt ex vegetabili natura; quamvis spiritus vini sunt agiliores & subtiliores. Ideò aliqui componunt spiritus illorum, sic ut spiritus vitrioli conjungantur spiritibus vini, ità ut unum ingrossetur cum altero & sint auro unibiliores. Sed tamèn requiritur illi, qui in his vult laborare, ut recipiat spiritus fortissimos & res purissimas, sic ut spiritus antequàm cum auro vel argento figuntur optimè purificentur.

centur. *Anonym. de principiis naturæ & arte Alchym. pag. 30. Syntagm. Harmoniæ Rhenani.*

Non spiritus Vitrioli rectificatus tantùm, sed omnis acidus hîc prodest, modò sit tingens & commisceatur vini philosophici spiritui, ut ejusdem generis indè fiat menstruum. Ità conficitur

95. Butyrum Antimonii cum spiritu vini mixtum Basilii,

Pag. 88. *Currûs triumphalis Antim.*

℞. MErcurii vulgaris purissimè sublimati, antimonii, ana partes æquales, trita & mixta destilla per retortam, quæ spiritus retinet tribus vicibus; rectifica hoc oleum cum spitu vini (*phil.*) & est paratum, & sanguinei coloris, ab initio erat album, & coalescit sicut glacies aut butyrum fusum. Hoc oleum multa mira peregit quæ alioquin natura vix permitteret credi emendari posse, sed tamen semper virtus, facultas & operatio ejus apparuit ex malo faciens bonum.

Hoc compositum licèt à Basilio detur ut medicamentum, non ceu menstruum, attamen apud Paracelsum in libro de gradationibus ut tale describitur.

96. Aqua quartæ gradationis Paracelsi,

Libro de gradationibus, Pag. 131.

℞. ANtimonii libram unam, mercurii sublimati libram semis, destillentur ambo simul igne violento per alembicum, & ascendet rubedo quædam instar sanguinis spissa, quæ tingit & graduat unamquamque lunam in solem, & hunc pallidum ad supremum gradum coloris adducit permanentis.

Quamvis Paracelsus admonere discipulos suos de spiritu vini phil. additione in suis compositionibus non semper necesse duxerit; nihilominùs ego, nè erretis, necessariam hujus spiritus additionem in hoc menstruo vobis indicare debui, àbsque eo enim nullius esset momenti in Chymia secretiori, imò vobis in damnum cederet.

Aliquandò non ipso vini phil. spiritu, sed ejus materiâ, videlicèt oleoso quodam vegetabili, Adepti confecere hujus generis menstrua. Ita,

97. Aqua sextæ gradationis Paracelsi,

Libro de gradationibus, Pag. 132.

℞. SUlphuris vivi libras duas, olei lini libras quatuor; coquantur in compositum (*hepar sulphuris vulgo dictum*) quod in oleum destilletur (*singulari & philosophica quadam cheiragogiâ, ad confectionem spiritûs vini phil. pertinente;*) huic tantundèm iterum addatur vivi sulphuris, & coquatur ut priùs in compositum, ac in fimo equino digeratur per mensem, aut si diutiùs, meliùs.

Postmodùm addatur salis Nitri, Vitrioli, Aluminis (*ingredientia aqua fortis*) florum æris, croci martis, cinabaris (*ad augendum sulphuris tincturam*) ana vertonem semis, (einem halben viertling, *id est, quadrantem semis libræ sive uncias duas,*) destilla quicquid ascendere voluerit, & liquores amove, servatis oleis tantùm (*non oleo sed oleis, quia duo sunt album & rubeum*) quæ ponantur in vitream cucurbitam, additis speciebus ut suprà, & capite mortuo pulverisato, simúlque destilla rursùm ut priùs. Postmodùm reaffunde fæcibus, & putrificetur iterum per mensem, ac destilletur ampliùs. Evacuatis posteà coloribus aut separatis (*rubeum ab albo*) rubeum serva quod rectificabis ut oportet, in quo laminæ lunæ digerantur suo tempore, & tandem fulmine reducantur.

Aliquandò Paracelsus hoc oleum vel sulphuris ignem confecit per

per se absque rebus aliis tingentibus tam pro lapidibus pretiosis quàm metallis graduandis. Eò deventum est, *ait pag.* 200. *libro de sulph.*, ut spiritus transmutationis suum receptum dederit ex oleo lini & sulphure faciendi hepar aut pulmonem. Hujus pulmonis aut hepatis destillatio multiplex facta est. Operando autem compertum est, hepar hoc dare lac à communi lacte nihil differens, crassum & pingue. Dedit etiàm rubrum oleum instar sanguinis. Lac hoc & iste sanguis destillando suum colorem & Essentiam non confuderunt, sed discreta ac invicem separata manserunt, albo in fundum subsidente, & rubro in sublime ascendente. Ars verò instando tentavit ex albo seu lacte facere argentum, & ex rubro aurum. Mihi verò constat ex albo seu lacte (*sulphuris*) nunquàm aliquid fieri potuisse vel à veteribus vel junioribus. Dico ergò id lac esse mortuum nec in eo quicquàm contineri. De rubro autem oleo quod hepar dat, attendite, quilibet Cristallus aut Berillus priùs probè politus, &c. (*de hujus olei usu in lapidum pretiosorum gradationibus vide librum quartum*) usque adeò verò gemmas exaltat ut ad summum gradum perveniant, imò altiorem quàm à natura exaltari possint. Hic etiam nota quòd argentum omne si debito tempore impositum relinquatur tandem nigrescat, & calcem auream deponat; ante justum tamen tempus non fixam, sed volatilem & immaturam rem. Si verò terminum suum assequatur, expedienda omnia expedit, de quo plura hic dicenda non sunt. Sic ergò de sulphure notate, quòd si in gradus assumatur, quo subtilius, pulchrius, altius, & celerioris operationis est, eo altius id & majus sit. Hoc modo finguntur metalla & lapides. Id qui conaturus est non putet se posse, sed sciat. Ille enim labor in Alchymia omnium periculosissimus est, quoad operationem, adeóque insigni experientia opus est & iterata exercitatione: Nec ex auditu sed ex multiplici experientia procedi debet, &c.

In hac tamen duodecima Gradatione hujus olei viribus non contentus, istud rebus aliis tingentibus altiùs adhuc exaltare voluit, videlicet floribus æris & martis croco, per quæ non communia sed philosophica medicamina intellexit Paracelsus. Percepimus, *inquit, libro* 4. *Archid. de Essentiis pag.* 16. Æris viride quintam Essentiam veneris existimatam esse cùm non sit; sed crocus veneris est quinta Essentia sic intelligenda. Flos

æris est transmutatio (*vulgaris*) cum substantia crassa & subtili simùl, & ex omni complexione venerea extracta, quarè nulla quinta Essentia esse potest, sed crocus veneris, ut docuimus, est vera quinta Essentia, cùm sit potabile quid sine corrosione permixtionéque divisum à corpore, valdè subtile, magis etiam quàm in hoc loco scribere lubet, ad evitandam prolixitatem. Sic etiam crocus martis & ejus ferrugo pro quinta fuit Essentia hactenùs æstimata, cùm non sit; at (*verus*) crocus martis est oleum martis (*quod sub Essentiæ nomine aliquandò in forma sicca est, & crocus martis philosophicus dicitur libro secundo de medicamentis.*)

Ex Receptis observamus,

1. *Communem Vitrioli spiritum, Butyrum antimonii, arsenici, stanni, &c. spiritu vini phil. permixta esse spiritum Vitrioli phil. Butyrum antimonii philosophicum, &c.*

2. *Menstrua hujus generis eadem esse cum menstruis decimi quinti generis, tamen cum hoc discrimine, quod in isthoc Acetum philos. non tingens; in præsenti autem Acetum philos. tingens præparatur, eò quòd hæc ex spiritibus acidis rerum tingentium, id est, metallorum & mineralium; illa autèm ex spiritibus acidis rerum non tingentium, id est, salium vegetabilium & quorundam mineralium quorum aridum neque metallum fuit, neque corpus aliquòd coloratum, sint confecta.*

3. *Menstrua hæc non saltem esse aquas dissolventes, sed insimul gradatorias quia ex rebus tingentibus præparata.*

4. *Menstrua hæc esse rerum tingentium Essentias, vel magisteria acido dissoluta, adeòque medicamina.*

5. *Menstrua hæc confici etiam posse ex oleosis crudis, modò quis sciat modum præparandi spiritum vini phil.*

6. *Eadem duo sulphuris olea (quorum rubrum Essentia est per modum Paracelsicum, id est, optimum) quæ Paracelsus aquâ forti fortissimâ superiùs sub No. 91. descriptâ alibi præparat; hic ab eodem authore confici oleoso quodam crudo.*

7. *Vegetabilia & animalia quatenùs talia & cruda, non ingredi opera philosophica; sed quatenùs incombustibilia reddita & in naturam metallicam redacta.* Dictam separationem, *inquit Author viæ veritatis. pag. 253.* probè te observare oportet, ex illa

illa ſiquidem veteres ſapientes anſam & occaſionem ſumpſerunt, ut tres naturas (*tria regna*) utpotè vegetabiles, animales, & minerales inquiſiverint, & tantùm ex ea didicerint quòd naturarum ſeparatio nihil aliud ſit quàm coctionis in natura defectus. Illas deinde aliquantò altiùs perpenderunt, quomodò videlicèt iſtis Eſſentiis, quæ per naturam infirmiſſimè coctæ, per vulgarem ignem, modo naturali ſubveniri poſſit, ut Eſſentiæ quæ jam ſunt comburibiles, per liquores ſuos, (quos veteres ex invidia mercurium nominarunt) qui nigri ab Eſſentia ſeparantur, arte perfectæ reddi poſſint, adeò ut Eſſentiæ per liquorem à combuſtione tutæ, cuſtoditæque maneant, & liquor ſeſe ab Eſſentia non ſeparari queat. Illud veteres ſulphur noſtrum appellarunt, juxtà hancce namque præparationem Eſſentia non ampliùs vegetabilis neque animalis, ſed nunc coctione mineralis aliqua Eſſentia facta eſt, & ideò ſulphur dicitur. *Et poſteà pag.* 264. *ità pergit:* Una natura magis cum elementari ſuo igne per humiditatem ſuam cocta eſt quàm altera, ex quibus natura vegetabilis in coctione eſt minima, eò quòd illius Eſſentia facilè comburatur, & liquor etiam facillimè, vulgaris ignis beneficio, ab elementari igne ſeparetur. Natura animalis in coctione priori (*naturæ vegetabili*) non longè eſt diſſimilis, cum ejuſdem Eſſentia itidem facilè comburatur, ideòque natura mineralis in coctione ſuprema eſt, quod liquor metallicus magis meliúſque per coctionem cum elementari unitus fiet, quàm duæ ceteræ iſtæ anteà dictæ naturæ; quamobrem etiam metalla vulgari igni melius reſiſtunt, quàm res cæteræ quæ ſub vegetabili & animali natura comprehenſæ ſunt, quemadmodùm videre eſt, quòd in ignem poſita metalla, non iſtiuſmodi flammam quam ligna, edant, ejus enim Eſſentia non ita cum liquore, quemadmodùm metallica humiditas cum ſua Eſſentia, cocta eſt, & conjunctio liquoris cum Eſſentia non metallica eſt ſed ſimpliciter vegetabilis, quæ in fumo nigro conſumitur, exiſtit.

Poſtquàm verò Eſſentia per naturam in coctionem pervenerit, tunc non vegetabilis permanſit, ſed nunc metallica facta eſt, & nunc à vulgari igne in albo fumo conſumitur, non ſecus ac, utì vides, imperfecta metalla, quando in igne liquefaciuntur, fumum de ſe album ſpargunt. Jam mentis aures arrige, *admonet Chortalaſſeus ſive Author arcæ arcani artificioſiſſimi in cabalæ*

ſua

sua Chymica pag. 369. Volum. 6. Th. Chym. Quomodo sermones prædicti de vegetabilibus & animalibus accipiendi sint, neque hæc, neque illa rejicienda erunt, non enim alitèr inter se differunt, quàm quod in his vel in illis vapor iste purior est, & majori quantitati inest, impuriorem verò puro vapori similem facere potes. Nam per subtilem cheiragogiam eo redigendi sunt ut in aquoso corpore isti duo, animalis & vegetabilis scilicèt, unà cum minerali spiritu seu vapore capiantur, & postmodùm spiritus mineralis cum magna discretione à reliquis separetur. Qui licèt in parva quantitate se exhibeat, summæ tamen est virtutis & luce meridiana clarior. In hoc statu spiritus iste animalem & vegetabilem spiritum si volueris, eo adducet ut sibi similis sit futurus. Hoc scilicet totius artis fundamentum est ut spiritus vegetabilis vel animalis combustibilitatem suam derelinquat, & incorruptibilis atque immortalis fiat. Hæc clavis est ad reserandum omnes portas, hîc habes veram primam materiam gemmarum & metallorum. Hanc tamen rem, si recta via reputo, hæc non est materia prima, sed triplex extractio ex materiâ primâ Gemmarum, ideóque Deum in æternum laudare, eique gratias agere debes quod te hac re dignum fecerit, & tantùm intellectum tribuerit ut id quod est in terra profundissimum, in tuum usum adipisci possis. Ulteriùs pergo in hac materiâ primâ. Hanc si liquidam feceris & per incombustibilem spiritum vegetabilem (*non vulgarem*) recluseris, aurum, argentum, omnia mineralia, & gemmas in illa solvere, & instar glaciei in aquâ calidâ liquefacere destruere, mortificare & iterum renovare poteris. Hâc ratione inquam, astralem spiritum (quasi lucernam, in qua ignis æternus & virtus altissimæ stellæ æternæ sapientiæ habitat) visibilitèr nancisci, videre, tangere, & sentire; ignem dico inconsumptibilem, noctesque diesque lucentem, solem, lunam, stellas, carbunculos & omnis generis ignis splendorem superantem, oculis tuis conspicies, & totius firmamenti perfectionem in ipso observabis. O homo, mi creatura, quantùm donum divinum, quod id, quod supra omnes cœlos est, summe clarum, & in terra profundissimè existit, brevi horarum spatio adipisci potes, cum tamen longissimo tempore in eo sit occupata, & te propter subtilitatem longè est inferior, &c.

Idem Author de hâc primâ materiâ in Rustico suo pag. 308.

dicti

dicti Voluminis. Ita: Hæc doctrina notatu certè dignissima est: Multi enim insignes viri in hac re errant, putantes se materiam primam habere, cum mercurium philosophorum aut sal metallorum nacti sunt. Nam tùm demùm fit materia prima cum conjunctio viri & mulieris est facta, teste comite Bernhardo ubi dicit: Tum demum ista conjunctio dicitur materia prima & non priùs, lapidis videlicèt & omnium metallorum, de quo vide Turbam. Nam priusquam hoc fiat, ex naturæ fundamento & bonis rationibus, animalia & vegetabilia tanquam res extraneas, & operi nostro contrarias & inutiles meritò rejicimus, & lapidem nostrum rectè inter mineralia ponimus.

8. *Spiritus ambos esse cautè confundendos ob nimiæ effervescentiæ periculum.*

9. *Menstrua hæc digerendo fieri dulcia, & dici spiritus Vitrioli dulcis, Butyrum antimonii dulce, &c.*

10. *Aliquandò in menstruorum receptis non exprimi spiritum vini phil. hanc tamen subintelligi debere ex locis collateralibus patet, & necessitas postulat.*

XX. Genus.

XX. Genus.

Menstrua mineralia composita ex spiritu vini philos. & salibus aliisque rebus tingentibus, Vitriolo, Cinabari Antimonio, Lapide hæmatitide, &c.

98. Oleum Vitrioli Basilii,

Cap. 6. Sect. 2. libri de conclusionibus.

℞. VItriolum ungaricum; aquâ destillatâ solvitur, coagulatur, cristallisatur, repetitur quinquies & sic purgatur à salibus alumine & nitro; hoc vitriolum sic purgatum destilla cum spiritu vini (*philos.*) ad oleum rubrum, quod fermenta cum auro spirituali, adde illi partem suam mercurii vivi stibii & habes Tincturam pro homine, & reducentem lunam in solem. Visitando Interiora Terræ, Rectificandoque, Invenies Occultum Lapidem, Veram Medicinam.

Annotationes.

Genus antecedens continebat menstrua mineralia composita ex acidis spiritibus tincturam metallicam in se continentibus; in hoc præsenti horum spirituum utimur corporibus, ut gradu melius conficiamus menstrua. Tinctura enim exempli gratia ex Vitrioli arido vel corpore per vini phil. spiritum destillando extracta Essentia est, quæ in eadem destillatione proprio acido dissoluta menstruum producit hujus generis; cum in præcedenti tantillum istud cupri, in Vitrioli spiritu communi, dissoluti vel con-

contenti, ignisque violentiâ evecti, à vini phil. spiritu redigitur non in Essentiam sed magisterium, tam molis suæ quàm Tincturæ paucitate minùs præstans. Præsens Vitrioli oleum inter Arcana Basilii non infimum tenet locum, quare ejus clarissimam descriptionem paulò exactius perpendemus, ut luce ejus uberiori loca obscuriora illustremus. Imprimis Basilius Vitriolum Romanum variis solutionibus & coagulationibus purificare jubet; quæ purificatio necessaria est, ut Vitriolum à pulvere alieno, paleis, aliisque quisquiliis peregrinis separetur, attamen hanc superfluam esse æstimamus, quando Vitriolum sit purè cristallisatum, terrestreitas enim subsidens in Vitrioli dissolutione non fæces sunt, sed cuprum reliquo minùs dissolutum, & ab acido aqua comm. nimiùm diluto derelictum. Vitriolum purificatum cum vini spiritu in oleum rubrum destillare mandat.

Non Vitriolum naturale tantùm sed artificialia etiam ex metallis confecta in hujuscemodi redegit olea. Saccharum vel Vitriolum saturni unâ cum spiritu vini destillat in oleum rubrum sanans melancholiam, morbum Gallicum, &c. coagulans & figens mercurium, at cum mercurio martis fixatum tingens triginta partes mercurii in aurum. *Libro de Conclusion. Tract 2. Sect. 1. Cap. 1. de sulphure saturni. Eodem modo* ex Saccharo vel Vitriolo Jovis destillandum esse ait oleum rubrum dulce tingens saturnum in aurum. *Cap. sequent. quod repetit Sect. 2. Cap. 2. de vitriolis Saturni & Jovis.* Argentum vivum autem aqua forti solvit, & in cristallos vel vitriolum redactum cum spiritu vini priùs rectificato cum sale Tartari (*menstruo sub* No. 18. *descripto*) destillat in oleum dulce sanans luem Gallicam, vetera ulcera, paralysin, &c. adjungendum Tincturis martialibus in metallorum transmutationibus. *Sect. 2. Cap. 5. de vitriolo mercurii. Metalla fixiora* Aurum & Argentum Balneo Regis (*sub* No. 89.) destillat per alembicum, quæ menstruo abstracto redigit in vitriola volatilia, cum vini spiritu destillanda in olea. *Sect. 2. Cap. 1. de vitriolo solis & lunæ.* Metalla aridiora ferrum & cuprum in eadem olea destillare jubet, sed destillandi medium omittit. *Sect 1. Cap. 3. de sulphuribus martis & veneris, Sect. 2. Cap. 3. de vitriolo martis. Cap. 4. de vitriolo veneris; verum-enim-verò eà destillanda esse cum Aceto phil. sequens probabit menstrui Genus. Ex locis hisce invicem collatis de variis rebus certiores reddimur: Imprimis Vitrioli*

 oleum

oleum non commune aliquod esse vitrioli acidum ex vitriolo etiamsi exquisitissimè purificato prolectum, siquidem ex omnium metallorum vitriolis eodem vini spiritu eadem conficiantur olea. Deinde spiritum vini com. huic operi esse penitùs inutilem, sed per vini spiritum à Basilio intelligi philosophicum vel menstruum potiùs sub No. 18. *descriptum. Porrò Saturni & Jovis vitriola reddere olea dulcia, quoniam debili quodam acido utpotè aceto com. confecta, quod facilè alteratur vel transmutatur à menstruo hoc philosophico. Olea autem metallorum reliquorum acidis fortioribus seu aceto phil. seu menstruis mineralibus confecta remanere acida, præcipuè præsens vitrioli oleum, in cujus destillatione, vini phil. spiritus vel menstruum vegetabile ab acido naturali, vel communi oleo vitrioli dissolvitur, & in prævalenti aciditate ascendit in forma olei rubri. Tandem istud vitrioli oleum à Basilio nobis commendari ut menstruum quod fermentandum sit cum auro; quod præ cæteris observatum volumus: Multa enim egregia Basilius passim protulit in suis libris de vitrioli menstruo; rarissimè autem istud cum vini phil. spiritu destillandum esse monuit, absque quo tamen omnes processus & labores, omnia tentamina & experimenta in vitriolo vana sunt & nullius momenti in secretiori Chymia.*

Aliquando Adepti pro confectione hujus olei vitrioli istud solverunt in vini philos. spiritu, quod postmodùm cristallisatum dixêre vitriolum correctum vel graduatum. De hac vitrioli correctione vel gradatione Paracelsus ita: Descriptio Vitrioli, *inquit*, dirigenda est ad medicinam & Alchymiam. In medicina est remedium præstans. In Alchymia ad multa alia prodest. Ars autem medicinæ & Alchymiæ in præparatione consistit vitrioli. Crudum enim tale non est, id simile est ligno ex quo omnia sculpi possunt. *Libr. de vitriolo, pag.* 200. In initio, *pergit*, Vitrioli spiritus exceptus ad summum gradari solitus est, hoc exaltato caducum persanarunt, sive is recens sive antiquus esset, in viris & fœminis, cujuscunque conditionis essent, &c. sed recurramus ad principium quomodo spiritus vitrioli inventus fuerit. Spiritum vitrioli humidum initio per se à colcothare destillarunt, deinde gradum ejus intenderant per se destillando & circulando ad summum, sicut processus docet. Hoc modo cœpit aqua usurpari ad varios morbos tam internos quàm externos, velut etiam ad caducum, ità sanatio miraculosa

præ-

præstita est. Sed in extractione multò diligentiores fuerunt posteri, sumpserunt enim spiritum vitrioli ut suprà correctum & illum de colcothare destillarunt octies vel decies igne fortissimo. Ità spiritus sicci humidis permiscebantur. Opus urserunt tamdiù, donec spiritus sicci exirent continenter & jugiter extrahendo. Posteà utrumque spiritum tam humidum quàm siccum in phialam conceptum unà ad suum terminum gradarunt. Hanc medicinam adversùs morbos multò majoris operationis esse deprehenderunt, ut humoristas in universum omnes confunderent. Addita tamen est nonnulla correctio ab Artistis per vinum sublimatum melioris penetrationis ergô, sed ea majoris gradus reddita non est. Sed communicabo vobis processum meum quem universis medicis commendo, cum primis ob caducum, quæ solam in vitriolo curam habet. Qua causa & nos eò diligentiorem in morbo curam instituere charitas proximi requirit. Processus autem meus est ut spiritus vini (*phil.*) à vitriolo imbibatur & posteà destilletur ut dixi à siccis & humidis spiritibus, &c.

Porrò autem sciendum est, recepta prædicta de spiritu vitrioli humido faciendo clarius describi non posse. Requiritur enim ad intelligendum eum Artista. Sordidi illi coctores rem tanti momenti minimè intelligunt. Ab Artistis (*secretioris Chymiæ*) Alchymistisque laboratoribus sufficientem omnium informationem expectabitis, sic etiam de correctione spiritus vini ab iisdem pleniùs instruemini.

De tali graduato non communi Vitriolo loquutus fuit Basilius in sua Elucidat. 12. Clavium. Ubi sequens confecit menstruum.

99. Menstruum ex Vitriolo ungarico Basilii,

In Elucid. 12. Clavium.

SI tale altè graduatum & benè præparatum minerale obtinueris, Vitriolum appellatum, tum Deum de intelligentia & sapientia pro intentionis tuæ successu humillimè sollicita, &

cùm illud calcinaveris, immitte illud in retortam bene lutatam, destilla illud ab initio lento gradu, deinde ignem auge, & veniet spiritus albus Vitrioli in forma horridi fumi, vel venti, & intrat receptorium quamdiù aliquid ejusdem materia eidem inest. Et nota quod in hoc vento abscondita sint omnia tria principia, & conveniant ex ista habitatione; idcircò necesse est non semper in pretiosis rebus scrutari, quia hoc medio proprior via ad naturæ mysteria patet, & obvia existit omnibus ad percipiendam artem & sapientiam aptis. Jam si spiritum hunc expulsum bene ac purè separes ac liberes per modum destillationis à terrena humiditate sua, tunc in fundo vitri reperies thesaurum, & fundamenta omnium Philosophorum paucis hactenùs nota, quod est oleum rubrum tam ponderosum ac plumbum vel aurum, quodcunque esse poterit, tam spissum ac sanguis, ardentis ac igneæ qualitatis, quod est verum fluidum aurum Philosophorum quod natura congessit à tribus principiis, in quo inveniuntur spiritus, anima & corpus, & istud est aurum philosophicum excepto eo (*vini phil. spiritu*) quo ejus peragitur dissolutio, &c.

Vitriolo aliquandò addidêre Adepti cinabrium. Ità fit,

100. Menstruum minerale Isaaci,

Pag. 59. manus philos.

℞. VITRIOLI Romani calcinati ad rubedinem & Cinabrii ana; misce, his pulverisatis affunde Aquam vitæ, destilla & cohoba super caput mortuum ter vel quater.

Idem menstruum habet Lullius in magia naturali, sed loco capitis mortui in qualibet rectificatione recentes recipit species.

101. Men-

101. Menſtruum fætens ex vitriolo & cinabrio Lullii,

P. 371. Magiæ Naturalis.

POſt quartam deſtillationem aquæ ſupradictæ (*Aquæ vitæ ſive ardentis ex vino philoſophico*) ſepties deſtilla cum bono cinabrio & vitriolo in æquali pondere, ſemper in qualibet vice novas res imponendo, & in qualibet deſtillatione materiam lapidis (*Vitriolum & Cinabrium*) bene ſiccando, antequàm Aquam (*vitæ*) infundas, &c.

102. Idem Menſtruum fætens Lullii,

Epiſt. accurtatoria, Pag. 327.

DEſtillato lapide vegetabili (*menſtruo vegetabili ſive potiùs aqua ardente vel ſpiritu vini philoſophici*) uſque in eam deſtillationem quod tota aqua ſine phlegmate ſit, & hoc in quinta vice contingere ſolet. Tunc habeas vitrioli bene lucidi & optimi cinabrii in æquali pondere, & inſimul miſcendo optimè tere, & in ſole deſicca, donec tota aquoſitas exiverit. Tunc projice intùs Aquam tuam, & deſtilla lento igne in principio, & in fine forti, ut moris eſt in aqua philoſophorum acuta, & tunc ſpiritus quintæ Eſſentiæ vitrioli & cinabrii, quæ principaliter conſtituunt lapidem mineralem (*menſtruum mineraleſ*) miſceantur & conjungantur cum ſpiritu quintæ Eſſentiæ aquæ ardentis, qui ſpiritus eſt lapidis vegetabilis. Et hoc continua uſque ad decem vices, puta à quinta incipiendo (*quinquies poſt ſpiritùs vini phil. quintam rectificationem*) & ſic cum iſtis corporibus (*vitriolo & cinabrio*) continua deſtillationes quinquies. Et habeas in mente, quod res ſint optimè deſiccatæ & aridæ, antequàm in aquam projicias, ſic ut tota aqua (*totum phleg-*

phlegma) ſit exſiccata (*evaporata*) & ſpiritus remaneant, qui propter fortitudinem aquæ ardentis conjungantur; & in qualibet deſtillatione novas res imponere debes.

Vitriolo & Cinabari aliquandò addidit Nitrum; ità confecit quod dicitur,

103. Menſtruum fætens ex Vitriolo com. Cinabrio & Nitro Lullii,

In Clavicula, pag. 299. Vol. 3. Th. Chym.

℞. VItrioli Romani ad rubedinem calcinati libras tres, ſalis petræ libram unam, cinabrii uncias tres. Omnia ſimul terantur ſuper marmor, deinde imponantur in groſſo & forti metreto (*cucurbita*) & ponatur deſuper aqua vitæ rectificata ſepties, & ponatur in fimo equino per dies 15, vaſe bene ſigillato. Deinde ponatur ad deſtillandum igne lento uſque habeas totam aquam in receptorio, poſteà augeatur ignis uſque ad rubedinem cappæ (*alembici*) deinde fortificetur ignis uſque ad albedinem cappæ (*alembici*) poſteà refrigeſcat vas & auferatur receptorium & optimè ſigilletur cum cera, & ſervetur ad neceſſitatem. Nota quod menſtruum debet ſepties rectificari per deſtillationem, fæces ſemper abjiciendo antequam ponatur in opere.

Aliquandò præter ingredientia aquæ fortis & cinabrium addidit etiam tartarum calcinatum. Ita,

104. Menſtruum fætens ex Vitriolo, Nitro, Alumine Tartaro & Cinabari Lullii,

In Experimento XXVI.

℞. AQuam vitæ ardentem ita ut comburat lineum pannum, poſteà accipe Vitriolum remotum ab omni phlegmate, ita

ita ut super ignem bulliat sine liquefactione (*vitriolum communi more calcinatum*) salem nitri optimum, alumen rochæ dephlegmatum & desiccatum, omnium prædictorum libram unam, tartari albi calcinati, cinabrii, ana mediam libram; singula quæque conteras & transmitte per cribrum: Posteà commisce & pone in retortam & superinfunde Aquam vitæ prædictam, annecte receptaculum juncturis optimè clausis, luto priùs optimè desiccato. Receptorium debet esse magnum, ita ut sunt ea, quibus communiter destillantur aquæ fortes, luto autem desiccato, subministrabis ignem in principio levem, donec retorta calefiat, prosequere posteà destillationem hac mensura, ut inter stillantis aquæ guttam usque ad alteram quæ sequitur, interponantur decem prolationes nominum sive decem puncta. Cum autem tali gradu ignis non destillaverit ampliùs, augebis ignem, ita ut revertatur iterum destillatio ad eosdem decem, uti ab initio. Atque hunc gradum continuabis, quousque iterum crescet destillatio, ac ultimò de lignis augebis ignem, cooperiens undique retortam lateribus superiùs, ut reverberationis ignem habeat. Illud autem attende, quod ipsa retorta priùs debet undique forti luto communiri à principio, antequam hæc destillatio inchoetur, & cum sit destillatio, debet intrà furnellum collo aperto coaptari. Cæterum illud esset optimum & utilissimum in hoc opere, si receptaculum hujus aquæ destillantis aptaretur intra concham plenam aquâ frigidâ. Quod si fieri commodum non esset, saltem super recipientem iterum atque iterum panni linei aquâ madefacti sæpiùs ponantur, ut ipsum receptaculum violentiâ spirituum non frangatur, quæ omnia diligenter attende. Peracta destillatione frigescant vasa, & receptaculum cum aqua servabis firmiter occlusum. Posteà habeas eadem mineralia desiccata, & præparata ut suprà, eodem ordine & mensura, quæ contrita pone in retorta ut priùs, ac illi superfunde aquam paulò antè destillatam & protinus annecte receptaculum juncturis quàm optimè clausis ut suprà, & luto priùs desiccato subministrabis ignem, completà destillatione iterum accipe eodem pondere nova materialia, ac iterum cum sua aqua intra retortam collocabis & destillabis ut suprà iisdem gradibus ignis. Quibus peractis frigefacto vase amove recipientem, ac cum suâ aquâ destillatâ firmiter clausum diligentissimè servabis. Habebis enim aquam mineralem physicam,

sive

ſive menſtruum fætens cum ſua forma. Hæc aqua poteſtatem habet calcinandi, ac eodem tempore ſolvendi omnia metalla cum conſervatione formæ vegetativæ. Hac nos plura experimenta vidimus & fecimus.

Iſaacus Hollandus ut augmentaret horum menſtruorum vires, vitriolo addere maluit mineralia quædam tingentia quàm acidum Nitri & Aluminis. Ità præparavit menſtruum à nobis dictum,

105. Aqua ſolvens ad rubeum primæ deſcriptionis Iſaaci,

Cap. X. 3. oper. min.

℞. VItrioli Romani partes ſex, Lapidis hæmatitidis, Croci martis, Cinabaris, Æris uſti, Antimonii mineralis ana partem unam; ſiccata bene miſce, & ſuperpoſitis in retorta affunde libras quatuor aquæ vitæ rectificatæ; deſtilla, & deſuper caput mortuum pulveriſatum cohoba ter.

Menſtruum hoc eſſe ſanguinei coloris, ſequens huic ſimile menſtruum probat.

106. Aqua ſolvens ad rubeum ſecundæ deſcriptionis Iſaaci,

Cap. XLV. 3. Oper. miner.

℞. ANtimonii mineralis, Æris uſti, Croci martis, Cinabaris, ana partes duas, Vitrioli ad pondus omnium, omnibus bene exſiccatis & permixtis affunde aquæ vitæ optimè rectificatæ ad eminentiam duarum palmarum, vaſe optimè clauſo digere in balneo per 10 dies, quotidiè movendo materiam ter vel quater, ut materia aquæ vitæ eò melius incorporetur, finitis his 10 diebus, & appoſito alembico deſtilla leni igne, ſed tandem per 12 horas igne fortiſſimo, ut omnes ſpiritus tincti cum

cum aqua vitæ aſcendere poſſint. Hunc laborem toties repete ſemper deſtillando Aquam cum recentibus materiis donec ſanguinis inſtar rubefacta fuerit.

His duobus addemus etiam tertium hujus ſpeciei menſtruum.

107. Aqua ſolvens ad rubeum tertiæ deſcriptionis Iſaaci,

Cap. LXI. 3. Oper. min.

℞. VItrioli Romani, Cinabaris, ana partem unam, Croci martis, Lapidis hæmatitidis, Æris uſti, Viridis Æris ana partem mediam, Vitriolum priùs calcina. Si velis extrahe cum aceto (*philoſophico*) tincturam ex Antimonio minerali, quam ab aceto ſeparatam ſpeciebus ſuperioribus adde, ut & aquæ vitæ duodecies rectificatæ quantum ſufficit; vaſe optimè clauſo in balneo digere per ſeptem vel octo dies, tum appoſito alembico, & juncturis bene lutatis deſtilla leni igne per duos dies, deinde fortiori per duos alios, tum ut vitrum candeat per tres dies, frigefactis vitris exime caput mortuum, quod bene pulveriſatum digere cum aqua deſtillata per octiduum, tum deſtilla primo die leniter, ſecundo fortiùs, tertio fortiſſimè ut candeat per viginti quatuor horas; tunc ſine ut frigeſcat, Aquam deſtillatam cum novis materiis digere & deſtilla ut ſuprà, idque ter repetendum.

Et utì hæc menſtrua fuêre pro tincturis rubris, ità etiam quædam compoſuit pro tincturis albis. Sic

108. Aqua ſolvens ad album Iſaaci,

Cap. LXXVI. 3. Oper. min.

℞. ALuminis rochæ, Lapidis calaminaris, Calcis Ovorum, ana; affunde aquæ vitæ ab omni phlegmate

rectificatæ quantum sufficit, & destilla, uti aqua solvens ad rubeum.

109. Alia aqua solvens ad album Isaaci,

Cap. XLVIII. 3. Oper. min.

℞. ALuminis rochæ, Lapidis calam. Calcis ovorum, Arsenici communis, ana, omnia pulverisata misce, & pulveri affunde aquæ vitæ bene rectificatæ ut trium palmarum spatio superemineat materiæ, destilla lento igne, deinde fortiore, tandem ut candeat per viginti quatuor horas, destillatum cohoba adhuc quater super caput mortuum pulverisatum.

Varia ejusmodi menstrua nobis passim occurrunt apud Isaacum in quorum descriptionibus etiamsi non semper exprimatur additio aquæ vitæ sive spiritus vini philosophici, hæc tamen in omnibus hisce subintelligenda esse ex superioribus Aquarum solventium patet receptis. Exempla sunto menstrua sequentia, imprimis quod dicitur

110. Aqua rubra interdiu ac noctu lucens primæ descriptionis Isaaci,

Cap. CLIII. Lib. 2. Oper. min. Pag. 528. Vol. 3. Th. Chym.

℞. CRocum martis, Antimonium ut ex mineris eruitur Arsenicum rubrum, singulorum libram unam, Auripigmenti libram unam, Vitrioli Romani libras tres, salis nitri quantum est pondus reliquorum omnium. Contunde omnia simul in pulverem impalpabilem. His libram unam salis armoniaci immisce, cumque probè permistum fuerit, inde vasi terreo, quod ignem facilè ferre possit, nec intùs vitrificatum sit. Et alembicum superimpone ac firmiter luta, & recep-

taculo

taculo addito aquam fortem ut oportet destilla, primùm igne pusillo, deinde augendo ipsum per gradus, & aqua alba destillabit, quæ ubi destillarit, alembicus rubere incipiet aut croceus fieri. Tum receptaculum citò aufer, ac aliud adde, ac solidè luto operi, & ignem tuum auge donec spiritus albus transeat; is est sal armoniacum quod ultimum omnium transit, ac tamdiù ignem strue donec alembicus omninò lucidus fiat. Cum jam ruber spiritus transit, nihil (*salis armoniaci*) cum eo transit, ac simulatque transierit (*aqua alba*) spiritus atque aqua (*sicca sive sal armoniacum*) simul transeunt, tum alembicus intùs albus fit, quasi nive plenus esset, & tum ignem strue tamdiù donec spiritus & aqua exhalatione per rostrum educta sunt, quemadmodum homo vi halitum exhalat; ità spiritus & aqua sicca per fistulam expirant alembici in receptaculum ac ignem augent. Cumque spiritus & aqua sicca transiêre, alembicus fit mundus, clarus & albus, ac pellucidus. Tum sinas frigefieri & remove ab igne atque aquam vitro inde, ac arctè obtura. Sume caput mortuum & tenuissimè in pulverem contunde, & in aqua munda clara pone ad horas duas; sine subsidere, ac clarum supernè diffunde, & denuò aquam mundam claram superfunde ut priùs, & sine etiamnum per horam bulliat, ut priùs. Tum sine denuò subsidere; & rursum priori adde, tum fæces abjice, atque id quod effudisti (*solutum*) evapora, & pulvis croceus tibi remanebit; eum pondera, & tum tantundem salnitri adde & inter se misce, ollæ vitreæ inde, atque aquam tuam destillatam (*sive menstruum*) superfunde & alembicum superimpone, & solidè luto operi, & receptaculo addito per tres dies super fornacem relinquito (*ad digerendum*) antequam ignem subjicias, tum ignem tuum accende, ac primum igni pusillo destilla, & post interdum auctiore, donec spiritus albus transierit; tum desine, atque Aquam rubram habes interdiù ac noctu lucentem, quæ lunam fixam solvit, sicut luna solvi solet, & tincturam assumet perindè ac sol mundissimus, qui unquam visus sit, imò omnia metalla alba colore solis tingit.

111. Aqua rubra noctu lumen emittens secundæ descriptionis Isaaci,

Cap.XLIV. Oper.min. Pag.458. Vol.3. Th.Chym.

℞. VItrioli Romani libras tres, Cinnabaris, viridis æris, Cerussæ, ana libram semis, croci ferri, lapidis hæmatitidis uncias quatuor, sal nitri tantum, quantus est cumulus totus (*libras quinque*) pulverisa & probè inter se permisce, divide cumulum in tres partes, atque ex una parte fac aquam fortem, quam super pulverem alterius partis fundes, destilla iterum aquam fortem, eam super tertium pulverem funde, & Aquam illam fortem superdestillato, quo facto omnia tria capita mortua pulverisa.

℞. Aquam salis armoniaci, quam infrà te docebo conficere (*nos autem modò dedimus sub* No. 81.) qua tam subtiliter prædictum pulverem contere, ut eò pictor pingere queat: Tum siccandum in tua stupha sicca pone, siccescere sine in patinis vitreis, siccatum contere siccè super lapide, & ollæ vitreæ indito, atque Aquam fortem (*superiùs destillatam*) superfundito, destilla primum igni lento 24 horas, tum auge adhuc (*ignem*) per 24 horas, tum etiamnum augeas donec candere incipiat, his elapsis in eodem candore etiamnum ad horas sex, post sinas refrigescere, ab igne removeas, receptaculum probè obturans. Tum caput mortuum pulverisa, & contere super lapide cum aceto destillato, & educito sal aut elementum terræ ex fæcibus; sal ollæ vitreæ indito, aquam tuam fortem superfunde, alembico & receptaculo probè operto, vitrum in arena pone in cacabo cum aqua (*balneo*) destillato quicquid destillare vult, cum ampliùs non destillat, sinas balneum bullire diem & noctem sive stillet sive non: Tum sinas refrigescere, removeas ab igne, ponas in cineribus, adhibe primum ignem pusillum ad horas 12., tum ignem adhuc auge horas 12, post sinas modicè candere, atque ità ad sex horas finito; deinde refrigescat, remove ab igne, ac probè operi, & sumptis fæcibus aut sale, contere ea minutim cum aceto destillato, inde amphoræ

amphoræ lapideæ, & bona parte destillati superfusa, pone in balneo, ita faciens ut suprà doctum est, vide ac adhuc fæces habeat, & sal clarum facito; ollæ vitreæ rursum inde, iterum aquam superfunde, facito modis omnibus ut suprà, ter quaterve, atque omnis materia tua aut terra cum aqua forti destillabit; tum ab igni remove, probè obtura, & benè serva. aquam enim pretiosam habes præ omnibus aquis de quibus unquam audivi. Ac mihi crede bona fide, de hac aqua mira vidi, atque etiam ipse mira feci. Hanc Aquam ad rubrum lapidem cristallinum reduxi, qui noctu lumen emitteret, ut frequentes convivæ convivium eo peragerent. Serva bene ad usum, & pro secretissima aqua omnium quas habes, habeto.

Methodus conficiendi ejuscemodi menstrua lucentia magis concinnè perspicitur ex sequenti aqua.

112. Aqua fortis rubra & lucens tertiæ descriptionis Isaaci,

Cap.LXXII. 1.Oper.min. Pag.354. Vol.3. Th.Chym.

℞. VItrioli clarificati, & à fæcibus purificati, sal nitri, ana. Ex his Aquam fortem destilla secundum artem. Tunc caput mortuum ex olla vitrea sume, & tenuiter pulverisa, tum contere super lapide, tum in aqua communi destillata impone, atque omne sal extrahi sinito, tum per filtrum deprome, ut mundum à fæcibus habeas; congela denuò, cumque congelatum est, pulverem impalpabilem inde confice, eumque pulverem ollæ vitreæ immitte, atque ibi aquam illam fortem denuò super pulverem funde quam inde destillasti, ac pone iterum destillandum, & destilla quicquid destillare vult. Tum caput mortuum iterum exime, atque in pulverem contunde, ut priùs, ac modis omnibus ut suprà facito. Hocque opus itera tamdiù, donec sal omne cum aqua forti omninò destillaveris. Tum Aquam præstantem habes rubram lucentem de nocte instar ignis lucidi. Tum Aquam illam sumptam in balneo rectifica, identidem destillando ac denuò superinfundendo, ita ut ad extremum omne destillatum ex balneo habeas. Tum aqua tua pre-

pretiosa præparata est in qua lapidem tuum (*philosophorum*) multiplicabis & aperies.

Quoad ingredientia ut & præparandi methodum menstrua hæc à superioribus Isaaci parum differunt imò ferè eadem sunt, verum spiritus vini phil. quem in illis aquis solventibus addere jussit Isaacus, in his suis aquis fortibus ut addatur, de necessitate subintelligi debet. Nam absque hoc spiritu hæ aquæ omnes communes essent nullius valoris & usus.

Ex Receptis observamus,

1. *Corpora tingentia qualiacunque acido vel naturaliter vel artificialiter dissoluta & in sal sive vitriolum redacta, mediante vini phil. spiritu præbere menstrua præsentia, duplici hac methodo: Vel repetità cohobatione, vel simplici destillatione; verùm necessum est in hoc posteriori modo, ut corporum dictorum salia vel vitriola graduentur priùs, id est, per varias dissolutiones & coagulationes conjungantur spiritui vini philos. posteàque destillentur, ubi cavendum est, ne in hac vitrioli gradatione acidum, laboribus minùs necessariis, magis quàm convenit debilitetur, nam ita facilè loco hujus generis, menstrua octavi generis inexpectatò præparabitis.*

2. *Menstrua hæc differe ab octavi generis menstruis in eo quod acida sint, illa vero dulcia. Dissolve menstruum vegetabile compositum octavi generis in aceto destillato, spiritu sulphuris, aqua forti com. &c. & ex tempore habebitis menstruum hujus generis; vice versa, debilitate horum menstruorum aciditatem, & transmutabuntur in menstrua octavi generis.*

3. *Menstrua hæc rerum tingentium esse Essentias acido dissolutas.*

4. *Vitriolum ungaricum (cuprum acido naturaliter dissolutum) utut artificialiter purgatum à peregrinis salibus & fæcibus, egere nihilominùs, reliquorum tingentium instar, vini phil. spiritu, ut reducatur in oleum adeò excellens tam in rebus medicis quàm alchymicis.*

6. *Perinde esse quocunque etiam acido redigatur cuprum vel aliud corpus tingens in vitriolum, modò posteà graduetur, id est, vini philos. spiritui commisceatur. Hinc semel pro semper admonendi estis, ut non solummodo in Basilii, Paracelsi, sed alio-*

rum

rum adeptorum etiam scriptis, uti in Via veritatis, &c. in quibus passim vobis occurrent hæ phrasiologiæ, Res graduatæ, correctæ, exaltatæ, *&c. intelligatis non communia, sed vini phil. spiritu præparata & pro operibus secretioris chymiæ idonea reddita.*

6. *Vitriolum Romanum non spiritu vini com. sed philosophici redigi in oleum tam nobile.*

7. *Menstrua hæc continuatis cohobationibus fieri rubicundissima, noctu lucentia adeò ut cænantes non indigeant aliquo alio lumine, permanentia, & lapidem philosophorum multiplicantia, sed de his, suis locis, videlicet, tertio & quarto libris.*

XXI. Genus.

XXI. Genus.

Menstrua mineralia composita ex Menstruis mineralibus simplicibus & Mercurio, reliquis metallis, aliisque rebus tingentibus.

113. Spiritus Veneris sive spiritus ex viridi Æris Basilii,
Libr. Partic. de Particul. Veneris.

℞. CUpri quantum vis, ex quo fac vitriolum more solito, sive ejus loco sume viride Æris commune in Officinis prostans quod idem præstabit. Cui pulverisato affunde acetum destillatum (*commune*) pone in calore, acetum transparens & viride decanta, residuo affunde novum acetum, reiteraque opus usque quo tingatur acetum, & materia in vasis fundo remaneat nigra. Acetum tinctum & collectum abstrahe vel ad siccitatem, vel ad cuticulam ut cristallisetur Vitriolum, & habebis viride æris purificatum (*communi more*) cui pulverisato affunde succum uvarum immaturarum (*Acetum philosophicum sub* No. 74.) pone in calore leni, & digerendo transparentem habebis tincturam smaragdinam ex qua extrahitur tinctura rubra Veneris, pigmentum excellens pro pictoribus. Tincturâ hâc extractâ, omnes extractiones commisce, & abstrahe leniter phlegma, ut in loco frigido cristallisetur Vitriolum valdè pulchrum (*graduatum*) cujus si habueris sufficientem quantitatem, habes etiam satis materiæ pro lapidis philosophici confectione; si dubitares forsitan tale mysterium perficere ex quocunque vitriolo (*naturali.*) De hoc præparatione modò locutus sui parabolicè libro Clavium,

Clavium, capite de Wein Essig, ubi dixeram: Commune Azoth non esse lapidis nostri materiam, sed Azoth nostrum seu materiam primam extractam per commune Azoth & Vinum, quæ sunt succus uvarum immaturarum expressus, quo Veneris corpus dissolvendum & in Vitriolum reducendum est, hoc est, ut benè observetis, ita enim vosmet ipsos à multis difficultatibus eximetis. Jam ex hoc Vitriolo ita præparato destilla spiritum & oleum rubrum, &c.

Annotationes.

IN genere octavo Mercurius vulgi & metalla vel per Vini phil. spiritum, vel per menstruum aliquod vegetabile simplex, evecta fuere in menstrua vegetabilia composita. In genere antecedente vicesimo, Arida tingentia Acidis dissoluta facilius destillantur una cum vini phil. spiritu in menstrua mineralia composita.

Præsens autem genus corpora dicta non vini phil. spiritu sed menstruis mineralibus, volatilisat ut menstrua inde fiant citius & leviori opera & altioris generis. In genere proximè antecedenti vitriolum naturale vini phil. spiritu maceratum, vel quod multò conducibilius est, eodem spiritu dissolutum, & in vitriolum graduatum redactum, destillavimus in menstruum minerale. Naturalis enim vitrioli romani aciditas ad cupri corrosionem in sui compositione non solum potis, sed satis fortis etiam fuit ad dissolvendum vini phil. spiritum in dicti menstrui confectione; hic autem aliter se res habet in vitriolis artificialibus; arida enim metallorum corpora in suis dissolutionibus coagendo debilitant acidum, hinc vitriola debilitatam hanc continentia aciditatem, haud idonea sunt tam pro vini phil. spiritus dissolutione, quàm menstrui præsentis constitutione. Ideoque Saturni & Jovis vitriola communi acido confecta, mediante vini phil. spiritu reddunt olea dulcia sive menstrua vegetabilia, minimè acida, sive mineralia; debile enim istud acidum in vitriolificatione mollium horum metallorum superstes, transmutatur penitus in vini phil. spiritus dissolutione, ut & in ipsa sui ipsius destillatione, ideò Vitriolum ex cupro & chalybe acidis arte confectum, non vini phil. spiritu, sed menstruis mineralibus destillatur in menstruum præsentis generis. Aurum autem & Argentum non solummodò

mineralibus sive fortioribus hisce indigent menstruis, sed ut eisdem volatilisentur itidem & reducantur in Vitriola volatilia.

Ita Basilius Aurum & Argentum redegit in vitriolum volatile in Conclusionibus suis Sect. 2. de Vitriolis, Cap. 1. de Vitriolo solis & lunæ. Primo, *inquit*, oportet habere aquam nostram ex frigido sale terræ (*Nitro*) & Aquila (*sale harmoniaco vegetabili*) cum qua aurum & argentum fiunt spiritualia & in cristallum coagulantur seu vitriolum metallicum, ex quo, &c. *In labore primo libri Revelationis, ut & in Elucidatione 12. Clavium hoc solis Vitriolum exactius ità describitur.* ℞. *inquit*, hujus aquæ (*Balnei Regis sive menstrui superiùs sub* No. 89. *descripti*) partes tres, Calcis auri partem unam, misce in cucurbita pone cum alembico super cineres calidos, solvetur, & si non solvatur totum, effusâ aquâ affunde novam, & hoc donec omnis calx soluta sit in aqua; cum refrixerit subsident fæces albæ in fundo, quas separa, aquam omnem conjunge, & in B. per diem & noctem digere; fæcibus denuò remotis per novem dies continuò digere, destilla aquam ut materia remaneat in fundo oleo similis, aquam inde destillatam denuò affunde calefactam, destilla ut priùs, affunde denuò, destilla, & hoc reitera aliquoties, ità debilitabitur (*menstruum*) deinde materiæ oleo simili affunde aquam novam, digere die & nocte, destilla per arenam usque ad oleum, aquam calefactam denuò affunde, destilla, & hoc toties donec omne aurum per alembicum transiverit; fieri autem debet destillatio hæc in cucurbita humili, fundo plano. Aquam auream quæ transiit, pone in loco frigido & cum tempore cristalli coagulabuntur, separa aquam ab iis.

Guido auri Vitriolum volatile confecit ex auro sublimato. Aurum sublimavit hoc modo: ℞. Auri calcinati duodecies cum tribus partibus Cinabaris, vel auri foliati uncias quatuor, olei salis (*menstrui sub* No. 76. *descripti*) uncias duodecim, solve in cineribus, abstrahe inde aliquoties oleum salis, putrefac per mensem, destilla posteà, & sublimabitur omne aurum rubicundi coloris in decima vel duodecima sublimatione; Sed si noluerit sublimari, conjunge omnia, & ex balneo abstrahe phlegma, residuo adde olei Tartari per deliquium uncias quatuor per vices, & fortiori igne urge, & aurum ascendet rubicundum cum menstruo, & præcipitabitur in ejus fundo, Aquam ab

ab auro decanta, quo desuper octies vel novies combure vini (*communis*) rectificatum spiritum ad tollendam omnem olei salis aciditatem, *pag.* 11. *Thesaur. Chym. Ex auro ita sublimato sequenti methodo præparavit Vitriolum graduatum solis.*

℞. Auri sublimati uncias quatuor & semis, affunde Acetum radicale (*cum spiritu vini mixtum*) ad trium digitorum eminentiam, digere per tres dies in balneo, decanta acetum, & recens reaffunde usque omne fuerit dissolutum, quod in B. abstrahe ad liquorem, sed cavendum ne nimium; pone in cella frigida, & cristallisabitur Vitriolum auri in colore rubini vel granati juxta operationis methodum magis vel minùs pulchrum, à quo decanta liquorem denuò ad cuticulam abstrahendum, usque dum habueris vitrioli uncias quinque. *Pag.* 19. *Thesaur. Chym. Eodem modo etiam præparavit* lunæ vitriolum graduatum, *pag.* 31. *ut* & Martis, *pag.* 36. Jovem *vero pag.* 42. Venerem *pag.* 45. & Saturnum *pag.* 49. *calcinavit tantum, & cum Aceto prædicto in graduata redegit Vitriola, ex quibus omnibus vitriolis per modum spiritus Veneris Basilii menstrua hujus generis destillari possunt.*

Isaacus spiritum Saturni ex Vitriolo graduato plumbi via destillavit.

114. Aqua Paradisi Isaaci,

In Opere Saturni.

℞. SAturni libras decem aut quindecim, cui non sit admixtum aliud metallum, lamina tenuiter, & habe amphoram semiplenam aceto, luta, pone in balneo tepido, & singulo triduo aut quatriduo abrade saturnum calcinatum à laminis, collige ad quinque aut sex libras, tere hunc saturnum calcinatum (*cerussam*) cum aceto destillato (*philosophico*) super marmor ut cum penicillo picturæ possit servire, accipe porrò urceum lapideum, & in eo affunde saturno calcinato acetum destillatum, relicta tertia parte urcei vacua, permisce optimè, obtura cum operculo vitreo aut lapideo, pone in balneo, rudicula aut cochleari ligneo quinquies aut sexies die move, ob-

tura rurſus, neque caleſac balneum magis quàm ut manum in eò pati poſſis; ſtet ſic 14 diebus, & noctibus, tum ſefunde clarum, & affunde acetum novum calci nondum ſolutæ; miſce, procede ut priùs, fac toties donec omnis calx ſaturni ſoluta ſit, ſaturnum ſic ſolutum pone in balneo, evapora acetum lento igne, ſaturnus in maſſam redigetur, quam move donec ſicca fiat; erit coloris mellei, tere eam ſuper marmor cum aceto deſtillato, ſaponis inſtar, repone in urceo lapideo optimè mixta in balneo tepido per quinque aut ſex dies, move ſingulis diebus rudicula lignea, operi vitrum, ſine refrigeſcere, ſefunde quod ſolutum eſt in urceum alium lapideum magnum, affunde aliud acetum, miſce optimè, pone denuò in balneum, ſefunde & ſic procede donec nihil ampliùs ſolvatur, quod linguâ experieris, ſi enim dulce ſit acetum, non eſt ſatis ſolutum, aut pone aliquantum in cucurbita vitrea, & ſine evaporare; ſi aliquid remaneat, non totum quod aurum fieri vult ſolutum eſt, & quod in urceo remanet, ſeu fæces, ſi ſint dulces in lingua, & adhuc aliquid in cucurbita reperias quod non ſatis ſolutum eſt potes novo aceto affuſo ſolvere. Coagula has ſolutiones ut priùs; ſolve aceto deſtillato ut priùs; has coagulationes & ſolutiones continua donec nullæ ampliùs fæces in fundo remaneant ſed omnia ſolvantur in aquam claram & limpidam, tunc ſaturnus liber eſt ab omni ſua lepra, melancholia, fæcibus, nigredine, additamentóque, & eſt purus, niveúſque quia ab omnibus *ſordibus purus eſt*, fuſibilis ut cera, & dulcis ut ſaccharum, &c.

℞. Medietatem ſaturni purgati, hanc pone in urceo lapideo & affunde ei quatuor libras aceti deſtillati, impoſito alembico deſtilla acetum in balneo, debet autem alembicus in ſummitate habere foramen per quod affunde acetum recens, deſtilla ut priùs; affunde novum & abſtrahe, & hoc donec acetum æquè forte abſtrahatur ac affunditur, tunc ſufficit, quia materia imbibit tantum ſpirituum Aceti quantum opus ei, & quintum retinere poteſt. Exime urceum igni, demptóque alembico pone materiam in vitrum quod ignem ferre poſſit, adde ei alembicum, pone in capella cum cineribus in furno, fac primo ignem lentum, auge paulatim donec materia tua tranſeat ſanguinis colore & olei craſſitudine, ſacchari dulcedine & cœleſti odore; conſerva calorem dum deſtillat, ſi ceſſet, auge ignem donec vitrum candeſcere

descere incipiat, conserva in hoc calore donec nihil ampliùs destillet; sine refrigescat per se, deme recipientem, & optimè cum cera obtura, materiam (*caput mortuum*) tunde in mortario ferreo, cum pistillo chalybeo, & deinde tere super marmor cum aceto destillato (*Aceto cum spiritu vini phil. mixto*) pone in urceo lapideo ut duæ partes plenæ sint, destilla per balneum, affunde novum acetum, destilla ut priùs, itera donec acetum destillet eadem fortitudine qua affusum fuit. Refrigescant, materiam in vitro forti super cineres in capella destilla ut priùs, primo igne lento, deinde fortiori ut priùs fecisti, exibit oleum rubrum ut priùs, &c. materiam tunde, & procede denuò donec in destillatione in balneo, materia non ampliùs secum retineat spiritum aceti; tum accipe materiam, in cucurbita vitrea destilla ex cineribus quod destillare vult, donec materiam in oleum rubrum destillaveris quæ est aqua Paradisi nobilissima ut illa lapides omnes fixi perfundantur & lapis perficiatur. Hanc Aquam Paradisi vocarunt antiqui Acetum suum acre, clarum, &c.

Metalla aliquandò non rediguntur in Vitriola graduata; sed repetita cohobatione fiunt hujus generis menstrua. Ità fit.

115. Acetum mercuriale Trismosini,

Libro Moratosan sive octo Tincturarum in secunda Tinct. Pag. 79. Aur. Vell. Germ.

℞. ARgentum vivum purgatum more communi, & pone in alembico, cui affunde Acetum vini valdè acre (*Acetum cum spiritu vini phil. mixtum superiùs sub* No. 72. *descriptum*) ad unciam mercurii, uncias tres aceti, sexies abstrahe in balneo, tandem fortiter urge ut ascendat in recipiens, destillatum rectifica & erit paratum.

Aliquandò loco Aceti phil. usus fuit aquâ forti fortissimâ sub No. 73. *descripta.*

116. Aqua

116. Aqua mercurialis Trismosini,

Libr. octo Tinctur. in Tinct. quarta, pag. 80. Aurei. Vell. Germ.

℞. VItrioli Romani, salis nitri ana libram unam & semis, salis armoniaci (*vegetabilis*) uncias quatuor, laterum pulverisatorum libram unam, ex quibus destilla aquam fortem lege artis. ℞. Mercurii sublimati veneti (à cujus fumo venenoso ut tibi caveas necessum est) uncias quatuor, cui in cucurbita posito affunde dictam aquam fortem, abstrahe fortiter ut mercurius benè commisceatur aquæ forti, & erit parata.

Albertus Magnus eandem aquam mercurialem præparavit hoc modo:

117. Aqua mercurialis Alberti Magni,

Libro compositum de compositis, Cap. 5. Pag. 937. Vol. 4. Th. Chym.

℞. VITRIOLI Romani libras duas, salis nitri libras duas, Aluminis calcinati libram unam. His simul benè contusis & benè mixtis ponatur in phialam aptam vitreatam, & destilletur aqua (*fortis*) more communi, clausuris valdè benè claudendis, ne spiritus possint evaporari, primò igne leni, secundò fortiori, tertiò cum lignis, ut omnes spiritus exeant & alembicus realbescat, tunc cessa cum igne, & fac furnum infrigidari, & aquam istam serva diligenter, quia est dissolutiva lunæ, idcircò serva eam ad complementum operis, quia illa aqua lunam dissolvit, Aurum ab Argento separat, mercurium & crocum martis calcinat, &c. Hæc est aqua prima philosophica (*communis aqua fortis*) & habet unum in se gradum perfectionis.

℞. Aquæ

℞. Aquæ primæ libram unam & diſſolve in ea uncias duas ſalis armoniaci puri & clari (*vegetabilis*) quo diſſoluto ſtatim aqua aliter eſt qualificata, & aliter colorata, quia prima fuit viridis coloris & diſſolutiva lunæ, & non ſolis, & ſtatim poſt impoſitionem ſalis armoniaci vertitur color ejus in citrinum, & diſſolvit aurum, mercurium, & ſulphur ſublimatum & tingit pellem hominis citriniſſimo colore, ſerva aquam illam (*Regis philoſophicam*) ad partem.

℞. Aquæ ſecundæ libram unam, & mercurii ſublimati à vitriolo romano & ſale comm. uncias quinque & ſemis, & ponatur ad aquam ſecundam paulatim & ſucceſſivè, ſigilletur orificium vitri benè, ne virtus mercurii immiſſi ſubitò exhaletur, & ponatur vitrum in cineres calidos temperatos, & incipiet iſta aqua ſtatim operari in mercurium ipſum diſſolvendo & incorporando. Et ſic permittas vitrum ſtare in cineribus calidis, & in diſſolutione aquæ donec ipſa aqua ampliùs non appareat ſed ipſum mercurium ſublimatum ex toto diſſolvit. Agit autem ipſa aqua ſemper in mercurium per modum imbibitionis donec ex toto ſolvat ipſum. Sed nota ſi iſta aqua ex toto non poſſet ſolvere mercurium impoſitum, tunc quicquid diſſolutum fuerit per iſtam Aquam de Mercurio, hoc deponatur, & non ſolutum in fundo exſiccetur lento igne, conteratur, & cum nova aqua iterum diſſolvatur ut prius, & ſic reiteretur iſte ordo, donec totus mercurius ſublimatus ſit ſolutus in aquam. Et tunc omnes ſolutiones iſtius tertiæ aquæ in unum conjunge, in vitrum mundum, & claude orificium ejus cum cera benè, & ſerva diligenter. Hæc eſt aqua tertia philoſophica ſpiſſa qualificata in tertio gradu perfectionis, & eſt mater aquæ vitæ quæ omnia corpora in primam materiam diſſolvit.

℞. Tertiam aquam clarificatam, mercurialem, tertio gradu perfectionis qualificatam, & ponas eam in putrefactionem in ventre equi benè digeſtam, in vitro claro bene ſigillato cum longo collo per 14 dies, & fac eam putrefieri, & fæces in fundo reſidere, tunc iſta aqua tranſmutabitur de colore citrino in flavum, quo facto excipe vitrum & pone inter cineres lentiſſimo igne, & ſuppone alembicum cum ſuo receptaculo & incipias deſtillare paulatim Aquam vitæ clariſſimam, mundam, ponderoſam, Lac virginum, Acetum acerrimum guttatim, & ſemper lento modo continuando ignem, donec totam Aquam vitæ ſe-

renè

renè destillaveris, tunc cessa cum igne, & fac furnum infrigidari & diligenter serva ad partem. Ecce ista est Aqua vitæ, Acetum philosophorum, Lac Virginis per quam corpora in primam materiam resolvuntur, quod infinitis nominatur nominibus. Signa istius aquæ sunt ista, si gutta una projiciatur super laminam cupream ignitam statim penetrabit, & vestigium relinquet album, fumigat super ignem, coagulatur in aëre ad modum glaciei. Cum autem ista Aqua destillatur, guttæ ejus non intrant continuè sicut aliæ guttæ, sed una per hanc viam; alia per aliam viam destillatur, hæc aqua non agit in corpora metallica sicut alia aqua corrosiva fortis, quæ corpora dissolvit in aquam, sed ista aqua omnia corpora si fuerint in eâ posita, reducit & resolvit in mercurium, ut postmodum audies.

Paracelsus Aquam hanc sequenti methodo confecit.

118. Aqua mercurialis Paracelsi,

In Appendice Manualis de lap. Phil. Pag.139.

℞. MErcurii sublimati septies per vitriolum, sal nitri & alumen libras tres, salis armoniaci (*vegetabilis*) ter à sale sublimati clari & albi libram unam & semis, trita simul & alcoolisata sublima in sublimatorio per arenam horis novem. Ubi refrixerit, sublimatum cum penna detrahito, & cum reliquo sublima ut priùs. Hanc operationem quater repete, donec ampliùs non sublimetur & in fundo massa nigra remaneat instar ceræ fluens. Refrigeratam exime & tritam rursus, in patina vitrea sæpius cum salis armoniaci aqua secundum artem præparata (*menstruo sub* No. 91. *descripto*) imbibe, & sua sponte coagulatam iterum imbibe & sicca ad novem vel decem usque vices, donec ferè non ulteriùs coaguletur. Tritum subtiliter supra marmor in loco humido solve in oleum pulchrum, quod rectificabis per destillationem in cineribus ab omnibus fæcibus & residentia. Hanc Aquam omnium facilè principem diligenter asservabis.

Lullius suam Aquam mercurialem composuit ex mercurio & menstruo fœtente.

119. Men-

119. Menſtruum fætens mercuriale Lullii,

Pag.63. Teſtam. Noviſſimi.

℞. DE menſtruo fætenti libras quatuor, & pone intus libram unam mercurii vivi, & pone in balneo vel fimo equorum per ſex dies, & totum convertetur in aquam, deſtilla per balneum & habebis Aquam mercurialem verè mineralem.

Ripleus magiſtrum ſuum ſequutus eſt in aquæ mercurialis confectione.

120. Leo viridis mercurialis Riplæi,

Pag.310. Pupillæ Alchymiæ.

℞. MErcurium ſublimatum à vitriolo & ſale communi ad quantitatem 20 vel 40 librarum (*opinor legendum eſſe duos vel quatuor*) ut habeas quod omnino ſufficiat: Tere benè in pulverem & pone in vas vitreum benè magnum & forte. Cui ſuperfunde tot libras aquæ fortiſſimæ (*menſtruum fætens eſt aqua fortiſſima mundi*, *pag.* 138. *Medullæ*) quot ſunt pondera mercurii. Move inſimul fortiter, & fiet vas adeò calidum ut vix manibus tangi poſſit. Obtura bene, & permitte ſtare in loco frigido per novem dies, ſingulo quoque die ter aut quater fortiter movendo. Quo facto pone vas in furno cinerum, & cum igne leviſſimo deſtilla totam Aquam vitæ (*menſtruum*) quam ſerva bene per ſe, deinde in continenti adjunge aliud receptorium bene lutatum, accende ignem vehementiſſimum, quem continuabis quouſque totus liquor aureus deſtilletur omninò.

Eiſdem modis quibus conficiuntur Aquæ mercuriales, his etiam confici poſſunt ex reliquis metallis menſtrua hujus generis. Ità fit

121. Menſtruum fætens lunare Lullii,

In Experimento XXIX.

℞. SUpradictæ aquæ mineralis (*ſub* No. 104. *deſcriptæ*) ut habes in ſuperiori (No. 26.) experimento, uncias ſex vel octo, in ea ſolve unam unciam lunæ, quam diſſolutionem pone in retortam parvulam ad deſtillandum per cineres; qua deſtillatione ceſſante augebis ignem quantum poſſibile fuerit: Cumque hoc gradu ignis nulla humiditas ampliùs deſtillaverit, frigefacto vaſe, accipe aquam deſtillatam, in qua eſt anima lunæ, ac bene clauſam ſervabis ne reſpiret.

Ita etiam præparatur Aqua ſolaris apud Lullium.

122. Menſtruum fætens ſolare Lullii,

In Experim. XXXI.

℞. AQuam fortem ſive aquam mineralem (*ſub* No. 104. *deſcriptam*) ut ſupra, atque inibi diſſolve in unaquaque libra uncias tres de ſale animali præparato & fixo prout habes in ſuo (*ſexto*) experimento. Quo ſoluto, diſſolve ibidem uncias duas auri cementati ut ſcis, poſteà putrefac per octo dies, mox per balneum deſtillabis. Quod autem in fundo remanebit erit inſtar mellis fuſi, ſuprà quam materiam iterùm infunde de ſua aqua per balneum deſtillata, ita ut ſupernatet duobus digitis; putrefac per diem naturalem, mox amoto antenotorio, ſuperpone alembicum cum recipiente clauſum, ut non reſpiret. Deſtillato per cineres quouſque ampliùs non deſtillaverit, ultimò augebis ignem aliquantulum ut in aquam tranſcendat pars aëris. Tertio ignem augebis, ut etiam ignis elementum per alembicum tranſeat, cum autem hoc ultimo

ignis

ignis gradu nil destillaverit, tunc frigefacto vase, amotum recipientem cum aqua sua destillata, firmiter clausum servabis.

Isaacus Hollandus aliquandò Aquam mercurialem confecit ex mercurio lunæ hoc modo.

123. Acetum Philosophorum ex mercurio Argenti Isaaci,

Cap.XCIX. 2.Oper.min. Pag.492. Vol.3. Th.Chym.

℞. CAlcis lunæ libram unam, salis armoniaci quod clarum & pellucidum sit tanquam cristallus, absque humore, quartam partem, contrita amphoræ lapideæ inde. Tum acetum sume destillatum (*philosophicum*) quinquies aut sexies à suo phlegmate, ita ut nullas ampliùs fæces relinquat. Acetum in aliam amphoram lapideam evacua, ac alembico superimposito in balneo colloca. Amphoram cui calx contrita inest, luta probè ad rostrum alembici, & sine lutamentum bene siccari. Tum ignem sub balneo strue, ac acetum sensim destilla super calces lunæ. Et quot libras calcis lunæ habes, tot quatuor libras aceti super eam destilla. Cumque acetum omne destillatum fuerit; sinas facilè per 3 dies refrigescere, antequam amphoram removeas. Nam si citiùs removeres, acetum, luna & sal armoniacum tibi elabentur, ac nihil retineres, tam vehemens illa est materia; nam frigidum & calidum simul veniunt. Cumque removere velis, operculum vitreum habe paratum, ad os amphoræ levigatum, quod illi statim luto agglutinabis, ne virtus illa tibi elabatur. Tum amphoram in balneo pone, nec calidiorem ignem adhibe, quàm manus tua commode ferre possit in aqua usque ad condylos, aut quàm bibi possit absque ustionis periculo. Atque hoc pacto retine ad hebdomadas sex. Tum sine frigefieri, effringe, & alembicum luto statim affige amphoræ admodum solidè; & receptaculum ad rostrum pone, destilla balneo temperatè calido, quicquid destillare vult. Cumque jam non ampliùs destillat, tum exime, & in testa cum cineribus pone; iterum receptaculum ad

roſtrum luta, & initio puſillum ignem adhibe, poſt vehementiorem aliquoties donec mercurius tuus cum ſale armoniaco ſurſum ſublimare incipiat tam candidus quàm nix, & claris fibris ad albam materiam pendens, tum ita retine, (donec videas non ſublimare,) in eodem calore, ad mercurium probè ex terra extrahendum. Poſt ſinas frigefieri, & alembico ablato, mercurium ſublimatum exime cum ſale armoniaco, quæ ſimul ſurſum ſublimata ſunt in maſſam, quam pondera, ita ſcire poteris quantum mercurii ex calcibus lunæ ſublimaris; noſti enim quantum ſalis armoniaci amphoræ indideras. Tum ſublimatum iterum vitro inde, ac denuò ſublima, ut videas, num aliquæ fæces remaneant, nam toties tibi ſublimandum eſt, donec nullæ fæces remaneant. Serva iſtum mercurium donec ego te doceam quid eo ſis acturus. Scies in illa amphora, ex qua mercurium cum ſale armoniaco ſublimaſti eſſe corpus (*caput mortuum vulgo dictum*) aut elementum terræ cum ſuo oleo aut igne. Hoc exime & pondera, ita etiamnum meliùs ſcire poteris, quantum mercurii ex eo ſublimàris, ſciebas enim quantum calcis lunæ in amphora habebas, ita certo ſcire potes quantum ex eo habeas.

Tum ſal tuum aut terram vitro inde, ac ſuperfunde acetum deſtillatum, & ſolve in aquam puram, & ſi quas ponat fæces, ſenſim ſuperne effunde, & denuò congela tamdiù, donec nullas fæces ampliùs relinquat, tum rurſum congela. Tum habes ſal tuum præparatum à terra tua clarum inſtar criſtalli. Jam mercurium tuum ſublimatum, & ſal armoniacum & clarum tuum ſal accipe, ac ſimul ſuper marmore ſiccè contere, omne contritum pateræ vitreæ inde, pone in tripode aut fornace calcinatoria, & ad ſex hebdomadas ibidem ſtare ſine, ac calorem adhibe, perinde ac ſi plumbum retineres liquefactum abſque concretione. Sex hebdomadis illis exactis ſine refrigeſcere, & tum in cella frigida colloca, ac pannum lineum ſuperimpone, ne quis pulvis incidat; ſpatio ſex aut octo dierum omninò in aquam claram ſolvetur. Scies autem iſtud eſſe Philoſophorum clarum acetum, nam cum ſcribunt noſtrum acetum, Aquam iſtam volunt, cumque dicunt mercurium Philoſophorum, Aquam iſtam volunt, eſtque eorum acetum de quo tam mirabiliter ſcribunt aut loquuntur.

Ex

Ex Receptis obſervamus,

1. *Metalla mineraliaque menſtruis mineralibus ſimplicibus volatiliſata eſſe hujus generis menſtrua.*

2. *Menſtrua hæc eadem eſſe cum octavi generis menſtruis diſſolutis in menſtruis mineralibus ſimplicibus: Differre autem ab antecedente genere, quod non vini phil. ſpiritu, ſed aceto philoſophico fuêre confecta.*

3. *Menſtrua hæc eſſe Eſſentias vel magiſteria rerum tingentium menſtruis mineralibus ſimplicibus diſſoluta.*

4. *Menſtrua hæc ut mineralia ſive acida in operibus alchymicis præſtantiora eſſe ipſis vegetabilibus octavi generis; quia fortiora.*

5. *Metallorum diſſolutiones menſtruis hiſce mercurialibus peractas aliquandò ab Adeptis dictas fuiſſe amalgamata.* Scies, *inquit Iſaacus*, hanc eſſe optimam ſolutionem, quæ unquam in orbe reperta fuit, nam in hoc nullus error proportionis & ponderis. Natura enim non errat. Nam cum mercurius ſolutus eſt, alia metalla porrò ſolvit, ut aliis in locis ritè docetur. Nec ampliùs ſolvet quàm poſſit, nec plus corporis in ſe recipiet, quàm natura ejus ferre poſſit. Nam quicquid ei opus non eſt, ſolvere minimè poteſt. Eſtque optima amalgamatio quæ reperiri poteſt. 2.*Oper.min. Cap* 103. *Pag.*494. *Vol.*3. *Th Chym. Quod Bernhardus in Epiſt.ad Thomam non de ſicca ſed hàc humidà tractaverit amalgamatione, alibi mihi probandum erit.*

6. *Menſtruum veneris, ſolis, lunæ, &c. ejuſdem eſſe virtutis, quoad diſſolvendi facultatem cum menſtruo argenti vivi vulgi; iſtud mercuriale quidem præ reliquis, ob corporis ſui aperti faciliorem tractationem aliquibus Adeptis magis fuit in uſu, etiamſi tingendi qualitate id cæteris ſit minus potens.*

7. *Varia eſſe menſtruorum fætentium genera. Decimum tertium genus ex Atrop deſtillare docuit menſtruum omnium fætidiſſimum. Ibidem enim oleoſa ſpiritûs vini (phil.) materia vitriolo diſſoluta, in ſui deſtillatione emergitur à ſuis putridis fæculentiis. Viceſimum autem genus de menſtruis minùs fætentibus tractat utpotè purificato jam, & ſuavi ſpiritu vini phil. confectis; Præſens genus ex iiſdem materiis menſtrua quidem ejuſdem nominis, at non ejuſdem fætoris, coloris, &c. producit, Acetum enim philoſophicum ob perfectam ſpiritûs vini phil. diſſolu-*

tionem

tionem diaphanum est, non lactei coloris, fit autem in menstrui destillatione lacteum, quatenùs aciditas dicti aceti ab ariditate corporis dissoluti debilitata, æquè benè ut anteà unctuosum vini phil. spiritum retinere nequeat, ex cujus autem præcipitatione liquor destillatus lacteus redditur; hinc vitriolo azoqueo aliquandò addidêre Adepti vitriolum commune & nitrum, ut dictus spiritus eo meliùs dissolvatur. Verbo: Quo in majori quantitate Acetum phil. vel aliud menstruum minerale hôc fortius in horum menstruorum confectionibus adhibeatur; eo menstrua inde evadent minùs lactea, & minùs fætentia; quia non ex embrionata fætenti spiritùs vini phil. materiâ sed eodem ipso, circulatione & destillatione, purificato, confecta.

8. *Menstrua hæc, reliquorum instar digerendo fieri dulcia & transmutari in octavi generis dissolventia.*

XXII. Genus.

XXII. Genus.

Menstrua mineralia composita ex Aceto philosophorum aliisque Menstruis mineralibus simplicibus & rebus tingentibus prius fixatis.

124. Menstruum Veneris Isaaci Hollandi, *Cap.LXXXII. 3. Oper. miner.*

FIli jam te docebo conficere lapidem quem Deus nobis gratis dat. Scias quod hic variè conficitur, sed te docebo methodum quam didici à Patre meo.

℞. Lapidis quem Deus nobis gratis dat (*Vitrioli Veneris*) quantum sufficit, quem solve aceto destillato (*philosophico*) sine fæces subsidere, dissolutum à fæcibus cautè decanta & filtra; acetum leni igne abstrahe, ut materia remaneat sicca. Siccatam denuò solve aceto destillato, decanta, filtra & abstrahe, idque quater reiterandum usque nullæ ampliùs in solutione subsideant fæces. Tum leni igne destilla acetum usque materia ita siccescat ut pulverisando facilè avolet in pulverem volatilem, attamen retineat spiritus suos, jam hæc ad calcinandum parata est. Fili scias materiam hanc natura sua esse stipticam & adstringentem partim volatilem, partim fixam, adeóque solvi aceto destillato, ut secum retineat spiritum subtilem Aceti, & una cum dicta spiritu calcinetur, subtilior fiat, meliùs aperiatur & solvatur, spiritus enim Aceti præ cunctis bene solvit. Vitriolum ita præparatum pone in Ampulla vitrea vel ovo, luta hermeticè, sed implendum est vas, ne locus adsit spiritibus sese elevandi, pone in Tripode & ibi maneat in calore temperato ad sese subtiliandum. Posteà exime & pulverisa materiam, pone in

in Cucurbita, appone Alembicum, cui annectè Recipiens, & ita ex Balneo destillabis quicquid destillari velit, destillabitur circiter 20 vel 25 dies. Tum destillatum sepone, fæces in fundo Cucurbitæ jacentes exime, contere subtiliter in lapide, quibus in solutorio positis affunde totam aquam destillatam, sigilla hermeticè, & totum in Balneo solvetur absque fæcibus, solutum ex Cucurbita per Alembicum destilla in Balneo igne moderato, ut omnis aqua secedat, quam optimè serva; continua destillationem in cineribus, ut recipias elementum aëris in forma olei citrini valdè nobilis, & hoc fiet forti igne, aërem optimè clausum sepone per se prope Aquam. Fæces sanguinis instar rubicundas ex Cucurbita exime, & contere in pulverem impalpabilem in lapide, pone in Ampulla vitrea vel Ovo, sigilla, & repone per 30 dies & noctes in Tripode ad subtiliandum igne temperato, posteà exime, contere in pulverem, & in solutorio affunde elementum aquæ (*superiùs destillatæ*) sigilla & pone in Balneo ut solvatur ut anteà, solutum per Alembicum destilla in cineribus (Recipiens ponatur in aqua frigida,) ignem auge per gradus usque tandem candeat, ita maneat per quinque vel sex dies, & intereà temporis ascendet elementum ignis in forma olei rubri, sine per 3 vel 4 dies ut frigescat, tum remove Recipiens & optimè occlusum serva, &c.

Annotationes.

VAria habuimus in superioribus Vitriola graduata, quæ varia nobis præbuere menstrua. In hoc genere Vitriolum his omnibus præstantius conficitur. Componitur enim ex Vitriolo graduato vase clauso lege artis fixato, iterumque dissoluto in Aceto phil. ut per destillationem inde fiat menstruum antecedentibus præstantius. In Menstruorum Vegetabilium genere nono Vitriolum mercurii graduatum ex mercurio sublimato & sale circulato confectum in vase clauso reverberatur in pulverem fixum, qui deinde mercurii crocus, Vini phil. spiritu volatilisatus, menstruum reddit Vegetabile. Si idem Mercurii Vitriolum graduatum vase clauso reverberetur in præcipitatum fixum, posteaque non Vini phil. spiritu, sed aceto phil. vel alio quodam menstruo minerali dissolvatur, fiet inde menstruum hujus generis. Quod de Vi-

Vitriolo mercurii dictum; hoc etiam de præsenti Vitriolo Veneris intelligendum est in nostro Recepto; ubi Isaacus Vitriolum dictum aceto phil. dissolvit, depurat & graduat, quod deinde in tripode calcinat, id est figit; fixatum novo aceto phil. dissolvendum & volatilisandum est ante ejus destillationem, ut patet ex ejusdem menstrui descriptione alibi data.

125. Menstruum Vitrioli Isaaci Hollandi,

Cap. LXII. 2. Oper. min.

℞. MAgnam quantitatem Vitrioli Romani, 10 aut 12 libras, plus minus, quantum voles, & solves Vitriolum in aqua communi; sine fæces subsidere, clarum ad congelandum pone in vase lapideo donec pellicula superveniat, tunc sine refrigerari ac stare triduum, ac habebis insignes lucidos lapillos cristallinos colore viridi. Lapillos illos exime, & pone in pusillis pateris vitreis in mundo Balneo ad siccandum, ac Balneum accendas eo calore, qualis est solis media æstate. Ac lapilli tui in album pulverem convertentur, quem pulverem solves in aqua communi destillata, & finito fæces subsidere, ac clare superne diffundas in testam mundam ut priùs, ac pone denuò congelandas ut suprà; id toties facito, donec nullas ampliùs relictas fæces videas, ubi album tuum pulverem hoc pacto laveris ac operatus fueris, certus sis vitriolum tuum rite præparatum esse. Jam recipe album pulverem Vitrioli, eumque indes ollæ vitreæ oblongo collo, ac collum sigillo Hermetis munias, ita ut nullus aër exspirare aut ingredi valeat, ac tum in testa cum cineribus cribratis pone super Fornace, ac ignem subjice, & sub Fornace lampadem ardentem pone, calorem addens qualis est solis medio Martio, atque hoc pacto retine, donec videas materiam tuam flavescere, ac retine in eodem calore donec perfectè ruffa fuerit, tum ignem paululum auge, id est, adhuc unam lampadem suppone, atque hoc pacto retine ad octo aut decem dies, ac tum vide an materia tua non incipiat rubere: Si rubere incipiat, ignem tuum auge; sine hoc pacto in eo calore

lore etiamnum ad dies octo aut decem. Si verò in rubedine nihil proficis, ignem tuum adhuc uno Lampade auge, atque ita prosequere gradatim semper accensa Lampade una, donec materia tua tam altè rubra fuerit, quàm Rosa aut Rubinus; jam ubi tam altè rubra fuerit, sinas etiamnum hoc pacto ad dies octo aut decem in eodem calore; ubi videris materiam tuam eodem statu permanere, exime eam ex Testa cum cineribus, & materiam in aliud vitrum forte evacua, ac bonam quantitatem aceti destillati (*phil.*) superfunde ac pone in Balneo; bulliat, ac move spatula lignea ter quaterve singulis diebus, atque hoc pacto retine ad dies noctesque quatuor, tum sinas frigefieri, & clarum effundito. Et rursum acetum destillatum affunde, idque repete tribus vicibus; tum fæces abjice & acetum per Alembicum abstrahe in Balneo, donec materia omnino sicca fiat, superfunde acetum recens, ac facito ut priùs, idque tam diu itera, donec nullæ ampliùs fæces in solutione remanent. Tum congela in siccum pulverem, ac habe vitrum bonum ac spissum, & pulverem tuum inde, ac Alembicum magno capite superimpone, ac destilla, ut primùm acquiras croceos spiritus, tum oleum rubrum; tum albos spiritus, tum sine frigefieri; Receptaculum deme, ac quod ei inest vere oleum illud benedictum serva. Alembicum deme ac in olla reperies materiam instar nivis candidam & instar cristalli lucidam, &c.

Menstrui hujus confectionem considerabimus in suis distinctis membris.

Primum versatur circa Vitrioli electionem, quod ut graduatum sit, id est, vel vini phil. spiritu vel aceto phil. dissolutum & cristallisatum, ratio postulat, & Receptum antecedens jubet. Vitrioli enim com. aqua com. soluti & purificati calcinatio in vase clauso usque in colorem rubicundissimum penitùs impossibilis est, & nullius etiam momenti, siquidem ex communi Vitriolo, utut purificato & calcinato, nil nisi commune acidum vel communis Vitrioli spiritus elicitur, eligendum itaque est Vitriolum aquâ comm. bene purgatum juxta præsens Receptum, sed posteà juxta antecedens aceto phil. bene dissolutum, ut Vitriolum inde fiat graduatum, & idonea hujus menstrui materia.

Membrum secundum tractat de hujus Vitrioli graduati calcinatione vel fixatione in rubedinem. De qua processus prior obscurior fuit, præsens vel posterior satis clarus. Calcinatio hæc est

est vera & philosophica Vitrioli hujus fixatio, quod inde apparet maximè, quod citrinitati & rubedini præcedant nigredo & albedo, tam volatilisationis quam fixationis vera indicia, de quibus quamvis nihil dixerit Isaacus in ambobus Receptis, alii tamen de hisce coloribus in Vitrioli fixatione non siluêre Adepti. Sume illum lapidem, *inquit Ripleus cap. VII. Philorcii*, cupri stillicidium (*leonem viridem fatuorum vel vitriolum com. graduatum*) & pone tritum in ovo philosophorum & procede per viam putrefactionis super eo, sicut dicebatur in opere Rebis, & continua lapidem super ignem, donec vertatur post nigredinem & albedinem in pulverem rubeum, quem multi vocant Vitriolum rubificatum.

Verum-enim-verò hic aliquod nobis adoritur dubium, cum color rubeus hujus Vitrioli calcinati ab ipso Isaaco dici videatur volatilis, minimè fixus. Materia ista *inquit*, in æternum rubra permanebit & non fixa, nam si fixa esset, omninò esset corrupta, nam in Aquam solvenda est & destillanda per Alembicum. *Cap. LXV. Hanc ut discutiamus nubeculam, sciendum est, Isaaci mentem esse, Vitriolum in rubedinem calcinatum, quocunque modo etiam tractum, rubrum permanere, sed non itidem fixum, quia Aceto philosophico solvendum sit & destillandum per Alembicum. Similem enim, modò non eandem reperimus phrasin de ipsa lapidis phil. rubedine & fixitate, quæ facilè prædictum removebit dubium:* Postquam Lapis, *inquit*, perfectus est, manere in eo statu debet nunc & in secula. Post perfectionem, nec in melius nec in pejus mutari potest, sed in æternum Rex permanebit. Quare si quis verum Lapidem Philosophorum paravit, nulla post sequitur multiplicatio, ubicunque post perfectionem multiplicatio sequitur, Lapis Philosophorum non est, nec verus Lapis est. Medicina esse potest, aut alius, cujusmodi multi sunt quibus projectio fit,, verum Lapis Philosophorum non est de quo hic nobis sermo est. Cum prædictus Lapis perfectus est ac paratus, in æternum in eo statu permanere debet. *Cap. 127. 1. Oper. min. pag. 407. Vol. 3. Th. Chym.*

De coloris rubei permanentia in Lapide phil. sequentia protulit: In multiplicatione, *inquit*, nulla nigredo intervenit, nec ulli colores orbis sese ostendunt, nec albedo ulla, nec in sublimatione quicquam se præter rubedinem ostendit, nec in fixatione sese color alius præ-

ter proprium manifestat; is est egregia rubedo. Lapis enim nullum colorem alium præter rubedinem habet, est enim tantummodo una substantia, simplex materia, & ut cœlum invincibile. Scies etiam quamvis sublimaretur, non fixitate sua privaretur, nam cum Lapis confectus ac paratus est in extrema virtute ejus, tum Lapis iterum aliter ex sua Essentia in aliam fabricando mutari non potest, nam si Lapis ex sua Essentia extrahi posset in aliam Essentiam aut naturam, aut si mutari posset, Lapis Philosophorum non esset, nec simplex esset, nec corpus glorificatum. Non, non. Sermonem meum ritè intellige, &c. *Cap.* 72. 1. *Oper. miner. Pag.* 355. *ejusdem Voluminis.*

Lapidem Philosophorum penitus & omninò immutabilem esse statuit Isaacus, persuasus fortassis ex rubedinis inalterabili constantiâ, observatâ in Lapidis altioris gradùs vel generis multiplicatione; quam opinionem ut in singulis partibus defenderet, ipsam Lapidis volatilisationem citiùs negare ausus fuit, quàm fixationis alterationem in multiplicatione statuere: Scies, *inquit*, quamvis Lapis sublimaretur, non fixitate sua privaretur. *Imo proprios sensus (ipse enim eodem loco Lapidem phil. menstruo quodam lucenti volatilisare docuit) & verbi* fixare *sensum, (ex quo tamen termino pars media omnium operationum dependet in Chymia adepta) intervertere maluit quàm hanc ex paralogismo deductam relinquere fallaciam.* Lapidem, *inquit*, tam sæpe aperire & reserare potes, ut priùs dictum est, ac posteà sublimare, & partibus exiguis denuò compingere, ita ut partes ejus iterum in unam cohærescant, quod nos fixationem appellamus; fixare quidem nuncupamus, sed fixare non est, sed tantummodo condensatio, ita ut omnes ejus partes subtiles rursum in unum cogantur arctè simul, ita ut priùs fuerant, & Lapis iterum ignem expectet, & rursum projectionem facere eo possimus ut priùs faciebamus. *Cap.* 76. *lege* 73, 74, 75, *capita ejusdem libri.*

Nos quod contra hanc habeamus sententiam, reservabimus pro libro tertio; interea hoc solum animadvertetis oportet: Vitrioli calcinati ut & ipsius Lapidis phil. multiplicati materiam in æternum rubram permanere sed non fixam, quia utraque menstruis philosophicis volatilisari potest.

Hæc vero utut se habeant, Vitriolum Veneris graduatum vase clauso

clauso in rubedinem calcinatum esse fixum, probabit saturni vitriolum eodem modo fixatum per eundem authorem. R. Phialam vitream, *inquit*, pone in ea medietatem saturni purgati (*sacchari saturni non communi aceto destillato, sed philosophico confecti*) alteram medietatem seorsim ad necessitatem reserva, orificio phialæ impone vitrum commodum, pone vitrum in capellam cum cineribus cribratis in furnum aut de tripode arcanorum, aut in furnum in quo calcinas spiritus; da ei ignem æquè calidum ac sol media æstate est, non ampliùs, nisi forte parum calidiorem aut frigidiorem dummodo non sit tantùs ut plumbum fundat, ita enim materia tua olei instar liquesceret, & si sic stet ad duodecim dies omne sulphur evolabit materiáque corrumpetur, sulphur enim ejus nondum est fixum, & in extrinseco tantum, unde materia facillimè funditur & licèt purum sit, tamen non est fixum; ita ut ignis adeò lenis sit ut materia non fundatur, stet sic sex septimanis, post quas accipe parum, projice super ferrum candens, quod si statim fundatur & fumet nondum est fixa, sed si manet, sulphur ejus fixum est. Tum auge ignem notabiliter, donec materia citrina fiat, & sic semper donec rubescat semper augendo ignem donec Rubinorum colorem accipiat; auge donec tota candescat, & tunc fixa est, & parata ad infusionem cum nobili aqua Paradisi (*menstruo sub* No. 114. *descripto.*)

Præter hanc datur quidem etiam alia Vitrioli phil. calcinatio, quæ fit aperto vase, ita viride æris graduatum calcinatur ad rubedinem antè ejus destillationem in præparatione spiritûs Veneris Basilii, uti in præcedenti genere observavimus sed hæc hujus loci non est, remanet enim calx volatilis non fixa, quæ calcinatio ob phlegmatis sequestrationem tantummodò adinventa est. Membrum tertium consistit in hujus vitrioli fixati nova dissolutione in aceto phil. unde Vitriolum istud volatilisatur iterum, & ad destillandum aptum redditur, in priori Recepto solutio hæc penitus omissa est, sed exactius describitur in posteriori processu.

Membrum quartum, simplex est, & frequens in omnium menstruorum fætentium confectionibus destillatio, hoc tamen excepto quod ex hoc graduato, fixato, iterúmque volatilisato Vitrioli spiritus non ascendat albus, sed croceus, (quia maturior,) antè oleum rubeum, tandémque etiam appareat spiritus albus ex sale vel corpore albo extractus.

Tan-

Tandem ex reliquis metallis eadem etiam menstrua confici posse testatur hisce verbis: Sed si oleum ex metallis velis educere ut de vitriolo doctum est, metallum tuum in aqua forti solves, ac facies præcipitari, ac salsedinem ei aqua communi ablue, eóque siccato in vitro oblongo gutture immisso ac congelato, ac posito super fornace in cineribus cribratis, ignem subjice talem qualem Vitriolo, donec metallum omninò rubeat, ac donec interius ejus foris sit. Tum solve in aceto destillato ut Vitriolum, ac congela donec nullæ fæces ampliùs remaneant. Tum destillandum pone, & metallum omninò destillabit in rubrum oleum, éstque oleum perfectum Philosophorum. Verum projectio ejus non tam alta est quàm olei quod priùs sal fuit. Atque omne oleum metalli oleo vitrioli multiplicabis, ut antè dictum est. Et admodum facilè oleum conficitur ad eundem modum ex Saturno, ejusque projectio admodum alta est. Age gratias Deo, operare, ac pauperum memento, Dei dona in tuam salutem moderare. *Cap.* 80. 2. *Oper. min. pag.* 478. *ejusdem Vol.*

Omnia Metalla, *inquit cap.* 67. *ejusdem operis*, rubra fient in morem sanguinis, etiam Jupiter & Luna; nam omnibus metallis interiùs rubrum est, unum magis rubrum alio. Cùm igitur ad rubedinem perducta fuerint, tum solvenda tibi sunt (*aceto philosophico*) ac denuò congelanda, donec ab omnibus fæcibus munda sint, & tamen elementa sua simul contineant perfectè. Nam cùm eò perducta sunt, nihil præter fæces remanent. Nam Terra (*caput mortuum*) subtilis ac liquida effecta, ea itidem solvitur, cùm eam subtilem effecisti solvendo & coagulando, ut nullæ fæces ampliùs remaneant. Ità destillare potes per Alembicum in oleum rubrum. Quemadmodum hic de Vitriolo doceberis, ita etiam de omnibus metallis faciendum erit, atque etiam Mercurio, ubi solutus fuerit in aqua forti ac præcipitatus, ac salsedine abluta siccatus & tum vitro inditus, utì dictum est de Vitriolo, atque ita porrò factum ut priùs doctum est de Vitriolo. Ac quod hîc de metallo dictum est, id etiam de Antimonio (*reliquisque mineralibus*) facere potes. Aures aperi & ausculta, ac mentem aperi, nunquam auditum est, ut tale opus tam exiguo labore factum fuerit.

Hic vos admonitos volo, ut notetis differentiam inter Vitrioli & aliorum corporum olea; ex omnibus metallis utì ex Vitriolo simile componitur oleum, hoc tamen discrimine, quod Vitriolum in

sui

sui olei destillatione Terram vel sal post se relinquat, quo spiritus & oleum ejus figuntur in Lapidem Philosophorum; metalla autem reliquaque mineralia non itidem, cum totaliter ascendant in spiritum & oleum, nulla remanente Terra, sale, vel capite mortuo, quo in lapidem figi debent, Vitriolum solum itaque est, quod omnia secum habet, quæ ad sui perfectionem pertinent, ubi reliquorum Olea & spiritus aliunde corpora fixa mutuare coguntur pro suis fixationibus. Scies, *inquit*, cum sal metallorum ad oleum vis perducere eo modò ut de Vitriolo dictum, elementum terræ metallorum unà cum oleo destillabit rubrum instar sanguinis, id verò Terra Vitrioli non facit: Oleum sese à Terra separat. Ita Deus talem benedictionem concessit ut ex eo solo Lapis Philosophorum confici possit absque additione, transferens omnia metalla in verum solem, sed oleum ejus cum Terra (*propria, sive sale suo*) fixandum est. Id verò ita non fit de metallis, Terra una destillat per Alembicum, ac totum corpus in oleum convertitur, transferens omnia metalla in verum solem. In eo omnes Turbæ Philosophorum conveniunt.

Conficitur, *pergit*, etiam oleum ex Mercurio & ex Antimonio, sed Terra eorum unà transit, ac totum corpus fit oleum ac manet Oleum in secula, & isto oleo mira efficere possis, quæ hîc recensere nimis longum foret. Nosti item quid de Antimonio scribatur, ac de oleo ejus. Sciet tamen filius meus, oleum Mercurii multo esse præstantius in omnibus operibus in quibus oleum Antimonii servit. Hoc secretum est. *Cap. 69, & 70. ejusdem operis.*

Exemplum quod metalla penitus ascendant in oleum adducit cap. sequenti videlicet 70. quod nominabimus

126. Circulatum majus Isaaci,

Cap.LXX. 2. Oper.min. Pag.474. Vol.3. Th.Chym.

℞. ISTum Mercurium (*Metalla in antecedentibus menstruis philosophicis sublimata*) ac solve in aqua forti ex Vitrioli & Nitri ana, cumque solutus fuerit, id quod solutum est inde ollæ vitreæ, & alembicum superimpone, & pone in cineribus cribratis, & primum ignem pusillum subde, & ei aquam for-

fortem destillando substrahe, tumque Mercurius sursum sublimabit in Alembicum, cumque ampliùs sublimare respuit, aufer; sume Mercurium ex Alembico, ac inde vitro, longo gutture, sicuti Vitriolo faciebas & pone in Testa cum cineribus cribratis. Lampadem tuam sub ea accende, atque ita relinque donec perfectè rubeat, sicuti de Vitriolo doctum est; solve, congela, cúmque mundus fuerit destilla in oleum rubrum, ut de Vitriolo dictum est, sed Mercurius totus in oleum destillat, ita ut nullam Terram relinquat.

Menstruum proximè antecedens sub No. 125. *in omnibus clarum est, excepto ejus primo membro, in quo, quod Vitriolum, antè ejus calcinationem in rubedinem vel fixationem solvendum sit Aceto philosophico, omissum est.*

Menstruum hujus Generis primum non quidem in hac sed in alia parte mancum est, quatenus in eo non doceatur, Vitriolum post ejus calcinationem Aceto philosophico denuò solvendum esse. In præsenti hoc tertio, quod tamen juxta normam præcedentium confici debere dicitur, nulla omninò de Aceto philosophico facta est mentio, absque quo tamen Vitriolum neque figi in rubedinem, neque ubi fixatum rursus volatilisari vel destillari potest. Comparanda itaque sunt Recepta, quoties Adepti vel timidiores, vel invidiores quàm par est, ea nobis reliquerint imperfecta. Sufficit, si ex eis invicem collatis suam eruamus mentem vel intentionem, in singulis circumstantiis terminis vel obscurioribus, vel omninò neglectis, minùs expressam. Ita in hoc Genere corpora figenda sunt, & denuò volatilisanda per menstrua mineralia, quemadmodum in nono Genere Mercurius & Antimonium priùs figuntur, & posteà destillantur in Circulata majora per menstrua vegetabilia. Lux hæc ex dicto nono Genere mutuata omnes hujus Generis abiget obscuritates & dubia. Vitriolum ergò solutionibus & coagulationibus aquâ communi purgatum, priùs graduandum est, id est, Aceto philos. aliquoties solvendum & coagulandum juxta Receptum sub No. 125. *quemadmodum Mercurius solvitur aquâ salis circulati in Circulato majore ex Mercurio. Vitriolum hoc graduatum vase clauso figendum est in pulverem rubicundissimum; fixatum denuò solvendum & coagulandum Aceto phil. ut iterum fiat volatile, uti Mercurius fixatus in suo Circulato iterùm volatilis redditur mediante vini phil. spiritu. Tandem Vitriolum destillandum est in suos spiritus. Ex cognitâ jam methodo palàm*

est

est Receptorum mysterium consistere in Aceto; quòd autem Isaacus non commune sed philosophicum intellexerit Menstruum, ipsius Isaaci verbis probabimus, ut omne removeatur dubium ab excellentissimis hisce menstruis. Nonne te docui, *ait*, quo pacto omnia metalla per Alembicum trahes, ita ut omninò destillent in oleum ut nihil relinquant, aut quicquam remaneat. Id verò solùm facit fortis Spiritus Aceti, & efficit ut perfectè sint (*metalla*) separata & rectificata à fæcibus suis intùs & foris, ut te docui, ac ut interiùs foris stet, ac exterius intùs, ac tum adeò resoluta & subtilia sunt, ita ut elementa à se invicem non sint separandâ. Quamvis autem media quæreres quæ in orbe reperiri possunt ad hæc elementa separanda non posses efficere, ob eorum subtilitatem, munditiem & resolutionem. Cumque tum apud se habent subtile Acetum penetrans, omne simul per Alembicum cum Aceto transit. Si verò igni admoveres, ac nullus (*non in sufficienti quantitate*) Spiritus Aceti adesset, statim simul fixarentur (*Metallum & Acetum*) ac quia Acetum copiosè in eorum mundo, aperto subtili corpore est, destillant in oleum, & spiritus Aceti apud ipsum corpus fixantur. Scies autem spiritum Aceti præ omnibus rebus quæ in mundo sunt subtilem esse, imò millies subtilior est quàm quinta Essentiâ Aquæ vitæ: Nullis vasis contineri potest, sed facilè dimidia ex parte fixus est, ideo facilè fixat rem, ad quam adhibetur, quemadmodum in vegetabili (*opere*) demonstratur, ubi de Vino, ejusque natura sermo est, ibi satis docebere quid Acetum sit, ejúsque spiritus, quomodo omnia solvuntur & ascendant, efficiat. *Cap.* 77, 78. 2. *Oper. miner. Pag.* 477. *Volum.* 3. *Theat. Chym.*

Scias, *inquit alibi*, hoc esse maximum in hac arte secretum partes enim mediæ Aceti tantæ virtutis sunt, ut sit incredibile magna sua subtilitate. Nam admodum subtile & penetrabile efficitur omne cui miscentur. Quare Lapidem (*Philosophorum*) millies subtiliorem reddunt, quam anteà fuerat, & penetrabiliorem, ac partes subtiles se permiscent cum Lapide, sunt enim unius naturæ, ac utraque munda sunt & subtilia, ac permiscentur inter se ut aqua cum aqua, estque medicina ejus naturæ, ut omne cum quo permiscetur fixum reddat, atque naturæ suæ in qua est; atque hoc pacto fixantur partes subtiles (*Aceti phil.*) in Lapide (*philosophico*) ac efficiuntur in Lapi-

de una natura, atque Lapidem tam fusibilem efficiunt, quam Artifex cupit, prout Lapidem sæpe solvit in Aceto ac congelat, prout enim multi vel pauci spiritus in Lapide remanent, eo fit medicina fusibilior. Quare filium meum docui quo pacto Lapidem suum tam fusibilem possit efficere, ut eo Mercurium ad Solem & Lunam perducere possit; éstque magnum secretum paucis notum; lectionem hanc sedulò perlege quæ virtus Aceto insit, ac quid materia media Aceti effici possit. *Cap.* 51. 1. *Oper. min pag.* 337. *Vol.* 3. *Th. Chym.*

Acetum, quod millies subtilior est quintâ Essentiâ Aquæ vitæ sive Vini philosophici spiritu: Cujus Aceti spiritus ipsum Lapidem Philosophorum millies subtiliorem reddunt; unius naturæ sunt cum eo; & omne cui permiscentur fixant; non commune sed aliud excellentioris qualitatis menstruum esse vosmet ipsi dicetis. Hoc Aceto insuper Lapidem toties solvit & coagulat Isaacus usque concrescat in oleum quod ampliùs congelari nolit. Cap. 51, 97, 107. *ejusdem libri. Eodem Aceto metalla etiam pinguia reddidit & transmutavit in olea; sic Aurum solvit & congelavit toties semper in Aceto recenti, donec ex eo factum fuerit oleum rubrum instar atri sanguinis, uti cap.* 54. *ejusdem libri. Aliquandò etiam eodem Aceto Aurum redegit in consistentiam insignis alicujus olei albi, ex quo deinde destillavit spiritum album & oleum rubrum invicem separata & impermiscibilia, adeò subtilia ut Artistam admonitum voluit ut sibi caveat, ne nimia rectificatione olea hæc iterum indurescant, siquidem tum fortiori igne pressa maxima pars eorum vitrum penetraret præ magna subtilitate & ita amitteretur. Cap.* 126, 128. 1. *Oper. miner. pag.* 406. *Vol.* 3. *Th. Chym.*

Quis talia & tanta expectabit ab Aceto communi? Idem Acetum quod Aurum metallum fixum solvit & divisit in spiritum & oleum, constitutiva Lapidis ex sole solo; idem requiritur etiam ad Vitriolum fixatum solvendum & destillandum in spiritum & oleum constitutiva Lapidis ex Vitriolo solo, de quorum confectionibus libro tertio de Tincturis alchymicis.

Oleum istud Vitrioli noctu lucere testatur Trismosinus, qui dictum oleum ità descripsit

127. Oleum

127. Oleum Vitrioli noctu lucens Trismosini,

Libro Gangeniveron sive novem Tincturarum in Tinctura prima.

℞. VItrioli Ungarici optimi libras duodecim, tere, solve aqua pura, & clara, vel pluviali destillata, sines fæces subsidere, solutionem decanta in patinam vitreatam, in pelvi æneo arena pleno situatam, dictam pelvim pone in Balneo, & abstrahe aquam ad cuticulam; sine refrigescere, & quiescere per triduum in loco frigido, & interea temporis accipies lapillos virides, quos exime; residuum denuò abstrahe ad cuticulam, & pone ad cristallisandum, & hoc repetatur septies. Lapillos pone in hypocausto ejusdem caloris ac solis tempore caniculari, & in tali calore facessent in pulverem album. Vitriolum ita præparatum in Cucurbita cum collo longo, bene sigillato, pone in cineribus, quibus subpone lampadem, ita ut calor non excedat solem martialem; sic tamdiù relinquatur, donec Vitriolum incipiat flavescere, flavo autem facto, auge ignem Lampadis per gradum unum, & sic relinque per decem dies & noctes vel usque incipiat rubescere; tum iterum in Lampade ignem adauge per gradum alterum, & sic continua usque materia penitus rubicunda facta, Rubini instar, tum ignem adhuc auge per decem dies, & occultum Vitrioli jam manifestum, & in sua rubedine ceu materia adhuc volatili præparatum est. Rubedine autem sic permanente exime vitrum ex cineribus, & materiam ex vitro, & pone in vitro magis solido & forti, cui affunde Acetum optimum bene rectificatum, bene cooperi, pone in Balneo, ita maneat per quatuor dies, quotidiè tamen agitando ter vel quater materiam spatula ex ligna corylino; sine refrigescere; Acetum decanta in aliud vitrum, novum funde super materiam, digere in Balneo ut suprà, hoc itera novo Aceto ter, Acetum decantatum leniter abstrahe usque materia maneat in forma salis in fundo, cui affunde novum Acetum acre, pone per quatuor dies in Balneo ut

anteà ad dissolvendum, idque repetatur toties, usque sit absque omni residentia. Tum coagula materiam in pulverem siccum, & pone in Cucurbita vitrea orificii majoris & Alembici amplioris; Recipiens autem jaceat in vase aquâ pleno, juncturis optimè clausis destilla igne aperto, attamen per quatuor horas valdè leniter, posteà fortiter, & ascendent spiritus flavescentes, qui dicuntur Aër, ignem continua in eodem gradu usque dum Alembicus rubescere incipiat; tum ignem urge ut Alembicus fiat sanguinei coloris, tum ignem adhuc auge, ita ut vitrum candeat ferri igniti instar, quod in eo retine calore, usque Alembicus fiat nivei coloris, tum adhuc fortius ignem urge ut Alembicus iterum fiat clarus & pellucidus, tum sine refrigescere, remove Recipiens, & oleum funde in vitrum purum, quod bene occlude, & habebis verum Vitrioli oleum nocte dieque in locis tenebrosis lucens quod custode bene prò necessitate tua. Scias autem in fundo reperiri sal album & pulchrum quod oleo suo rubicundo, &c.

Hoc Trismosini Receptum in omnibus fere convenit cum descriptione menstrui ex vitriolo Isaaci, adeò ut etiam ab Isaaco mutuatum mihi videatur, præsertim cum eadem Isaaci Phraseologia de Vitrioli calcinati rubedine volatili *retenta fuerit, itaque quæ superiùs in Isaaci menstruum animadversa fuere, huc etiam pertinent, addidimus autem istud eo quod Trismosinus Oleum istud in tenebris lucere, nos certiores reddit, de qua menstrui sui qualitate Isaacus siluit.*

Ripleus hujus Generis Menstrua confecit hoc modo.

128. Circulatum majus Riplei,

Pag. 395. *Accurtationum*,

TEmpus veræ putrefactionis & alterationis fit sex hebdomadum spatio, quod tamen breviori tempore fieri potest, ut per medium tempus accurtetur, & hoc per acuitionem Aquarum nostrarum Mercurialium hoc est Aquæ albæ & rubeæ (*lactis & sanguinis Leonis viridis sub* No. 59.) cum Mercurio communi sublimato, quod sic fac. Fixa & calcina Mercurium sublimatum, & ipsum solve in Mercurio nostro albo vel rubeo.

rubeo (*dicti menſtrui*) ita ut totum ſit aqua una & vera, quæ aqua ſic acuta habet poteſtatem putrefaciendi & alterandi omnem calcem metallorum in ſpatio trium hebdomadum, & hac de cauſa, quia in illa aqua duo tunc conjunguntur ignes, ſcilicet Naturæ & contra Naturam ſimul.

Mercurius communis Aceto phil. vel menſtruo aliquo minerali diſſolutus, vel ſublimando per modum Circulati majoris Paracelſi, vel calcinando per modum Vitrioli in rubedinem calcinati Iſaaci fixatus, denuò ſolvitur menſtruo fætente & deſtillatur per Alembicum. Methodo qua Mercurius, eadem etiam reliqua Metalla mineraliáque redegit in Circulata majora. Ità

129. Acetum acerrimum metallicum Riplei.

Pag. 266. Clavis Aureæ Portæ.

HAbitis igitur iſtis duobus Mercuriis albo & rubeo (*menſtrui fætentis*) practicabis cum illis aut ſuper propriam terram (*vel caput mortuum dicti menſtrui*) aut ſuper calces Metallorum præparatorum, nam de Terra non eſt curandum, modo ſubſtantia ejus fuerit fixa. Accipe igitur quemcunque illarum in albedinem alteratam & fermenta hoc modo. Ad album opus ſume calcem lunæ, & Terram alteratam (*calcem philoſophicam menſtruo minerali confectam Lunæ*) in æquali portione, tere inſimul, & tempera cum albo mercurio quem nominamus Lac Virginis (*in Leonis viridis deſcriptione*) optiméque ſublima, ſerva & collige non fixum, tantum ſcilicet quantum aſcendit album & adhærens partibus vitri inſtar mercurii ſublimati, nam hic eſt noſter ille Mercurius ſublimatione factus ex alba Terra alterata. Hanc denuò ſuper proprias calces temperando cum lactè Virginis, deſtillando & ſublimando tere donec omninò fixetur, ita ut nullo modò poſſit ab igne moveri. Hic eſt Mercurius ſublimatus & fixatus, pro quo ſtulti aſſumunt ſibi communem illum ex communi Vitriolo & ſale ſublimatum, in quo plurimum errant. Hunc pone in circulatorium & ſuperfunde Lac Virginis donec tegatur, deinde circuletur, & deſtilletur per alembicum. *Exem-*

Exemplum confectionis terræ alteratæ metallorum dictæque terræ fixationis modum dedit in Vitriolo.

℞. Vitriolum calcinatum in cineres (*colcothar com.*) contere in subtilissimum pulverem, pone in urinali, infunde Lac Virginis (*fumum album menstrui fætentis*) usque quo tegatur illo, claude urinale, cum panno linteo, stetque per octo dies, deinde adde tantundem prioris Lactis, repetendo ab octo diebus ad octo. Cum verò nihil ampliùs ebiberit, quiescat in frigido bene clausum, quousque Terra quædam cristallina, instar oculorum piscium in illius apparebit superficie. Hanc separabis à partibus crassioribus, residentibus in fundo, ponasque (*istud vitriolum graduatum non quidem vini phil. spiritu, nec Aceto philosophico; sed menstruo fætente confectum*) in ovo philosophico ad discrete digerendum (*calcinandum*) donec perfectè fixetur, deinde auge ignem, donec perfectè citrinetur, & adhuc auge ut rubescat in modum & colorem sanguinis Draconis.

Tandem pro colophone addemus Circulatum majus è sulphure confectum Isaaci quod, cum in sui gradatione, fixatione & volatilisatione clarissimum sit, quæ in antecedentibus fortassis obscuriora manserunt, illustrabit, & hujus Generis Recepta clariora reddet.

130. Circulatum majus è sulphure Isaaci,

Cap. LXXXVIII. 3. Oper. min.

℞. SUlphuris Ungarici vel Hispanici libras decem vel duodecim, præpara in lapide cum Aceto destillato (*phil.*) utì pictores solent colores suos, desuper affunde bonam quantitatem Aceti (*prædicti*) pone in Balneo, agita bene spatula lignea, coquatur vase clauso in Balneo per sex vel octo dies, quotidiè movendo ter vel quater, tum sine ut refrigescat & subsideat. Acetum tinctum filtra, affunde novum, opus hoc toties reïtera usque non ampliùs tingatur Acetum. Omne tinctum Acetum abstrahe in Balneo, ità ut remaneat pulvis aurei coloris in fundo. Pulverem hunc Aceto ut anteà præpara & extrahe,

trahe, ſolutionem filtra, & abſtrahe uſque tandem nullas poſt ſe relinquat fæces, tum abſtrahe Acetum ut reſidua materia maneat in forma pulveris.

℞. Pulveris hujus partem unam, ſalis præparati partem unam, Vitrioli Romani exſiccati partes ſex, miſce hæc omnia bene, & ſublima per gradus primò igne leni, deinde fortiori, tandem fortiſſimo per duos dies. Sublimatum propriis fæcibus commixtum ſublima ter, tum abjectis fæcibus ſublima cum novis ſpeciebus, iteráque opus ter per omnia. Jam ſolve ſublimatum aqua ſolvente ad rubeum (*cujuſcunque deſcriptionis in Genere* 20.) abſtracta aqua ſublima, affunde novam Aquam & ſublima, idque fac tertio. Jam hujus ſublimati recipe partes ſeptem, calcis ſolis partem unam, & ſublima. Iſtud ſublimatum in ovo philoſophico ex auro, confecto (nam ex vitro ad hoc opus minùs valeret, quoniam ceræ inſtar molle inde redderetur) poſitum, occlude bene, & in tripode ſpatio octodecim ſeptimanarum ad figendum pone, attamen primis ſex ſeptimanis, igne leni, ſequentibus ſex fortiori, ultimis fortiſſimo. Finitis his octodecim hebdomadis materiam (*fixatam*) exime, reduc in pulverem, cui in ſolutorio affunde de aqua noſtra rubra ardenti (*de prædicta Aqua ſolvente ad rubeam*) ana, ſigilla vel occlude vas valdè bene, fac ſolvatur & ſubſideat, tum exime & deſtilla per alembicum in Balneo parvo admodum igne. Oportet ut Recipiens ſit bene lutatum, & Alembicus in ſuperiore parte habeat fiſtulam, nam ſexies deſtillandum eſt, ſemper cum nova Aqua rubea, & materia tua tandem evadet ſpiſſa inſtar mellis, quam deſtilla ex cineribus cribratis per gradus, & aſcendet aër Aquæ inſtar, poſteà mutato recipiente deſtillabit oleum aurei coloris deaurans Alembicum, ut & Recipiens; in eodem maneat calore uſque Alembicus fiat ſanguinei coloris, tum amove Recipiens, quod ſubitò obtura, aliudque appone, & auge ignem ulteriùs per viginti quatuor horas, ita ut capella candeſcat, in quo calore maneat per 12 horas, & aſcendet materia rubra ſanguinis inſtar, tandemque ac fumus rubeus. Spiritibus his non ampliùs apparentibus fac ut vaſa refrigeſcant, ſerva deſtillatum, fæces autem reverbera, &c.

Ex-

Ex Receptis hæc ſunt quæ annotamus,

1. *Menſtrua hæc ex Vitriolis graduatis metallorum, vaſe clauſo fixatis; talem obtinere locum inter menſtrua mineralia qualem Circulata majora Paracelſi inter menſtrua vegetabilia. Solvite prædicta Circulata acido aliquo ſpiritu, & ex tempore hujus Generis conficietis menſtrua.*

2. *Menſtrua hæc eſſe medicamina, Arcana volatilia, dicta, acido diſſoluta.*

3. *Vitriolum graduatum Veneris præ cæteris ſingularia quædam poſſidere privilegia.*

1. *Quod in horum Menſtruorum deſtillationibus præter ſpiritum & animam, corpus fixum poſſideat, quo antedicta duo volatilia figenda ſunt in Lapidem; reliqua verò Metalla mineraliáque redacta in vitriola graduata corporibus fixis careant, & in duo tantum ſpiritum & animam dividentur; quoniam verò pro horum fixatione aliunde corpus aliquod fixum mutuari neceſſum habuerint Adepti, ideò ſæpe ſæpiùs affirmavere Lapidem ex vitriolo ſolo abſque omni additione confici poſſe ita in antecedentibus habuimus Iſaacum dicentem:* Deus talem benedictionem Vitriolo conceſſit, ut ex eò ſolo Lapis Philoſophorum confici poſſit, abſque additione, transferens omnia metalla in verum ſolem, ſed oleum ejus cum Terra (*ſua, ſive corpore*) fixandum eſt, id verò ita non fit de metallis, illorum enim Terra unâ deſtillat per Alembicum.

Sed quis hic non obſervat verba hæc, abſque omni additione, *de omni aliena, adeóque cum reſtrictione quadam intelligenda eſſe? Etenim iſtud Vitrioli oleum rubicundiſſimum, noctu lucens, & quod ſale ſuo figendum eſt in Philoſophorum Lapidem ex Vitriolo ſolo, eóque crudo, menſtruis philoſophicis non graduato, minimè obtineri poteſt.*

Præterea quemadmodum ſimilè Oleum ex Auro deſtillatum, fixatum verò in ſui ipſius parte purificata, at non volatiliſata, dicatur ab Iſaaco Lapis ex ſolo ſole, ubi tamen ad ejus confectionem uſus fuerit ſuo Aceto philoſophico; ita Lapis ex Vitriolo ſolo abſque additione dici poteſt, etiamſi idem Acetum in ſua confectione fuerit adhibitum.

Tandem ex omnium ferè Menſtruorum Generibus clarum eſt, nullum

nullum Aridum (id est, materiam siccam & incombustibilem) absque Menstruo oleoso reduci posse in oleum, cum unctuositatem hanc ab unctuoso Vini phil. spiritu recipere debeat.

2. *Quod vilis pretii sit, adeóque Lapis quem nobis Deus gratis dedit ab Adeptis dicatur.* Hoc opus, *inquit Isaacus*, pauca materia aggredi non potes; debes ad minimum quatuor aut quinque libras materiæ (*Auri vel Argenti*) habere, si alioquin, opus insufficiens foret. Nam pauperum opus non est, nisi forte Lapis gratis à Deo nobis concessus haberi posset. Tum alii sumptus faciendi non sunt, præterquam vasorum, carbonum, & alimenti, donec Lapidem præparassemus. Ac duo Lapides quos Deus gratis donavit pro albo & rubeo, dimidia parte temporis tantum opus habent, quantum materia quæ sumenda erit, præparationum causa, nam antequam ad sublimationem ventum sit, Lapis gratis nobis donatus jam ferè ad fixationem perductus est. *Cap.* 17. 1. *Oper. mineral. Pag.* 313. *Vol.* 3. *Theat. Chym.*

Idem affirmatur à Basilio dicente: In Auro nulla inest humiditas, nisi reducatur in Vitriolum (*graduatum*) quod opus sanè esset nullius frugi & utilitatis, ut & multi sumptus, ob magnam Vitrioli quantitatem, unde Lapis Philosophicus conficiendus esset, & quamvis detur in Vitriolo Auri spiritus desideratus qualitatis albæ & anima & sal gloriosæ Essentiæ, sed quot Provinciæ, Terræ, & Bona hoc modò fuere dilapidata, enumerare nolo, sed hanc meis Discipulis do admonitionem, ut breviorem sequantur Naturæ viam, ne quoque in extremam & inextricabilem incitent paupertatem.

Si intendatis itaque, *pergit*, ex Vitriolo solari conficere Lapidem Philosophorum, ut multi quidem nituntur, consulite cum crumenis vestris, & decem vel duodecim præparate hujus Vitrioli libras, & tum vestrum perficietis opus; ubi tamen Vitriolum Ungaricum vel aliud sufficeret.

3. *Quod sit Aurum nostrum Auri vulgi tincturà plenum.* Vitriolum viride, *inquit Ripleus*, stillicidium Veneris à multis Philosophis vocatur Aurum Romanum, propter abundantiam suæ nobilis Tincturæ, quod fermentari debet cum Auro vulgi. *Pag.* 140. *Medullæ philos.*

Est enim Vitriolum, *pergit*, nihil aliud, quàm stillicidium Cupri, in mineris, ubi generatur Cuprum, ut dicit Bartholo-

 mæus

mæus (*monachus & Philosophus Anglus*) & quamquám habeat ad mirabilem rubedinis tincturam, inficitur tamen Tinctura illa immunda terrestreitate, quæ illius macula originalis vocatur, quæ prohibet ne Aurum & Argentum ex eo fiat. Ideò dicit Raymundus, fac ut virtutes terrestres non obtineant super virtutes cœlestes (*solis & Astrorum reliquorum*) & habebis rem bonam in Vitriolo, *Pag.* 303. *Pupillæ.*

Arnoldus ut auream in Vitriolo vulgi ostenderet naturam Discipulo suo, id experimento quodam comprobare resolvit in speculo Alchymiæ, pag. 605. *Vol.* 4. *Theat. Chym. ubi ita per modum Dialogi Discipulus.* Miror, Præceptor bone quod tantum laudasti Æs, nescio an in eo sit tantum secretum, ego putabam quod esset corpus leprosum, propter illam viriditatem quam habet in se. Unde non desino mirari, quod dixisti, quod de hoc corpore Argentum vivum (*Menstruum*) debemus extrahere. *Magister.* Fili Scias, quod Æs Philosophorum est Aurum ipsorum, unde Aristoteles ait in libro suo: Aurum nostrum non est Aurum vulgi, quia illa viriditas quæ est in eo corpore est tota perfectio ejus, quia illa viriditas per nostrum Magisterium citò vertitur in aurum verissimum, ut de hoc experti sumus, & si vis probare, tibi regulam damus. ℞. Ergò Æs ustum bene & perfectè rubificatum (*commune in officinis prostans*) & imbibe cum oleo Duenech (*spiritu vini phil.*) septem vicibus, quantum bibere poterit, semper assando & reducendo (*cohobando & calcinando*) posteà fac ipsum descendere (*in Regulam liquefaciendo istud Vitriolum prædicto oleo impræg̃natum*) descendit enim Aurum purum sicut Grana (*Kermes*) rubrum & purum, & scias quod tanta rubedo descendit cum isto, quod tinget Argentum in aliqua quantitate, verissimo colore, &c.

Omnia proferre nimium foret quæ Philosophi de aurea dixerint vitrioli natura. Unicum pervolvite Basilium, præsertim quartum & quintum caput de rebus naturalibus & supernat. ut & Elucidationem 12 *Clavium, & Vitriolum invenietis omni Auro ab ipso magis æstimatum; Vitrioli veneris enim, martisque Tincturam multis Parasangis sulphure Auri esse meliorem docuit, non quidem in genere suo, nam una eademque ipsa est in omnibus, sed quod hæc in Veneris martisque Vitriolis tam naturalibus quam artificialibus sit altior nobiliorque in colore, abundantior in quantitate; facilioris separationis à suo corpore in præparatione, & minoris pretii in usu, quàm ipsa Tinctura in Auro latens.* 4. *Quod*

4. *Quod sit Aurum apertum, nondum fusum, adeòque facilioris præparationis.* Jamdiù laborasti, *inquit Isaacus*, antequam hæc materia subtilis & spiritualis effecta est, ita ut eam sublimare possis: Si verò Lapidem posses acquirere quem nobis Dominus gratis largitus est, eum non opus esset ita præparare: Sed statim sumeres ac intangibiliter pulverisares, ejusque immunditiem ablueres aqua communi, donec aqua inde pura & liquida deflueret, tum siccares iterum, ac paratus esset ut sublimandum poneres quare opus ejus brevius. *Cap. 22. Pag. 317. Vol. 3. Theat. Chym.*

Ut manifestius loquar, *inquit Ripleus*, dico quod in quantum corpus magis subtilè fuerit, tanto facilioris dissolutionis erit. Et ut de dissolutione ampliùs loquamur, intelligas quod debet fieri menstruo nostro Vegetabili, vel aliquo alio mediante vegetabili. Atque hic Mercurius Vegetabilis (*menstruum vegetabile*) non potest penetrare in corpus, ad finem ut perficiat dissolutionem illius, nisi corpus priùs fiat spongiosum. Cæterùm nullum plumbum ita spongiosum est, neque adeo subtilè ut est plumbum rubeum seu minium (*Vitriolum Calcinatum*) Ideoque si nostra spe frustrari non voluerimus, necessarium est, ut accipiamus plumbum rubeum, videlicet Antimonium præparatum, quod magis spongiosum est & subtilè quam aliud quodvis plumbum. Nam aqua (*vegetabilis*) statim penetrabit in eum, facietque dissolutionem partium subtilissimarum illius. Ut verò jam ulteriùs loquamur de corpore secundo, quod est Vitriolum Romanum, intelligas quod faciliùs est facere elementorum separationem in re complexionata, quæ nunquam anteà per ignis violentiam conflata erat in substantiam duram & compactam, quàm idem perficere in substantia in massam duram conflata, vel in substantia metallica & lapidea, in qua extinguitur virtus congelativa, ideóque respectu aliorum sit intractabilis, non mollis nec unctuosa atque per consequens solutioni ac separationi minùs obediens, est enim Vitriolum nihil aliud quam, &c. *Pag. 301. Pupillæ.*

4. *Per Lapidem quatuor præcipuè voluisse Adeptos in Chymia secretiori.*

1. *Materiam menstrui sive spiritûs vini phil. de qua Deo placente, in Libro quinto.*

2. *Quæcunque Menstrua, spiritu vini philos. confecta.* Sa-

tis exemplorum invenietis in menſtruorum Receptis vobis exhibitis.

3. *Quamcunque materiam Lapidis philoſ. ſic Aurum & Argentum paſſim dicuntur Lapides, per Lapides verò quos nobis Deus gratis dedit Iſaacus intellexit* Vitriolum pro rubeo & Alumen pro albo. *Cap.* 39. 3. *Oper. miner. Pag.* 67.

Habet quidem etiam præter hos, duos alios Lapides ex Arſenico & Auripigmento *ambobus graduatis, confectos, de quibus vide capita ſex priora,* 1. *Oper. & cap.* 112, & 113. 2. *Oper. miner. Sed de his ſuis in locis.*

4. *Quamlibet Tincturam alchymicam, etiamſi non in Lapidis ſed olei ſit forma.*

5. *Menſtrua ex Vitriolo vel Venere reliquis quidem præſtare in tingendi virtute, at non in diſſolvendi qualitate.*

XXIII. Genus.

XXIII. Genus.

Menstrua mineralia composita ex menstruis mineralibus compositis & corporibus metallicis, aliisque rebus tingentibus.

131. Oleum Martis & Veneris Basilii,

Libro de Conclusion. Sect. 1. Cap. 3.

℞. Viridis æris libras aliquot, & cum aceto destillato (*philosophico*) fiat extractio, quæ cristallisatur in Vitriolum nobile, ex quo per Retortam destillatur oleum rubrum, quod solvit Martem in Vitriolum. Ex hoc longo tempore & igne forti denuò extrahitur oleum rubrum, & sic simul habes sulphur Martis & Veneris. Hoc oleo gradatur Luna, & obtinetur bona pars coronæ Regis. Pars cum parte Solis & Lunæ simul fusa & in hoc oleo per octo dies & noctes putrefacta in bonum aurum mutatur. Laus Deo.

Annotationes.

Quanquam quodcunque menstruorum mineralium ad cujuscunque corporis dissolutionem perquam sufficiens sit; nihilominus tamen hæc magis adhuc acuere eligerunt Adepti, corporum metallicorum additione, ut eo meliùs dissolverent & tingerent dissolvenda. In præsenti Recepto Basilius Martem dissolvit in spiritu Veneris superius sub No. 113. *descripto, redigit in Vitriolum, tandémque in oleum compositum destillat. Sect. 2. Cap. 4. menstruum hoc nuncupat oleum salis Martis:* Jam te docui, *inquit*, pellucidum Vitriolum ex Venere extrahere, & oleum rubrum ejus

ejus destillare, hoc oleum solvit Martem in Vitriolum, & adhuc semel destillatum fortiter per Retortam, habebis oleum tingens nobile, seu sal Martis, quod subditus est qui tributum Regi solvit, eumque ditat. Hoc oleum solvit aurum spirituale purpureum, & per Alembicum traducit, &c. *Ex hoc oleo salis Martis, &c. Processus brevitate sua obscurior, non parum illustrabitur à sequente spiritu mercurii.*

132. Spiritus Mercurii universalis ex Vitriolo Basilii,

Labore 2. libri Revelat.

℞. CUprum commune, ex quo fac viride æris communi more, quod tere, cui affunde bonam quantitatem Aceti destillati (*philosophici, sive aceti cum spiritu vini phil. mixti*) agita bene, & solvetur viride æris, sine ut subsideant fæces, & solutio erit valdè pulchra, pellucida & viridis. Acetum in Cucurbita abstrahe ad crassitiem, & in loco frigido cristallisabitur Vitriolum grave ad summum graduatum, quod denuò solve in aqua calida, aquam evapora donec spissescat, pone iterum in loco frigido & denuò coagulabitur Vitriolum, quæ solutio & coagulatio repetenda est tertio, & Vitrioli purificatio perfecta erit. Ab hoc Vitriolo in catino sine evaporare phlegma, & calcina donec rubere incipiat, tum satis erit.

℞. Deinde silices puros, calcina, & exstingue candentes in Aceto destillato, reitera aliquoties donec bene calcinati sint. Tum denuò calcina & cum parumper refrixerint affunde acetum (*phil.*) calefactum, & fac ut sensim siccentur. Horum lapillorum sic præparatorum accipe partem unam, Vitrioli jam calcinati partes duas; trita misce, pone in Retorta terrea spiritus non absorbente, vel in Retorta vitrea bene lutata, appone Recipiens magnum & vase bene lutato accende ignem per gradus, per 24 horas, deinde administra ignem fortiorem per alias 24 horas, & prodibunt spiritus virides albi, & igne sic continuato tandem guttæ rubræ. Hunc ignem violentum con-

conſerva donec omnes ſpiritus & guttæ tranſiverint. His peractis, deſtillatum pone in Cucurbita, & vaſe bene clauſo rectifica ex balneo lentiſſimo igne, & aſcendet phlegma, in fundo autem Cucurbitæ manebit oleum Vitrioli rubicundum & grave. Peracto hoc labore,

℞. Limaturam ferri puram, cui in Cucurbita affunde dictum Vitrioli oleum ut ſupernatet, & adde tantum aquæ pluvialis deſtillatæ, uſque videas oleum ferrum ſolvere. Tum abſtrahe phlegma per deſtillationem, reſiduum ſine in loco frigido criſtalliſari in Vitriolum pulchrum, & ſic Mars & Venus conjuncti ſunt. Vitriolum hoc calcina ſub tegula, & agita ferreo unco in pulverem ſubtilem ſubrubeum. Pulverem hunc in Retorta vitrea bene lutata pone, & vaſis bene clauſis deſtilla per gradus ignis quemadmodum deſtillaſti oleum prædictum, & primò habebis ſpiritum album qui eſt Mercurius Philoſophorum; deinde ſpiritum rubeum qui eſt ſulphur Philoſophorum, oleum incombuſtibile ex ambabus Veneris & Martis Tincturis compoſitum nunquam ſeparandum, & eſt viridis & rubei leonis ſanguis quo Rex illorum pater cibari debet. Ab hoc oleo in Balneo abſtrahe phlegmata, & paratum eſt ut aurum eo tingatur.

℞. Caput mortuum quod pulchri & coccinei coloris eſt, tere in pulverem ſubtiliſſimum, pone in vitro & affunde Acetum deſtillatum (*philoſophicum*) digere per triduum in leni calore, ita ut ſal extrahatur, in quo latent theſauri totiùs mundi, abſque quo ſale omnis labor eſſet irritus; Acetum abſtrahe in cineribus, & ſal in vitro remanebit, cui in Retorta vitrea affunde oleum prædictum (*Veneris & Martis*) & ſal diſſolvetur ſtatim; tum deſtilla eadem violentia ut anteà, & oleum ſecum traducet proprium ſuum ſpiritum ſalis quod ſemel rectifica ex balneo, & decies fortius erit quàm anteà, & paratum habes oleum incombuſtibile ex Mercurio, Sulphure, & Sale ex una radice venientibus oleum hoc eſt vera prima materia metallorum, & vera radix ex qua aurum generatum eſt.

Hic Mercurii ſpiritus, Collaboratores, pluribus incautis vel nimis inconſideratè, vel arrogantèr eum inſequentibus, ſcientes loquimur, damno fuit, ne hoc fiat impoſterum ejus naturam, qualitates, & ortum manifeſtabimus aliquantulum clariùs.

Viride

Viride æris commune aceto in Vitriolum redactum, deinde aqua communi ter solutum & coagulatum, calcinandum est usque ad rubedinem in vase aperto, ut phlegma superfluum abstrahatur, & ad subsequentem destillationem aptius reddatur. Verum quis unquam viride æris purificatum, in officinis pharmaceuticis, flores viridis æris dictum calcinavit in rubedinem absque virium suarum diminutione? Quis inquam ex calcinato hoc pulvere destillavit oleum rubicundissimum? Non aceto communi ergò, sed philosophico dissolvendum venit viride æris, ut non solummodo purificetur sed redigatur etiam in Vitriolum ad summum graduatum. In genere vicesimo ex Vitriolo Romano altè graduato, id est, spiritu vini phil. vel macerato, vel penitus dissoluto Basilius destillat idem Veneris oleum rubrum, tam ponderosum ut plumbum, vel aurum; spissum ac sanguis, & igneæ qualitatis, id est, summæ aciditatis. In vicesimo primo genere idem Vitriolum cupri vel æris viride aceto communi purificatum, non quidem spiritu vini phil. per se, sed succo omphacino, id est, aceto com. aliove fortiori acido permixto, redigi in Vitriolum graduatum; hoc autem in Veneris oleum destillari annotavimus. Si metalla, mineralia, reliquáque arida acidis dissoluta & in Vitriola redacta, spiritu vini phil. vel aceto philosophico adeò graduentur, ut desiderata inde hauriri queant olea, quidnam in causa foret cur sola ex cupro confecta Vitriola carere debeant dicto privilegio, non facilè percipi potest. Perinde autem erit ac si Vitriolum graduatum reddatur juxta methodum sub No. 113. *datam, vel juxta Recepti præsentis præscriptionem, ex utroque idem spiritus & oleum prolicitur.*

Confecto autem hoc Veneris oleo, & aqua communi diluto ferrum redigitur in Vitriolum graduatum, quod etiam Vitrioli Veneris instar calcinandum est in rubeum colorem, posteáque destillandum in spiritum album & oleum rubeum.

Methodus hujus operationis extat libro particul. in particulari Martis sic: ℞. Olei rubei Vitrioli partem unam, aquæ fontanæ partes duas, misce, quo dissolve limaturam chalybis; solutio calidè filtranda est, quam evapora leniter ad tertiæ partis consumptionem, & in loco frigido accipies cristallos sacchari instar dulces, verum (*id est, graduatum*) Martis Vitriolum, à quo decanta solutionem, hanc abstrahe parumper, & in loco frigido novas habebis cristallos, quas leniter sub tegula calcina, movendo continuè spatula ferrea, in pulverem purpurei coloris, cui

cui affunde acetum destillatum (*phil.*) extrahe animam (*Tincturam vel Essentiam*) Martis, abstrahe acetum, & edulcora animam. Hæc est illa anima Martis quæ spiritu Mercurii dissoluta, & cum anima Solis unita Lunam tingit in Solem.

Sed de his inferiùs; Vitriolum Martis graduatum & in pulverem purpureum calcinatum in nostro Recepto, absque suæ animæ extractione destillatur in Mercurium Philosophorum & sulphur Philosophicum, verum Martis & Veneris Oleum, menstruum proxime antecedens sub No. 131. *ex quo ut præsens Mercurii spiritus fiat, ex capite mortuo aceto philosophico extrahendum est sal, quod Martis & Veneris oleo commixtum & insimul destillatum per alembicum, dicitur prima metallorum materia.*

Aliquandò loco dicti salis ex capite mortuo extracti Basilius usus est sale & sulphure Solis. Ita fit

133. Oleum Martis & Veneris sulphure & sale Solis acuatum Basilii,

In supplemento.

℞. AUri purpurei coloris (*Croci Solis*, des Konings purpur Mantel) unciam semis, Olei Mercurii Philosophorum (*olei Martis & Veneris*) unciam unam semis, fiat dissolutio, cui adde salis Solis drachmas duas; omnibus resolutis in oleum, id rectifica per Retortam, ut evadat clarum & pellucidum.

Basilius pro spiritu Mercurii universalis Cuprum aceto philosophico dissolutum, & cristallisatum in Vitriolum graduatum, leni calcinatione redegit in verum Veneris crocum, sive pulverem rubeum: Ferrum autem Veneris oleo (destillato ex dicto Veneris croco) dissolvit, cristallisavit, & calcinavit in Martis Crocum. Pro præsenti menstruo requirit Aurum Balneo Regis (sub No. 89.) *dissolutum, redactum in Vitriolum volatile graduatum, quod porrò aqua destillata dissolutum cum triplo argenti vivi ex menstruo præcipitat, amalgama autem inde productum leniter sub tegula calcinat in pulverem vel Crocum purpureum, de cujus con-*

fectione hîc per transennam quasi, cum in sequentibus secundo & tertio libris ex professo de hac tractaturi simus. Salis Solis confectionem ita descripsit libro Particul. in Particulari Solis: ℞. Corpus album Solis relictum in extractione ejus animæ, (*Essentiæ ex Croco Solis spiritu salis dulcis sub* No. 28. *descripto extractæ*) id leniter reverbera per mediam horam, ut corporale reddatur, tum affunde Aquam corrosivam mellis bene rectificatam quod in leni calore extrahet sal, quod fiet spatio decem dierum. Toto sale extracto abstrahe inde menstruum in Balneo, sal autem iteratis cohobationibus communi aquâ destillatâ edulcora, tandémque id clarifica spiritu Vini (*phil.*) & habebis sal auri.

De hac Aqua Mellis Basilius in Curru Triumphali Antimonii, Pag. 77. *ita:* Ex Melle dulci summum Corrosivum & Venenum fieri potest quod plurimis incredibile est. *Idem testatur Paracelsus inquiens:* Simile quid intelligendum est in Melle, quod elevationibus suis omni Aqua forti & Corrosivo longe fit acutius, & sublimato quovis penetrantius, talem à Natura proprietatem acuitatis non habet, verum ex elevatione, quæ hoc Mel immutat in Corrosivum, *libro* 5. *Archid. pag.* 18. *& alibi Cap.* 14. *de morbis tartar. pag.* 319. Mel per se innoxium est, sed in elevatione tertia fit lethale.

Confectio hujus aquæ quidem non extat in eis, quæ habemus, tam Basilii quàm Paracelsi scriptis; quam facilè tamen discet sedulus discipulus ex artis suæ principiis; etenim vel dissolvatur Cœlum mellifluum Parisini in Aceto destillato aut fortiori acido quodam: Vel cohobetur Mel crudum in Aceto Philosophico, id est, communi, cum spiritu vini phil. mixto, & labor erit brevior & melior. Intereà hoc auri sal confici quoque potest absque dicta Mellis Aqua, modò menstruum satis sit corrosivum ut Auri corpus residuum dissolvere queat, ita in labore tertio Revelat. caput mortuum auri reverberat per tres dies, deinde calcinat cum æquali pondere salis Tartari, quod aqua destillata abluit, & pulvere exsiccato extrahit cum aceto sal, quod aceto abstracto clarificat spiritu vini, id est, dissolvit, filtrat, abstrahit & cristallisat in verum sal Solis. Alibi id sal auri extrahit spiritu Mercurii universalis uti in Elucidatione 12 *Clavium, ubi asserit: Ipsum Philosophorum Lapidem coagulari vel figi non posse absque hoc sale; ejusdem autem confectionem se dedisse in quarto clavi.*

Per

Per oleum mercurii philosophorum intelligit Martis & Veneris oleum nondum in spiritum mercurii universalis redactum, vel sale suo proprio acuatum, & hujus quidem menstrui partem fixiorem quod sulphur philosophorum vocat, non volatiliorem quæ mercurius philosophorum dicitur. Sulphure hoc animam vel crocum solis dissolvit & in aurum potabile redigit, libro de supernaturali medicina. Aliquandò tamen per idem oleum Mercurii intellectum voluit oleum Vitrioli Romani, menstruum sub No. 98. *descriptum; ita libro de particular. in particulari Solis*, corpus album Regis (*auri in extractione animæ vel croci Solis derelictum*) philosophico Sulphure, quod in ordine est secundum principium, & spiritu Mercurii (*paulo anteà spiritu albo Vitrioli dicto*) extractum, reducit in aurum pulchrum & malleabile ut erat priùs, in colore & virtute minimè defectivum.

Aliquandò ipsum spiritum Mercurii universalis acuit sulphure & sale aliorum metallorum sic;

134. Spiritus Mercurii universalis sulphure & sale Lunæ acuatus Basilii,

Libr. Partic. in Particul. Lunæ.

EXtracto sulphure Lunæ & edulcorato, residuum calcis Lunæ exsicca, cui affunde eandem Aquam corrosivam Mellis, qua usus fuisti pro sale Solis, digere leniter per quatuor aut quinque dies, ut extrahatur sal Lunæ, quod cognosces ex albedine Menstrui. Toto sale extracto abstrahe Aquam Mellis, sal edulcora destillando & clarificando cum spiritu vini (*phil.*) Residuum in extractione salis Lunæ derelictum edulcora & exsicca, tum affunde spiritum Tartari, digere per quindecim dies, & procede utì cum auro, & habebis mercurium Lunæ (*de quo libro secundo, nam eo hic non utimur*) dictum sal Lunæ excellentes possidet virtutes pro corpore humano, de quibus agam loco magis convenienti. Intereà efficaciam salis & sulphuris Lunæ disces ex processu sequenti.

℞. Sulphur lazurinum Lunæ, spiritu vini (*phil. rectificatum,*) dissolutum & coagulatum, pone in Cucurbita, affunde

duplum ſpiritus Mercurii ex ſpiritu albo Vitrioli, confecti; ſimiliter accipe ſal Lunæ extractum & clarificatum, quod commiſce cum triplo ſpiritus Mercurii, luta ambo vitra, & in Balneo leniter digere per octo dies & noctes; cave ne aliquid pereat de ſulphure & ſale, ſed maneant in eadem quantitate, qua ſeparata fuerint ex Argento. Finita putrefactione ambas diſſolutiones miſce & deſtilla, &c.

Aliquandò hunc ſpiritum acuit abſque ſale metallico & ſulphuribus tantùm ita;

135. Spiritus Mercurii univerſalis ſulphure Solis & Lunæ acuatus Baſilii,

Libro Particul. in Particul. Lunæ.

℞. SUlphuris Lunæ partem unam, ſulphuris Solis partem ſemis, ſpiritûs Mercurii partes ſex, conjunge hæc invicem, luta bene, digere in calore leni, & evadet liquor rubicundi coloris, deſtilla per Alembicum ut nihil remaneat.

Non ſolùm fermentavit hunc ſpiritum Mercurii ſulphuribus corporum perfectorum, ſed his ſuperaddidit aliquando ſulphur alicujus metalli imperfecti, utpote Martis. Ita

136. Spiritus Mercurii univerſalis ſulphure Solis & Martis acuatus Baſilii,

Libro Partic. in Partic. Solis.

℞. SUlphuris Solis & ſulphuris Martis ana partes æquales, ſpiritus Mercurii ad duorum digitorum ſupereminentiam, ut materia bene diſſolvatur in aquam auream rubini coloris, mixta deſtilla per Alembicum, ut fiat unum quid, quemad-

admodum ab initio erant ex uno ſtemmate, ſerva bene ut nihil evaporet.

Aliquandò præter ſulphur Martis etiam addidit ſulphur Antimonii. Ita

137. Spiritus Mercurii univerſalis ſulphuribus Solis, Martis, & Antimonii acuatus Baſilii,

Libro Partic. in Particul. Antimonii.

℞. SUlphuris Antimonii partes duas, ſulphuris Solis partem unam. Miſce. ℞. Sulphuris Martis partes tres, ſpiritûs Mercurii partes ſex, digerantur bene lutata ut ſulphur Martis diſſolvatur totaliter; tum injice quartam partem de ſulphure Antimonii & Solis, luta iterum & digere uſque dum fuerint omnia diſſoluta, tum alteram quartam partem Antimonii & Solis adde, reïterando opus ut anteà donec omnia optimè ſint commixta, & materia reddita inſtar olei craſſioris rubicundi, deſtilla totum per alembicum.

Aliquandò fermentavit hunc ſpiritum per modum inuſitatum, videlicet abſque omni ſulphure metalli perfecti, ſed meris imperfectis tantum. Ita

138. Spiritus Mercurii univerſalis ſulphure Martis, Jovis, & Saturni acuatus Baſilii,

Libro Partic. in Partic. Mercurii vivi.

℞. ANimæ Martis uncias duas, animæ Saturni unciam unam, animæ Jovis unciam unam, diſſolve in ſpiritûs Mercurii unciis ſex, bene diſſoluta deſtilla per Alembicum abſque omni reſidentia in aquam auream tranſparenti diſſolutioni auri ſimilem.

Quam-

Quamvis hæc Basilii Menstrua inter Adeptorum dissolventia facilè primum mereantur locum; fuere tamen Adeptorum quidam, qui Menstrua dictis illis haud multum inferiora confecerunt. Isaacus Hollandus ut corpora non tantum meliùs dissolveret sed altiùs etiam tingeret sua composuit menstrua ex menstruis tingentibus & Mercurio vulgi quidem, sed rerum tingentium tincturis (animis, sulphuribus, &c.) satiato. Ita composuit menstruum quod dicitur

139. Aqua Mercurialis ad rubeum Composita Isaaci,

Cap. XLIII. 3. Oper. min.

℞. ARgentum vivum sale & aceto ablutum, quod sublima per Æris usti, croci Martis, croci Veneris, & lapidis hæmatitidis ana Vitrioli Romani ad pondus omnium, & parum salis; iteraque sublimationem septies, quamlibet semper per novas & recentes species, & Mercurius sublimatus erit ad rubeum.

℞. Æris usti, Cinnabaris, croci Martis, Veneris, Lapidis hæmatitidis, Antimonii ana partes æquales, Vitrioli Romani ad pondus omnium; misce fiat pulvis subtilis, cui affunde Aquæ Vitæ summè rectificatæ (*spiritus vini phil.*) ad duarum palmarum eminentiam, in B. digerantur per tres dies, indies movendo materiam, posteà igne leni abstrahatur Aqua Vitæ, deinde augeatur ignis gradatim, tandem igne fortissimo per 12 horas urge ut omnes ascendant spiritus. Opus hoc ter reiterandum est cum materiis semper renovatis.

℞. Hujus Aquæ libram unam, Argenti vivi ad rubeum sublimati quantum sufficit, vel dissolvere potes; destilla & reserva.

Aliquandò præter Mercurium addidit quoque sulphur & sal armoniacum ad rubeum sublimata. Ita fit

140. Aqua

140. Aqua Philosophorum ex tribus spiritibus Isaaci,

Cap. X. 3. Oper. min.

℞. VItrioli Romani partes sex, Lapidis hæmatitidis, croci Martis, Veneris, Cinnabaris, Æris usti, Antimonii mineralis ana partem unam, siccata bene misce, & positis in retorta affunde Aquæ vitæ rectificatæ (*spiritus vini phil.*) libras quatuor, destilla & cum capite mortuo pulverisato cohoba ter. Aquam divide in duas partes, quarum unam serva, in altera dissolve in Balneo unciam unam salis armoniaci ad rubeum sublimati, quo soluto, dissolve unciam sulphuris præparati, tandem & unciam Mercurii ad rubeum sublimati injice, solutis his tribus in Aqua solvente ex Aqua Vitæ confecta, habes Aquam, quæ meritò Philosophorum dicitur, ob mirandas & secretas ejus vires, quarum miracula non describenda sunt, quia non convenit ob certas causas, &c.

Præparatio Sulphuris. ℞. Sulphuris vivi libras XII. cui pulverisato affunde Acetum destillatum (*philosophicum*) ebulliant lentè in Balneo, vase optimè clauso per tres dies. Acetum jam tinctum cautè decanta. Residuo novum affunde Acetum, digere & decanta, totiésque repete donec non ampliùs tingatur Acetum. Tinctum in Balneo leniter destilla ad quartæ partis residentiam, ex residuo spatio trium vel quatuor dierum in cella frigida cristallos (*Vitriolum graduatum Sulphuris*) nitri similes, pellucidas instar succini & aurei coloris. Acetum remanens evapora in pulverem aureum. Cristallos & pulverem denuò dissolve prædicto Aceto, & cristallisari permitte, idque toties donec sulphur nullas post se relinquat fæces. Hoc magnum est secretum alchymicum purgandi sulphur.

Præparatio Mercurii. ℞. Vitrioli Romani (*per quod sæpè sæpiùs intelligunt Adepti graduatum*) libras sex vel octo, salis com. libras duas. Hæc commisce cum Mercurii sale & aceto abluti libris tribus, sublima Mercurium, idque ter repete semper cum novis speciebus, Mercurium serva.

Præ-

Præparatio salis armoniaci. ℞. Salis armoniaci libras tres, sublima per Vitriolum Romanum & lapidem hæmatitidem ter, qualibet vice cum novis materiis.

Quamvis hæc Isaaci Menstrua non tanti æstimanda sint ac præcedentia Basilii quoad præparationis excellentiam; nihilominus ea non minoris sed ejusdem virtutis sunt cum illis quoad tingendi qualitatem, ex eisdem enim componuntur sulphuribus, Crocis & Essentiis Martis, Veneris, sulphuris, &c. quibus Basilii menstrua mineralia composita fuere confecta. Lullius eadem menstrua acuit Essentiis metallicis non quidem modò confectis sed conficiendis in ipsa menstrui præparatione, ita Menstruo fætenti, sale harmoniaco vegetabili, acuato, conficit lunæ Essentiam quæ dicto menstruo commixta evadit menstruum hujus generis & dicitur

141. Aqua Composita Argenti Lullii,

Cap.X. Practicæ Testamenti majoris, Pag.161. Volum. 4. Th. Chym.

℞. IN virtute A. (*Dei*) unam unciam de F. (*luna clara pag.* 171.) bene purgata per cupellam vel cineritium. Et illud argentum bene percussum (*malleo extensum*) in rotellas scinde per petias parvas, curtas & strictas. posteà in duas partes æquales divide, & accipe duo vasa vitrea solutoria nuncupata, sed melius liquefactoria sunt dicta & vocitata, quorum in hoc regimine, forma & mensura tibi demonstrabuntur in capitulo vasorum, & in quolibet istorum duorum pone unam unciam cum dimidia de E. (*Menstruale* 171. *à nobis superiùs sub* No.67. *datum*) scilicet octavam partem totius menstrualis, projice statim intùs quamlibet partem de F. & in continenti non negligenter obstruas os vasis suo cooperculo, & luta bene juncturam de luto jam dicto (*in dicti menstrualis confectione*) vel de cera clara & munda, quo facto pone in Balneo mariæ calido per triduum, ut Deus det tibi bonam diem. Posteà accipies F. (*Argenti dissolutionem*) & Aquam colabis (*decantabis*) in aliam ampullam vitream mundam, & vasulum bene inclinabis & cautè, ne terra de F. cum aqua colari possit, nec Aqua turbari, & dictam

dictam phialam ubi posueris Aquam de F. obstrue & ad partem pone. Posteà in continenti super solutorium de F. quod debet dissolvi (*altera Argenti pars destillanda in menstruum*) pone suum Alembicum, qui strictè & sapienter jungatur cum luto suprà dicto, post hoc supra cineres cribratos situetur, & ponatur inde supra furnellum, & fac primum ignem, faciásque destillari, & humorem in phiala vitrea sume, & fac de serraturis lignorum ignem, & quando humor quasi destillatus fuerit totus, fortifica ignem de carbonibus paulatim, secundum quod videbitur ad punctualiter calcinandum terram, sed à nimio calore custodi, nam vidimus, quod ad calorem solis factum est, hoc intellige bene, nisi velis fatuus fieri; da hunc calorem continuè per undecim horas, post furnellum obstrue & vade dormitum, & de mane accipe tuum calcinatorium (*quod sic nominatur propter operationem suæ proprietatis, quod tibi offert actus materialis*) & infrà projicies menstruale sæpè dictum in quo G. (*Mercurius noster, pag.* 171. *sive sal harmoniacum vegetabile*) dissolutus est (*vide inferiùs menstruum sub* No. 147.) & illud videbis operari, & fumum in altum ascendere, & metallum calcinari cum liquefactione, sed melius quam antè obtura proprio cooperculo quod intrat (*dictum calcinatorium*) & cave ne ponas in alium calorem, quousque fuerit operatum sua propria virtute, & postquam operatum fuerit & requieverit, luta bene juncturam cum cera communi, & sic lutatum pone in calido Balneo Mariæ per triduum naturale, prout alibi fecisti, quia sic expedit. Posteà Aquam destilla, & calcina terram (*in fundo remanentem*) ut suprà dictum est, & toties reïtera usque tota terra sit dissoluta per istud regimen in forma liquoris, & semper limum solutum ad partem pone, vel oleum arte dissolutum, quod est substantia corporis per Aquam depurata & portata per Aquam venti. Et quando totum erit dissolutum (& *destillatum*) insimul conjunge, posteà pone per mensem cum dimidio ad putrefactionem (*circulandum*) in calore temperato, ubi vas optimè sit lutatum cum suo coopertorio, & sic debet fieri figura de I. (*Compositum vel Aqua Composita Lunæ, pag.* 171. *ejusdem Voluminis.*)

Eodem modo aliquandò Auri præparat Essentiam menstruo

fætenti lunari, cujus additione idem menſtruum acutius, id eſt, nobilius reddit.

142. Menſtruum fætens lunare ſolis Eſſentiâ acuatum Lullii,

In Experimento XXX.

℞. SUpradictam Aquam in qua habes animam Lunæ (*ſub* No. 121. *deſcriptam*) ac in ea ſolve uncias duas vel unam cum dimidia ſalis fixi urinæ ut in ſuo Experimento (*ſexto, à nobis autem ſub* No. 30. *dato*) habes, quo ſoluto, in ea aqua diſſolve unciam unam Auri, putrefac per octo dies, deinde ſeparabis aquam per Balneum, corpus autem remanebit in vaſe ad ſimilitudinem mellis fuſi, ſuprà quam materiam repone de deſtillata aqua tantum, ut ſupernatet duobus digitis, claude vas ſuo antenotorio, ac putrefac in Balneo per 24 horas; poſteà ſuperpoſito alembico cum receptaculo, juncturis optime clauſis, deſtilla per cineres, ultimò augebis ignem maximè & quod tranſactum fuerit, ſervabis optimè clauſum, eſt enim ſpiritus animatus, vel anima ipſius Auri.

Ex Receptis obſervamus,

1. *Menſtrua hujus Generis eſſe iſtis viceſimi & viceſimi primi Generum nobiliora; ibi metallorum Eſſentiæ vel Magiſteria diſſolvebantur in menſtruis mineralibus ſimplicibus, hîc autem in iiſdem Compoſitis.*

2. *Menſtrua hæc non differre à decimi Generis menſtruis niſi in ſuperaddita aciditate; diſſolve Acido quovis menſtruum dicti Generis & protinus transformabitur in hujus Generis menſtruum.*

3. *Menſtrua hæc digerendo iterum fieri dulcia & ut anteà Vegetabilia.*

4. *Menſtrua hæc non ſatiari, ſed ſuis diſſolutis augmentari tam in quantitate quàm qualitate in infinitum.*

5. *Spiritum Mercurii univerſalis ſive primam metallorum materiam Baſilii à ſuo authore etiam nuncupari* Mercurium duplicatum

catum quo pallium Regis solvendum, *Sect. 1. cap. de sulphure mercurii, Sect. 2. de Vitriolo phil. & Sect. 2. cap. 4. de Vitriolo Veneris. Alibi* Sulphur Martis & Veneris duplicatum, *Sect. 1. cap. 3. de sulph. Martis & Veneris. Alibi* Animam Martis & Veneris *utì in particul. Veneris.*

6. *Mercurium hunc duplicatum multo præstantiorem fieri additione Pallii Regis, Croci Solis, Lunæ, aliorumque metallorum. Menstrua fere Generum omnium promiscuè dici Mercurios Philosophorum, at de his fusius & exactiùs libro tertio.*

7. *Spiritum mercurii universalis Basilii esse Magisteria Martis & Veneris methodo minerali confecta; magisterium Martis & Veneris dissolve in communi spiritu Vitrioli, & simplici hac dissolutione eundem conficies Mercurii universalis spiritum.*

8. *Quemadmodum Martem & Venerem, ita etiam Jovem & Saturnum, reliquáque metalla in dictas primas materias confici posse, earundem scilicet virtutum cum Martis & Veneris primâ materiâ, quoad solvendi facultatem. Mars autem & Venus eliguntur ob suarum Tincturarum excellentiam & abundantiam.*

XXIV. Genus.

Menstrua mineralia composita ex Menstruis Vegetabilibus & mineralibus invicem commixtis.

143. Ignis Vegetabilis solutus in Aqua calcinativa Lullii,

P. 363. Magiæ Naturalis.

℞. AQUÆ Vegetabilis acuatæ (*animæ metallicæ Lullii sub* No. 5. *descriptæ*) unciam unam, pone in Ampulla cum collo longo, in quam posueris uncias tres Aquæ calcinativæ (*menstrui mineralis sub* No. 68. *descripti*) & subitò cooperi Ampullam cum suo coopertorio, & bene claude cum cera, & bene colloces intrà balneum per duos dies naturales, & in illo tempore totum Vegetabile erit conversum in Aquam claram.

Animadversiones.

ADepti variè acutum reddidêre Vini phil. spiritum, istúmque in varia redegêre Menstrua tam Vegetabilia quam mineralia in antecedentibus: Jam in hoc Menstruorum vicesimo quarto & omnium ultimò Genere, non uti in supradictis Menstruorum compositionibus communia commiscuere vel oleosa, vel Arida, vel Acida unctuoso Vini philosophici spiritui, sed Menstrua Vegetabilia & mineralia modo perfecta conjunxêre ut Menstrua hujus Generis conficerent. Simile ferè Menstruum componitur à Lullio quod dicitur,

144. Coe-

144. Cœlum vegetabile ſolutum in Menſtruo minerali Lullii,

Pag. 59. Teſtam. Noviſſimi.

℞. MEnſtrui fætentis (*ſub* No. 99. *deſcripti*) libram unam, adde libram unam, vel dimidiam, quod ſufficiet, Aquæ Vitæ ſummè rectificatæ & acuatæ cum ſale Tartari (*ſub* No. 17.) vel Vini (*phil. ſub* No. 30. *deſcriptæ*) ſublimato. Et teneas vas in manibus, & non ponas in Terra, nec alio loco, donec ceſſaverit furor (*ebullitionis*) & eſt commixtio Vegetabilis cum Minerali; ſigilla cum cera, & permitte per diem, poſteà in Balneo pones per duos dies, & deſtilla in cinere, & habebis Aquam limpidam & clarificatam, ponderoſam, tunc pone illam in vaſe Circulationis optimè ſigillato per ſedecim dies in Balneo convenienter donec redeas, & videas Aquam bene unitam, & in fundo vaſis ad modum ſalis criſtallini. Serva eam.

Idem Menſtruum ſed variato pondere confecit alibi; in antecedenti ad Menſtrui fætentis partem unam, addidit Menſtrui Vegetabilis partem ſemis; in ſequenti plus Menſtrui Vegetabilis recepit quàm mineralis.

145. Glacies ex Menſtruis Vegetabili & minerali compoſita Lullii,

Pag. 68. Teſtam. Noviſſ.

℞. DE G. minerali ſive Menſtruo fætenti uncias tres & de Aqua vitæ rectificata & acuata cum ſale Tartari uncias quatuor, ponas ſimul in uno vaſe, & deſtillabis in B. per novem vices, & in illo tempore convertetur totum in unione una, ſicut gelu aut glacies.

Ripleus Menſtruorum Vegetabilium & mineralium commixtionem hac peregit methodo.

146. Aqua

146. Aqua mirabilis Riplei,

Pag.212. Philorcii.

℞. TArtarum calcinatum album ſicut nix eſt, & tere ſuper Marmor, & incera cum Aqua vitæ fortificata cum ſuis ſpeciebus ut præmittitur (*cum Menſtruo ſub* No.8. *deſcripto*) donec ſit ut paſta tenuis: Tunc pone in vaſe circulatorio, & rota Aquam donec in Tartaro penitus ſiccetur; tunc reïtera idem opus, & ſic continua, donec exhauſerit de aqua in pondere duplam ſui partem & quantitatem, quo facto ponatur Tartarus tritus ſuper lapidem vel ſuſpendatur in ſacculo lineo, & ſupponatur vitrum ad recipiendum ejus ſtillicidia, & hoc fiat in loco ſubterraneo, donec totus Tartarus deſtilletur in Aquam claram, ex qua poſt deſtillationem & coagulationem fit ſal mirabile & Naturæ, quod Philoſophi vocant ſal petræ & ſulphur incombuſtibile (*propriè ſal Tartari volatile*) quod figit omne Argentum vivum. Ut autem habeas perfectam Aquam vitæ (*pro hoc opere requiſitam*) pone Vinum (*philoſ.*) in Circulatorio per centum dies, ut rotetur cum ſuis ſpeciebus, & tunc extrahe ex eo Aquam vitæ (*menſtruum ſub* No.8.) quæ excellit in gradu bonitatis omnes Aquas Mundi. Operare cum ea ſuper Tartaro ut dictum eſt & aqua inde creata vocatur Ignis infernalis (*vide Acetum acerrimum Riplei ſub* No.23.) quia ſi tantum apponas de ſale armoniaco ſublimato quantum de Tartaro, unum ſtillicidium illius poſt ejus perfectionem, interficit ſubitò cancrum in carne hominis, & ſi deguttetur ſuper manum penetrat eam, & ſolvit omne corpus. Abſque hac Aqua parum proficimus in hac arte, & qui hanc Aquam habuerit, de artis complemento nullatenus dubitabit. Hæc autem Aqua fortificatur in duplo, ſi æqua portio illi addatur de ſpiritu minerali, qui eſt Aqua acuta philoſ. (*Leo viridis Riplei ſub* No.59.) & poſt ſuper Tartarum & ſuper ſal armoniacum uſque ad ſpiſſitudinem circulatur, & poſtmodum ſolvitur in Aquam claram. Quod ſi fiat erit aqua iſta omni auro incomparabilis & unum de mirabilibus hujus mundi.

Aliquandò loco Menſtruorum Vegetabilium Menſtruis mineralibus commiſcuere ſal Harmoniacum Vegetabile. Ita,

147. Men-

147. Menſtruum fætens ſale Harmoniaco acuatum Lullii,

℞. DE G. Vegetabili (*de Mercurio ſive ſale Harmoniaco Vegetabili*) unciam unam, & pone in Phiala vitrea longi colli, in qua priùs poſueris uncias tres de E. (*Menſtruo fætente ſub* No. 67.) & ſtatim obſtrue, ut nihil reſpiret, cum ſuo operculo, & cum cera communi bene ſigilla & poſteà in B. calido per biduum naturale in Aquam claram diſſolutam.

Quemadmodum ſal Harmoniacum addidere Menſtruis mineralibus ſimplicibus ita etiam eiſdem Compoſitis.

148. Menſtruum fætens lunare ſale Harmoniaco Vegetabili acuatum Lullii,

Cap. 14. Practicæ Teſt. major. Pag. 163. Vol. 4. Th. Chym.

℞. IN virtute A. (*Dei*) unam unciam Aquæ compoſitæ Argenti (*ſub* No. 141. *deſcriptæ*) per alembicum deſtillatæ, & in illam projice unciam unam de G. vegetabili (*mercurio vel ſale harmoniaco*) diſſolve, &c.

Baſilius Menſtrua hæc ita commiſcuit.

149. Spiritus Mercurii ex Vitriolo & ſpiritu vini igneo mixtus Baſilii,

Labore 3. libri Revelat.

℞. OLei hujus (*primæ materiæ Metallorum ex Venere & Marte confectæ, ſive ſpiritus Mercurii univerſalis ſub* No. 132. *deſcripti*) uncias octo, ſpiritus vini ad ſummum rectificati (*Menſtrui ſub* No. 19. *deſcripti*) uncias quinque, deſtilla per Retortam vitream & hoc ter, ſemper cum novo ſpiritu, ita ut ad olei uncias octo conjungantur quindecim unciæ ſpiritûs Vini ignei.

Para-

Paracelsus sequens Menstruum mixtum confecit pro Arcano Lapidis vel Antimonii.

150. Menstruum mixtum Paracelsi, *Cap. 6. Lib. X. Archidox. Pag. 39.*

QUicunque metallicum suum Cœlum (*Antimonium*) ad summum gradare cupit, & in actum reducere, ipse debet primo ex vita, id est, Mercurio vulgi, primum Ens liquidum, cœlestem Ignem, quintam Essentiam Mercurii (*non Solis; uti malè legitur*) & acerrimum Acetum metallicum (*Circulatum majus Paracelsi sub* No. 51. *descriptum*) extrahere, per solutionem cum sua matre, id est, Arcano salis (*sale circulato sub* No. 27.) & cum stomacho Anthionis, id est, spiritu Vitrioli (*menstruum sub* No. 98. *descriptum*) permiscere, & in eo (*Menstruo mixto*) Mercurium Antimonii coagulatum (*Regulum Antimonii*) solvere digerere, &c.

Ex Receptis observamus,

1. *Menstrua hæc esse diversorum Menstruorum commixtiones.*
2. *Et fieri posse ex omnibus Menstruis Vegetabilibus & mineralibus invicem commixtis ad Artistæ placitum.*
3. *Eò meliora tamen fieri, quo Menstrua fuerint magis tingentia.*
4. *Menstrua hæc per digestionem fieri dulcia & pura Menstrua Vegetabilia.*

Epilo-

EPILOGUS.

HÆC *sunt*, Confodales! *Quæ vobis promisi, Dianæ Menstrua hactenùs à nemine nisi ab Adeptis descripta, producta, & ritè in usum adhibita; Jam verò à me ita detecta, explicata & in sua genera distributa, ut etiam à Chymicorum vulgo discerni possint.*

Restant quidem plurima, quæ vobis non præbui Menstrua (laborat enim Diana Menstruorum superfluitate) sed hæc ceu exempla vobis sufficientia esse putavi. Vobismet ipsis licitum est plura colligere & singula suis applicare generibus. At si communi consulendum sit Bono, communicatis mihi velim si quæ in vestris scriniis vel Bibliothecis rariora Adeptorum Manuscripta vel impressa possideatis, ut hæc vobis non solùm, sed universis in usum cedant; vel saltem sua mihi significetis nomina, ut vel prece vel pretio eadem à vobis vel alibi mutuari possem, præsertim cum jam sitis certiores redditi, in Practicis Secreta omnia dependere à vini phil. spiritu; in Theoreticis autem omnia esse obscurissima, quia figurativa & minimè juxta literam intelligenda. Quæ si diutius conservabitis in librariis vestris, indies mille exponuntur periculis, tandémque ceu inutilia mucu & situ squalida cedunt in alimentum Temporis rerum omnium consummatoris.

Intereà nolite hæc vobis exhibita despicere Menstruorum Recepta, quin potiùs eadem legite ac relegite, & ubique enucleate veritatem Chymicam, eà vero quæ non sapiunt vel non intelligitis tanquam cortices projicite, etenim si ex viginti quatuor hoc tantum vel istud vobis placuerit Genus vel Generis Receptum, satis est: Nam hoc unico totius secretioris chymiæ secreta præparari posse facilè probabimus.

 Quod

Quod si etiam hujus vel istius Adepti utpotè Paracelsi, vel Lullii authoritatem, imò honestatem & fidem in dubium vocare placuit; hunc relinquere, atque illius rejicere Recepta licuit; aliquem alium eligentes cui majorem habeatis fidem, & ipsius Recepto cætera omnia comprobabimus. Discatis igitur horum menstruorum confectiones; observetis illorum ordines, gradus, materias, conficiendi modos, dissolvendi, tingendi, sese multiplicandi, &c. virtutes; & agnoscetis ea optima esse totius Chymiæ adeptæ instrumenta, tanquam claves sine quibus nihil, & cum quibus omnia reserantur hujus artis Arcana.

Hæc ut eò faciliùs efficiatis, quæ de menstruorum excellentiis in superioribus prolata fuere, hic in summam contraham, & redigam in duodecim subsequentes & infallibiles ex prædictis deductas Conclusiones.

I.

Menstruorum horum Descriptiones intelligi juxta literæ sonum.

HUjus libri Recepta nil continere occulti præter spiritum Vini philosophici (de cujus tantummodo usu in præsentibus tractare promisimus) nobis facilem impertietis assensum. Nec tamen ille ipse adeò obscurus est, quin propriè spiritus unctuosus dicatur ortus à Vino albo & rubeo Lullii, sive menstrui fætentis constitutivis. Reliqua quæ obscuriora videntur, Artis termini sunt, utplurimum in ipsis Receptorum descriptionibus explicati, ut ex hoc spiritu producta & decomposita. Obscuritas autem quam vel brevior vel longior Recepti Descriptio affert, per accidens est facilè à sedulo quovis artis discipulo superanda & removenda.

Nul-

2.

Nullam prædictorum menstruorum absque vini philos. spiritu esse præparatum.

INter omnia hæc vobis data Adeptorum Menstrua, ne unicum quidem est, quod pro Basi non habeat Vini phil. spiritum. Dantur quidem Menstrua in quorum Receptis, nomen hujus spiritûs non occurrit, ipse tamen adest & latet sub hujus vel istius Menstrui nomine. Alia dantur Menstruorum Recepta, quæ Vini phil. spiritum non liberum recipiunt sed compedibus quasi vinctum, nimirum oleosum aliquod commune, ast cum in horum menstruorum confectione ipse vinculis solvetur, ut & acuitur spiritus, menstrua ejusmodi absque eo confecta esse, minimè dici possunt. Dantur tandem etiam Menstrua in quorum Receptis neque Vini phil. spiritus neque oleosum aliquod expresse denominatur, (sed hæc rariora sunt, studio allata, ut vel Adeptorum invidiam vel proterviam vobis indicent) ubi tamen ex Menstrui usu constat hunc spiritum ex necessitate addi, cum aliàs minimè fieret quod promittitur.

Ultimò dantur etiam nonnulla, quæ cum communi spiritu, communi aceto & aqua forti vel sale armoniaco vulgi confici posse absque spiritu vini phil. affirmabitis. Esto. Sed cum ejusmodi menstruo in usum progrediamini, experimentum tentetis, mox istud reperietis non modò minùs debile existere, sed prorsus inutile & destructivum in secretiori Chymia. Impossibile enim est communi Menstruo perficere, id quod Adepti Menstruo Philosophico præceperunt. Chymiæ adeptæ Arcana hoc gaudent privilegio, quod à neminè nisi Vini phil. Possessore confici queant.

3.

Menstrua ex qualicunque præparari materia.

MEnstrua prædicta ex variis trium Regnorum Oleosis, Aridis & Acidis demonstravimus esse confecta, observastis ex rebus nec tingentibus nec acidis fieri Menstrua Vegetabilia simplicia; ex rebus tingentibus non acidis Menstrua Vegetabilia composita: Menstrua mineralia simplicia autem componi ex rebus acidis & non tingentibus: Composita ex rebus acidis & tingentibus. De vestra itaque tam anxiè hactenùs quæsita Menstrui materia jam certiores facti Mercurium crudum, vel Vitriolum, Nitrum, Sal commune, Sal Tartari: Vel urinam, Aquam pluvialem, Rorem maialem, Spiritum Mundi quoque quolibet artificio captum; vel quamcunque etiam præ cæteris elegistis pro vera & universali Menstrui materia in vestrum adhibeatis usum, in qua eligenda ampliùs non errabitis; perinde enim est, ac si ex Auro seu Mercurio; an Perlis vel Arsenico; sale Vegetabili vel minerali id conficiatis, modò juxta hoc vel illud Menstruorum Genus procedatis, considerantes tamen cujusnam usus esse velitis menstruum, ne Essentiam pro Magisterio, vel Venenum prò Antidoto præparetis: E contrario recipite Mel purum adeò à Parisino decantatum; vel sal Tartari à Ripleo commendatum; vel sal commune à Paracelso pro metallorum matrice æstimatum; vel Vitriolum Auri Tincturâ scatens à Basilio laudatum; vel Argentum vivum ut apertum metallum à plurimis Adeptis habitum: Recipite inquam istorum quodlibet, & sciatis istud vobis minimè sufficì nisi Vini Philosophici spiritu conjunctum, id est, correctum, exaltatum & graduatum.

Men-

4.

Menſtrua quacunque etiam præparari methodo.

VArias hic habuiſtis præparandi methodos, quæ ſi vobis non ſufficiant, vel placeant vobis novas excogitetis. Nihil hîc ſubjacet ſecreti, modò materia veſtra & ſpiritus Vini philoſophici abſque ullo poſſe ſeparandi commiſceantur, & deſtillentur vel ex parte; vel ex toto, per Alembicum. Unaquæque enim materia, methodo qualibet, Vini philoſophici ſpiritu volatiliſata & deſtillata Menſtruum eſt.

5.

Menſtrua ad quemcunque quoque uſum eſſe ſufficientia.

SPiritûs Vini phil. ut & plurium Menſtruorum uſum in ipſis Menſtruorum confectionibus jam modò obſervaſtis in hoc libro; in poſterum libris ſequentibus hæc ad quamcunque neceſſitatem ſatis eſſe animadvertetis.

His mediantibus omnia Adeptorum componetis Medicamina; omnia metalla reducetis in Argentum vivum currens, vel ſi malletis in ipſum Philoſophorum mercurium, ſive primam metallorum materiam.

His conficietis tam univerſalia quam particularia metallorum tranſmutativa, ratione altioris Tincturæ, abbreviati temporis & exquiſitioris laboris omnium optima. His tandem præparabitis quicquid etiam curioſum ab Adeptis nobis relictum eſt & præſcriptum in ſuis libris, ita ut ſi quædam abſque ſpiritu Vini phil. ab Adeptis præparata fuerint, eiſdem abſque omni damno carere poſſimus. Menſtrua enim hæc, omnia volatiliſant fixa;

vola-

volatilia verò & volatilisata fixant: Coagulata dissolvunt; dissoluta coagulant: Paucis quibus omnes Chymiæ secretioris comprehenduntur operationes.

6.

Menstrua esse multa.

VAria Menstruorum observastis ad varios & destinctos usus destinata Genera. Menstrua Vegetabilia simplicia extrahunt potiùs quàm dissolvunt corpora: Composita dissolvunt totum, non extrahunt: Hoc quod Menstrua Vegetabilia faciunt; mineralia efficere nequeunt, & vice versa. Menstruis Vegetabilibus solummodò conficiuntur Medicamina, non Venena: At menstruis mineralibus Venena tantùm, & non nisi singulari Artis dexteritate Antidota. Usus diversus & sibi contrarius nullum admittit Menstruum universale. Spiritus Vini phil. universalis quidem est horum omnium materia, at ex omnibus Menstruis nullum datur ad quamcunque necessitatem sufficiens, propter quod, nisi eodem nomine singula dicere velitis universalia, quod ex spiritu Luminis, universali omnium Basi confecta sint omnia, universale negandum est Menstruum.

7.

Menstrua quædam esse Corrosiva.

MEnstrua mineralia corrosiva esse, propterèque corpora cum effervescentia dissolvere, ex prædictis clarè patet Receptis. Nolite, forsitan de Adeptorum contra aquas fortes, omniaque Corrosiva passim declarantium dictis non satis instructi, ea vel spernere, vel de eis male sentire. Hæc illa sunt Menstrua, quibus Adepti antiqui tempora & labores abbreviarunt in suarum Tincturarum præparationibus; & Paracelsus Arcanorum Monarchatum justo sibi titulo vindicavit, dum non solùm abbre-

*breviationibus alchymicis, extremam ut dicimus manum admovit, verùm insuper mineralia hæc menstrua, tanta cum dexteritate in usum medicum introduxit, ut nullam jam ampliùs artis imperfectionem emendandi spem, discipulis ejus relictam esse videatur, *utì libris sequentibus demonstrabitur. Prætereà Menstrua hæc à Menstruis Vegetabilibus non differunt, nisi quod eis vel spiritui Vini phil. superadditum sit Acidum; corrodendo Aridum & in minutiores particulas dividendo, Oleoso viam sternens, ut citiùs & meliùs coire & permisceri queant, quæ tamen remoto & dempto Acido in pristina redeunt Menstrua Vegetabilia.*

8.

Menstrua esse permanentia imò figi unà cum rebus dissolutis.

TAm spiritum Vini philos. quam Menstrua ex eo confecta adhærere rebus in eis dissolutis ex superioribus constat Menstruorum descriptionibus. Nullum sane est Menstruorum excellentiam meliùs confirmans argumentum, quàm quòd homogenea sint & permanentia cum rebus dissolutis; adeóque dissolventia cum dissolutis in tertium quid ab utroque differens, transmutabilia. Tantum itaque abest, ut Menstrua hæc sunt immutabilia, ut etiam secundum totius Philosophorum Turbæ edictum: Scilicet, Dissolutio corporis est Coagulatio spiritus & vice versa. *Nihil in Chymia Adepta sit infallibilius. Hanc autem Menstruorum permanentiam non solum observastis in Menstruorum volatilisationibus sed quorundam etiam fixationibus, ita spiritùs Vini phil. fixationem habuistis in Circulatis majoribus noni & vicesimi secundi Generum; sed plures invenietis tam in Medicamentorum quàm Tincturarum Confectionibus. Malè per analogiam veterum dicerentur Menstrua, nisi etiam transformarentur in Embrionis substantiam, & propriam præberent infanti nutritionem & augmentum. Spiritus Vini nostri totus quidem oleosus est, id est, combustibilis, at hic Aridis intimè com-*

commixtus, fit incombustibilis, ignisque spernit violentiam: Humidus est etiam, adeóque fixationis incapax; ast partes quas continet humidiores & tenuiores separantur in fixationis opere à particulis magis oleosis jam concentratis. Ità observastis spiritum Vini phil. ut & Menstrua tam Vegetabilia quam mineralia in Salium harmoniacorum vel Sulphurum Naturæ præparationibus pro parte redigi in Aquam insipidam; pro parte verò rebus adhærere in fundo relictis, & figi. Sed Exempla præstantiora habebitis tam in secundo quam tertio libris.

9.

Menstrua dissolvendo non satiari, sed avidiora potius fieri, adeoque per dissolutiones tam in quantitate, quam qualitate augmentari.

SPIRITUS Vini nostri, etiamsi omnium sit Menstruorum, Medicamentorum, Tincturarum alchymicarum & Lapidum pretiosorum Basis, Radix, & Centrum; nihilominus tamen segniter, imò corpora tantum sibi homogenea utpotè pure Oleosa, ut ipse purum Oleosum, dissolvit, idemque sibi associat, & in suam propriam transmutat naturam, adeóque sèse hoc multiplicat modò. Quamprimum autem spiritus hic in arido-oleosum fuerit transmutatus, sub nomine Menstrui Vegetabilis simplicis dissolvit Arido-oleosa, id est, Sulphura vel Tincturas Regni mineralis, Arido puro in forma pulveris albi intacto & relicto, quibus Essentiis dicta Menstrua ceu Essentiæ colliquari quidem, minimè verò satiari possunt, quia partium consimilium additio & multiplicatio est. Eadem autem Menstrua Vegetabilia ex simplicibus jam composita, non extrahunt ampliùs Tincturas & mineralium Essentias, sed totam horum corporum molem seu substantiam in oleum supernatans solvunt & transmutant, id quod Magisterium dicitur, hoc autem unà cum suo menstruo digestum tandem coincidit, unum fit, & menstruum vegetabile compositum inde mul-

multiplicat. Tyronibus pro Exemplo; ſpiritus Vini phil. primi Generis Menſtruum, acuatur oleo Nucis moſchatæ, & hinc fit ſecundi Generis Menſtruum; vel acuatur Melle, ſi velis menſtruum tertii Generis: Quodlibet iſtorum menſtruorum deſtilla cum ſale armoniaco vulgi & habebis menſtruum quarti; ſed ſi deſideres aliquod quinti Generis, alterutrum cohoba cum ſale Tartari, & accipies Acetum acerrimum Riplei; vel cum ſale communi, & conficies ſal circulatum Paracelſi. Aceto vel ſale hoc cohoba Mercurium aliudve metallum per Alembicum, & menſtrua hæc vegetabilia ſimplicia tranſmutabis in menſtrua vegetabilia compoſita octavi Generis; ex quibus decimi Generis ulterius præparabis Menſtrua ſolvendo & volatiliſando in eis aliud quodvis metallum. Eandem habeas rationem de Menſtruis mineralibus noſtris. Communia vero ultrà modum ſuæ receptivitatis recipere nequeunt.

10.

Menſtrua hæc inſimul eſſe ſecreta libri ſecundi.

NVllum eſſe inter Menſtrua Vegetabilia, quod non ſit vel Eſſentia, vel Magiſterium in hoc libro obſervaſtis, & fuſius in medicamentorum ibidem præparationibus demonſtrabitur. Menſtrua verò mineralia eadem eſſe Medicamenta Acidis permixta & diſſoluta; ex ſupradictis etiam annotaſtis eorum Receptis, præſertim cum ſequentibus medicamentorum deſcriptionibus collatis.

11.

Menſtrua hæc inſimul eſſe ſecreta libri tertii.

MEnſtrua ſimplicia eſſe Philoſophorum Lapides nondum fermentatos: Compoſita autem eſſe Menſtrua maſculino

semine commixta, adeóque Lapides volatiles & fermentatos partim modò clarum est ex eorum Receptis partim clarius ex secretis libri tertii.

12.

Menstrua hæc insimul esse secreta libri quarti.

MENSTRUA hæc noctu lucere adeóque Lumina perpetua: Præbere etiam materias pro perlis & lapidibus pretiosis, &c. ipsa indicant Recepta, quod confirmabitur libro quarto.

RIPLEUS.

Cap. XIII. Philorcii.

Absque his Aquis parum proficimus in hac Arte, & qui has Aquas habuerit, de Artis complemento nullatenus dubitabit.

Finis Libri Primi.

AD
CHYMIÆ SECRETIORIS
ALUMNOS.

TAlis ſub cœlo non extat Ars, quæ honorem divinum magis efferat, humano generi magis conducat, & ſecretiſſima Naturæ profundiùs rimetur, qualis eſt noſtra nunquam ſatis laudata vera Chymia. Hæc eſt, quæ Creatoris Clementiam, Sapientiam, & Omnipotentiam in Creaturis monſtrat: quæ non ſolùm quoad ſpeculationem, verùm etiam practicam & demonſtrationem, Exordium Progreſſum & rerum Terminum docet: Quæ ab innumeris tam impatibilibus quàm vulgò incurabilibus morbis ad priſtinam ſanitatem corpora noſtra reducit: Mentes verò noſtras è mundi curis, & anxietatibus (animarum noſtrarum ſpinis & vepretibus) ad vitæ educit tranquillitatem: è ſuperbia ad humilitatem: è terrenarum opum affectu & amore ad earum contemptum: Et ut Verbo dicam, quæ nos è terra ad cœlum erigit, evehit, promovet. Attamen eâdem cum Veritate de ea dici poteſt, quòd inter artes omnes, quæ mundo aliquem uſum fructum præbuerunt, nulla ſit, ex qua Deo hactenus minùs acceſſerit honoris, & generi humano minor utilitas.

Enimverò ne tantæ dignitatis ac utilitatis ſcientia nimis foret communis, aut per ignorantes & malevolos indignè tractaretur, prudentes ejuſdem Poſſeſſores ita eam deſcribere annixi ſunt, ut Diſcipulis tantùm innoteſceret, indigni verò ab ea omninò excluderentur. Temporis verò ſucceſſu, Adepti ad ampliorem ſcientiæ & experientiæ perfectionem provecti; nunc hanc, nunc aliam, adinvenerunt in opere ſuo methodum brevio-

viorem; fornaces, ignes, vasa, pondera, imò & materiam ipsam alterantes: Qui cum inde etiam cogerentur Theorias atque artis terminos secundùm Practicam nuper excogitatam innovare, contigit: Ut unius Adepti discipulus nequaquam alterius novam Theoriam, multò minùs Practicam intellexerit. Id quod & ipsis aliquando Adeptis (iis præsertim, qui sub documento cujusdam Patroni in aliqua particulari methodo & processu extitêre) accidit. Nam discernendi facultas, ultrà quàm addidicerant, illis omninò deerat. Quocircà suspicati fuere sæpiùs, omnes aliorum cum suis maximè discrepantes notiones, tametsi in se bonas & rectas, fallaces & contra Naturam fuisse: Aut alienas & sibi incognitas theorias, sententias, & Artis terminos privato suo & sibi solùm cognito processui (*uti per multiplicia exempla alibi declarabo*) applicarunt, quo ipso tot & tantis nebularum involucris hanc Artem inumbrârunt, ut hactenus sive Magistris, sive Discipulis vix remanserit facultas, ullum erudito orbi impertiendi beneficium.

Mirandum valdè, imò potiùs dolendum est, videre imperfecta ejusmodi systemata philosophica, cujusmodi nobis per Magistros hujus artis hactenus fuerunt tradita, non rarò & Naturæ & sibimet ipsis contradicentia, cùm tamen hujus artis medio, Naturæ miracula verè & dilucidè sine verborum convulsione exponere potuissent, quo respectu, licentiâ philosophicâ usus, hîc affirmare ausim, Adeptorum plures seipsos, per scripta sua, meliores chymistas, quam philosophos mundo exposuisse.

Quidnam quæso in re medica præstari potuisset excellentius, quàm diligentiam & industriam Paracelsi imitando, huic subjecto operam navasse? At proh dolor, ne dixerim pudor! ex omnibus tres forsan, quatuórve seligo, quibus ea res curæ cordique fuerit; ideóque minùs mirandum, quòd nobilis ac necessaria hæc ars, majorem non fecerit progressum, testante chymia vulgari, ubi insignium medicinarum nomina clangunt, iis ipsis incognitis, & cortices dantur pro nucleis.

Nuper quidem non spem modò, sed etiam promissa à Roseæ Crucis fraternitate accepimus, quasi animus ipsis esset seculum hoc nostrum studiis suis reddere beatius, at enim nihil effectûs hactenus subaudito, timendum est nobis, ut unquam tam splendida promissa adimpleantur.

E con-

E contrario, loco universalis boni ex hoc Artis fonte scaturientis mundum potiùs per eam multis & magnis miseriis involutum fuisse, testatur Experientia. Adepti enim in scriptis suis affirmantes, imò juramentis sæpè sæpiùs confirmantes, se quibusvis aliis philosophis lucidiùs & veriùs de arte tractasse, eo-ipso plures omnium graduum & facultatum tyrones stimulavêre ad instituendum labores suos chymicos juxtà methodum præscriptionum suarum, exponentes sese impensis non solùm intolerandis, verùm etiam quasi certâ fiduciâ obstinati se mentem authoris genuinam intelligere inter carbones & multiformes fornaces fame potiùs intermoriuntur, quàm ut cedant ab imaginationibus suis, semel pro veris sibi impressis. Hinc doctiorum inquirentium quidam secum ruminantes, quàm rarò & quanta cum difficultate, Adeptorum nonnulli Artem solâ lecturâ librorum sint assecuti; authores unà cum libris suis relegare, prudentiæ notam esse existimarunt, sibi ipsis persuadentes, se proprii genii & ingenii vi ratiocinando, experimenta & conclusiones tentando, repetendo, alterando, propiorem & faciliorem invenire viam posse. Verumenimverò in hoc ipso non minùs destituuntur tandem desiderato successu, ac Nauclerus sine magnete prospero cursu; adeóque consultiùs agerent ejusmodi inquisitores, si ante in seipsis inquirerent, utrum difficultates omnes sibi obvias superâssent, quàm manum huic secretiori Arti applicarent, & nullus dubitarem, quin plures auscultarent Consilio Theobaldi ab Hohenland (*qui difficultates hujus artis ex philosophorum libris collectas copiosè descripsit*) eámque ceu peste & angue pejorem evitarent. "*Quis enim ex vobis*, inquit Salvator, *si velit* "*turrim ædificare, non prius considens computet sumptum, an ha-* "*beat, quæ ad ejus perfectionem requirantur, ne postquam sta-* "*tuerit fundamentum & nequiverit eam perficere, omnes, qui* "*spectârint, incipiant illi illudere, dicentes: Homo iste* "*cæpit ædificare, & nequivit ædificium perficere.* Luc. 14. 28.

Verumenimverò cum non sim inconscius, monita hæc spreta potiùs quàm grata fore, his præsertim, quibus turres magnificas à se in aere extructas demoliri pertæsum est. Siquidem non obstante impossibilitate quorundam prædictas difficultates amovendi, aliis persuadere conantur, se docere eos posse,

posse, quod ipsi hactenùs nesciunt, adeòque in decipiendo persistere potiùs, quàm infirmitatis culpæque suæ conscientiâ desistere volunt. Alii in superandis quibusvis difficultatibus seipsos perquàm sufficientes existimant, ideò ab hac arte dehortari eos in vanum est. Alii difficultates quidem omnes, indubiámque in sese, rescindendi eas, insufficientiam persentientes; licèt ab omni fraude, arrogantiáque immunes, naturali tamen vel secreto quodam impulsu ita ad hanc incitantur Artem, ut ab ea nullo arceri possint argumento.

Idcircò quodam mortalitatis sensu, quâ genus humanum affligitur, studia mea circà rem medicam illi consecrabo.

Deceptores compescam; plus æquo sibi ascribentes pudefaciam; Veros verò hujus Artis Discipulos manuducam, ne tot ludibriis, opprobriis & sarcasmis satyrorum subjiciantur imposterùm, cum subsequente sanitatis tam animi quàm corporis naufragio, & Gebri lamentabilem prædictionem in se tandem verificent, dicentis: *Miserrimus & infælix est, cui Deus post operis sui finem, veritatem conspicere denegat, nam vitæ suæ spatium in errore concludit, & terminat, qui in labore constitutus perpetuo, omnique infortunio & infelicitate obsessus, omnem hujus seculi consolationem & gaudium amittit, vitámque suam in mærore absque commodo consumit.* Libr. 2. invest. cap. 38. Sic eâdem fidelia vindicabo Artium optimam ab injuriis diffamatorum, qui principiorum ignorantiâ decepti, accusant eam ceu fraudulentam, impossibilem, adeòque ridiculam, ut cultores ejus deterreant ad naucisaciendum omnes ejusdem Demonstrationes & præclara Testimonia passim edita; atque tum demùm, ut Honor & Gloria Dei hactenùs sepulta in cineribus ejus, inde resurgat, ut Phœnix, mecum constitui vobis ob oculos ponere id, quod hactenùs in tot Artis voluminibus invenire non potuistis, nimirum nudam vel sine veste DIANAM. Id est, detraham à facie & corpore ejus, *Troporum, figurarum, parabolarum, nominum barbarorum larvas*, quibus ipsa hucusque fuit larvata, ne cognosceretur ab improbis. Exponam vobis Dianam, nimirum ipsammet Artis nostræ Veritatem, tantis studiis, laboribus tantis in vanum quæsitam, necessariæ expressionis velamine ne quidem amictam. Conspectui vestro exposita erunt secretissima ejus, de quibus Adepti sub gravissima cautela suos instruebant discipulos, ana-

the-

themate addito, ne indigno vulgo promulgarent. Quare si nosse desideratis Dianæ Menstrua, quibus præparârunt Adepti Philtra sua, pocula Vitæ & mortis: Si scire desideratis modum, quo præpararunt Tincturas suas, seu universales seu particulares pro metallis: Si scire denique avetis, quomodo lapides pretiosos, perlas, lumina perpetua, unà cum aliis Artis secretis composuerint, sequentia legite quatuor librorum Recepta. Recepta inquam à vobis ferè omnibus, ob rude verborum tegamentum vel minùs intellecta vel omninò neglecta, quæ etiam aliquando habuistis pro inanibus, falsis, & impossibilibus, quasi vestri decipiendi gratiâ compilata; verissima tamen, non ex trivio chymiæ vulgaris, sed ex optimis optimorum Adeptorum libris, Dianæ gazophylaceo, collecta. Recepta, inquam, tam affinitate, quàm miranda Magistrorum dexteritate ita concatenata & elaborata, ut ubi unicum ex iis tollatis vel denegetis processum, ibi & cætera omnia, ut rejiciatis cefu falsa, necessariò sequatur; è contrario qui unicum tantùm inter plurima agnoscit verum, oportet, ut cætera omnia pro veris habeat, insupérque authores illorum, magistros nostros, summè venerandos, vindicet ab omni mendacii, scurrilitatísque infamiâ. Receptorum illorum excellentiam illustrat varietas ex unitate, Veritatis fonte, scaturiens, & in eam ceu mare suum rediens. Nondùm hucusque mihi facere potui satis, num infinita sint, an unicum tantùm in nostra chymia Receptum, in diversa membra divisum, variósque ad usus destinatum. Varietatem observo in variis & distinctis horum quatuor Tractatuum membris, unitatem verò in quolibet membro, imò cujuscunque membri individuo. Tres semper reperietis unum confirmantes Tractatum. In primo libro de Menstruis, invenietis etiam medicamenta secundi; & Tincturas alchymicas Tertii; & quæ non secreta quarti libri? Quod intelligendum etiam de secundo, tertio & quarto libris. Tandem, Recepta hæc non tantùm vera sunt, sed etiam clara, simplicissimis & communibus verbis descripta, non tantùm ad literam intelligenda, sed & claritate sua, loca obscuriora aliâs minimè intelligibilia, illustrantia & explicantia, ita ut unico processu explicabitis interdum plus quàm decem libros theoreticos, nunquam nisi hoc lumine explicabiles.

Hæc

Hæc verò vobis, indefessi hujus artis Alumni, communicare volui Recepta, ob causas jam datas, & ut summam in Chymiâ adeptâ perdiscatis Spiritûs Vini Lulliani Necessitatem, antequàm de ejus materia & præparatione vobiscum agerem. Nemo cupit, quod sibi incognitum; vel hoc persequitur, cujus ignorat utilitates. Hinc priùs hujus Spiritûs multiplicem usum demonstrare volui ex Adeptorum experimentis, quæ si invenietis vera, tantæ erunt imposterùm vobis utilitatis, ut iis carere sine maximo vestro damno non velitis: Sin falsa; contemnite ea, omnémque iisdem denegate assensum, atque magistros accusate, illorum authores, mendacii, fraudis, & nequitiæ; sed tale nefas à vobis expecto nunquam. Quicquid adversarii facient, cæci & hujus artis ignorantes, parùm curamus; si tamen quid sibi velit zoilus aut momus pro suo more; libri rodat corticem, simplicem videlicet & rudem latinitatis stilum, tenues & leves in Recepta datas observationes, conclusionésque, quæ omnia lubenti ipsi donamus animo: Nucleum tangere nequit.

Vos verò si vel jam vel imposterum ex Dianæ aspectu, vel gaudium vel commodum aliquod adepti fueritis, id non Dianæ etiamsi Ephesiorum longè majori, nec mihi, sed Deo optimo maximo acceptum ferte, qui lumine suo ex tenebris hisce cimmeriis nos eduxerit. Fortasse veniet etiam tempus, quo vobis ulteriùs auxilio & usui esse possim; ut Dianam vestris amplecti brachiis vobis ipsis liceat, nec non cum ipsa familiariter colloqui de ejus Columbis, Sylva, Fonte, Lacte, Aqua vitæ, &c. in præsentibus enim ejus fronti inscriptum legitis: Noli me tangere. Hinc præmonitos volo, Dianæ secreta ne tangatis, nisi Actæonis fatum & sortem experiri velitis; nam

Inscius Actæon vidit sine veste Dianam,
Præda suis canibus non minus ille fuit.

Nobis quidem intueri eam, at amplecti pro tempore non licet, hoc enim nisi ipsis Adeptis & Vino philosophico instructis

ſtructis permiſſum eſt. Verùm cum Poeta ſi objiciatis,

Quid juvat aſpectus, ſi non conceditur uſus?

Ad hæc vobis reſpondeo: Dianam intuendo nudam,

1. Omnia Chymiæ ſecreta ab unico tantùm Artis centro, nimirum Vini philiſophici dependere Spiritu videbitis.
2. Præparationes omnes ſecretorum omnium, ſecundùm verborum ſonum, fieri intelligetis.
3. Proceſſus omnes cujuſcunque methodi & materiæ, *modò ne abſit Vini phil. ſpiritus*, veros & nunquam fallaces fore percipietis.
4. Quicquid vel rari, vel egregii ab Adeptorum optimis paſſim diſperſum eſt, hîc in modum faſciculi habebitis ſelectum & in ordinem congeſtum, ita ut vobis nihil deſit ampliùs quàm iiſdem frui.
5. Inſuper ex omnibus proceſſibus potiorem & breviorem eligendi facultas præſtò vobis erit.
6. Aut plures etiam ſponte inveniendi, ſi hi vobis non placeant modi, in veſtro erit arbitrio.
7. Eum qui vel minimum in hac arte perfecerit, neceſſariò etiam maximum perficere poſſe, videbitis.
8. Unicus proceſſus clarus aperiet intellectum plurium, alias maximè obſcurorum.
9. Cognoſcetis quoque, quod ipſi Adepti quandoque dormitârint, & alterius ſcribendi ſtylum ſæpè ſæpiùs non intellexerint: Quod alii alios correxerint, adeòque artem reddiderint perfectiorem.
10. Et ut paucis dicam omnia: Nemo vel doctiſſimus authoritate ſua; nemo vel diſertiſſimus perſuaſione ſua; nemo vel ſubtiliſſimus impoſtor aſtutiâ ſuâ poterit impoſterùm quemquam, niſi volentem, decipere, & à viâ noſtrâ regiâ in avia deducere.

Nec aliorum tantùm, ſed ne propriis quidem ultrà expoſiti eritis deceptionibus, quibus miſerrimè hactenùs perdidiſtis omnia: Tempus, labores, nummos, ſanitatem, & quæ non? Vitam ipſam reddidiſtis vanam, inutilem, vobiſmetipſis juxtà ac aliis nocivam. Imò & tales ſunt radii corruſcan-

 tes

tes Dianæ nostræ, ut verear, ne oculos vestros perstringant, instar Israelitarum à Moysis aspectu de monte descendentis.

Vix me fide dignum putabitis asserentem, quòd Adeptorum secreta sint secundum literam intelligenda & elaboranda; si arguatis probabile non esse, Adeptos sua mysteria omnium aspectui exposuisse, cum de contrario ab iisdem sitis admoniti.

Nonne hæc Ars Cabalistica, inquit Artesius, *& mysteriorum plena? Et tu stulte nos secretorum secreta palàm docere credis, & verba nostra secundùm literam intelligis; de certo scias (ipse ego non sum ut alii invidus;) qui philosophorum dicta secundùm significationem & sonum communem sumit, Ariadnis filum modò amisit, & per labyrinthum ultro citróque vagatur, & ejusdem sibi utilitatis esset, ac si crumenam in Oceanum projecisset.* Idem monet Sendivogius in Præfatione 12. Tractatuum. *Candidum lectorem*, inquit, *admonitum velim, ut scripta mea non tam ex verborum cortice quàm è Naturæ viribus intelligat, ac postea tempus, laborem & sumptus frustrà expensa deploret*, &c. Quia, ut ait Arnoldus in speculo suo, *Intentio secundùm literam nihil prodest, & operari secundum intentionem literarum est divitiarum dissipatio. Artem enim occultavimus*, dicit Geber, *ubi magis aperte loquuti fuimus, non sub ænigmate, sed sub plana sermonis serie artificem alloquentes.* Imo Rogerius Baco ulteriùs procedit inquiens: *Quando juro tibi dicere verum, credas esse mendacium scilicet ad literam, & ideo quando tibi dico caules, intelligas plumbum*, libro de arte chymica pag. 56. *Omne quod dico est falsum, ergo nihil dico verum, quare precor, ut fidem non adhibeas, sed quando dico verum, intellige falsum; & si hoc, oppositum. Sic vertetur in verum quod falsum est, & in falsum quod verum est; dico ista ut cavendis caveas, & credendis credas, propriè scribendo non scribo, &c.* pag. 301. *Et quamvis ego dixero: Recipe hoc & hoc, non credas mihi, operare secundum sanguinem, id est, intellectum, & sic de omnibus, dimitte experimenta, cape intentionem & invenies, crede mihi modò candelæ.* pag. 345.

Hæc & similia pro opinione vestra confirmanda allegare potestis, sed veniam date mihi vobis suggerendi; nimirum, Distinguendum esse inter Adeptorum libros theoreticos & practicos; in libris theoreticis ferè nihil intelligitur literaliter

quia

quia omnia ſunt parabolica, ænigmatica, &c. in libris practicis autem clara ſunt omnia, & juxta literam intelligibilia, excepto tantummodo Vino philoſophico, ſecretorum omnium baſi & initio. Pro exemplo ſit Teſtamentum magnum Lullii, in cujus theorica philoſophice, id eſt, per varia ſophiſmata, Vini Lulliani deſcribitur Natura, materia, & præparatio, at in hujus Teſtamenti practica ad literam exponitur hujus Vini uſus. Hinc facilè obſervabitis etiam, Adeptos literalem rejicientes ſenſum potiùs theoricos fuiſſe quàm practicos. Nos in præſentibus Adeptorum Practicam ſive Vini philoſophici uſum exponentes, plurima ſecreta juxtà literam nobis eſſe ab iis tradita probabimus.

Sed inſtabit veſtrum aliquis; Adeptos ſæpè ſæpiùs etiam declamaſſe contra literalem Practicæ ſenſum, contra ipſas Experimentorum Deſcriptiones, vulgò Recepta dictas, ſed hic ſciat ſodalis noſter, contra duo Receptorum genera ſcripſiſſe Adeptos.

Prius Recepta comprehendit fumivendulorum, Deceptorum, hominum nequam, qui ea vel à cujuſdam Adepti diſcipulo accepiſſe, vel in quibuſdam Vetuſti clauſtri aut ſepulchri parietibus ſe inveniſſe ſimulant; contra quos audite Dionyſium Zachariam, *pag.* 781. *Vol.* 1. *Th. Chym.* dicentem: *Priuſquam diſcederem ab artium Collegio, familiaritatem & amicitiam cum pluribus aliis ſcholaribus inieram, iſti varios habebant Receptorum chymicorum libros, quos mihi datos mutuò ſumma diligentia deſcripſeram, annuente præceptore familiari, qui jamdudum etiam in hac arte laborare cœperat, adeò ut antequam abirem, collegiſſem librum admodum copioſum ejuſmodi Receptis refertiſſimum, ſtatim atque unà cum præceptore meo veniſſem eo locorum, ubi legibus operam navare debui, ſcripta mea cœpi revolvere, quorum aliqua projectiones continebant unius ſuper decem; alia ſuper viginti, triginta, tertiam, mediam partem; ad rubeum octodecim cararorum, viginti, &c. in coronatorum aurum, ducatorum, altioriſque caloris, quàm unquam eſſe poſſit. Unum ſuſtinere debuit liquationem, aliud examen lydii lapidis, aliud omnia examina. De albo ſimiliter, unum eſſe debuit denariorum decem, aliud undecim, aliud capitalium numiſmatis argentum, album ex igne rediens, aliud in affricatione lapidis*

lydii. Summatim existimabam, si vel minimum istorum præstare valerem in hoc mundo majorem fœlicitatem contingere mihi non posse.

Præsertim cum legerem ejusmodi Recepta, magnatum inscriptiones præ se ferre, unum Reginæ Navarræ; aliud Cardinalis Lotharingiæ, Turnonis, & aliorum infinitorum, ut ejusmodi larvis atque titulis fides ab incautis hominibus adhiberetur.

De iisdem *Receptis conqueritur etiam Bernhardus*, pag. 771. ejusdem Volum. *Si habuissem*, inquit, *ab initio libros omnes, quos postea nactus sum, citius ad artem haud dubiè pervenissem, at nihil aliud quàm falsissima legebam Recepta, & libros erroneos; præterea nisi cum perversissimis furibus, hominibus nequam & impostoribus communicare contingebat.*

Alterum genus continet Recepta Adeptorum ipsorum, contra quos aliquando quoque scripsêre nonnulli Adeptorum aliorum. Sit pro exemplo idem Bernhardus, qui ita *pag.* 748. *Vol.* 1. *Theat. Chym.*

Quo veros inquisitores hujus artis à communibus erroribus retraham in veram semitam, ne suas facultates dilapident, laborum, nominis, & famæ jacturam faciant, falsis librorum Receptis insistentes, ut sunt Gebri, Rasis, Alberti magni, Tramitis, Luminis, Canonis pandectarum, Demophontis, Summæ, & aliorum hominum seducentium, *narrabo primùm errores meos, &c.* & pag. 750. ita pergit. *Infinitus est eorum numerus quos recensere vanum est, & librorum de hoc conscriptorum ingens habetur copia sub metaphoricis verbis atque figuris, ut non facilè queant intelligi ab aliis præterquam à filiis artis, quorum lectura potiùs a via recta seducit, & in varios errores, quàm ad scopum dirigit, è quorum numero sunt* Scotus, Arnoldus, Raymundus, Johannes Mehung, Hortulanus Veridicus, &c.

Meum igitur est vobis satisfacere, & dico; authores prioris generis Receptorum activè, scienter, & libenter decipere: posterioris verò generis Recepta ab ipsis Adeptis conscripta seducunt passivè tantùm, & hoc ratione duplici: vel Adepti in arte minùs experti, & nescientis doctioris sui collegæ Practicam, impossibile enim est, Adeptum suæ methodi

thodi etiamsi expertissimum, aliorum omnium scire posse experimenta multiplicia, multò minùs peculiaria ex iisdem formata vel diducta theoremata, privatas meditationes, diversas rerum denominationes, &c. vel ratione vestri, qui plus ab iis Receptis secundùm literarum sonum, quàm ipsi innuunt Adepti, extorquetis, & Spiritum Vini nullibi ferè literaliter intelligendum esse minimè observatis, ideóque non mirum, quòd seducatis sic vosmetipsos, hoc verò spiritu Vini semel & semper subaudito facilè cætera intelligetis. *Hoc enim sciens*, inquit Flammellus in hieroglyphicis suis, pag. 28. *Facile Magisterium perfeci, cum enim primi agentis præparationem didicissem, librum meum secundum literam insequendo, etiamsi vellem errare non poteram. Et paulo post: Deinde librum meum à verbo ad verbum insequens projectionem feci.*

Sed quorsum hæc? In hoc Tractatu sufficiens exemplorum Copia instruet vos de hisce omnibus secundùm literam intelligendis, *exceptis Vino, Lunaria, Mercurio vegetabili, altisque materiæ spiritûs Vini philosophici synonymis*: vel ex eodem spiritu præparatis *sale harmoniaco vegetabili, Aceto phil. &c.*

Nemo enim Adeptorum non sciebat, hoc spiritu vini larvato, cætera quæque licèt maximè filiis artis detecta, ne minimum quidem lectori beneficium contribuere posse, ob quam rationem seu causam, Adeptorum indignationem, nec vereor anathemata, quæ contra secretorum suorum proditores intonuerunt cum in hac re nihil ultrâ, sed (*ingenuè ut dicam*) minùs egerim, quàm ii ipsi. Quod ipse ego (*quoad posse*) ea, quæ sparsim dissiparunt, ordine digessi, de meo nihil addidi, adeòque nec honorem nec gratias à vobis, sed hoc saltem expecto, ut si placeant nostra studia, id sciam, & quæ hic desunt & desiderantur largiusculè suppleam; suppetias enim vobis studiorum nostrorum industriâ porrò ferre non recusabo, ut nihil restet, quàm ut luminum Patri de eo, quod per servorum suorum, Naturæque mystarum scripta (*sine quibus tantum scientiæ gradum assequi, ultra posse humanum esset*) Artem hanc nobis impertiri sibi benignè placuerit, Flexis genibus, gratias humillimè referamus.

Urnas

Urnas autem priorum noſtrorum Magiſtrorum, qui in humani generis emolumentum, talenta ſua diſpenſare potiùs, quàm ſepelire maluerunt, mecum celebretis; & ut eodem voſmetipſos officio aſtrictos velitis, ſi nonnullis eorum ſcriptis nondum editis potiamini.

Tandem Adeptos hoc tempore inter vivos officioſè obteſtamur, ut operam & oleum ſuum in exponendo Naturam, corrigendo Philoſophiam & Medicinam; refutando denique omnes tam in Academiis, quàm privatis ſcholis, fallaces philoſophorum aſſeclas liberaliter impendere velint, pro ampliatione Gloriæ Dei in hac arte ſingulariter eminentis. Fiat.

Pro-

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

10c

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

Abgekürzte Nachricht
von den
Wirkungen und der Anwendungsart
der
Essentia dulcis concentrata
welche
nebst den übrigen bekannten
Hallischen Arzneymitteln
bey der
Medicamenten-Expedition
des Waisenhauses zu Halle
verfertiget wird.

NB. Alle vorgebliche Arzneymittel, die unter dem Namen der Hallischen Waisenhaus-Arzneyen von Reisträgern, Hausirern und Märkte beziehenden Arzney-Krämern feil geboten werden, sind falsche, betrügerisch nachgemachte Gemische, wofür die Medicamenten-Expedition nicht haften kann, da sie nie dergleichen Menschen herumschickt, sondern ihre Arzneyen nur solchen Personen in Commission zum Verkauf anvertrauet, von deren Rechtlichkeit sie sich durch Zeugnisse zu versichern gesucht hat.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

Gabe und Anwendungsart der concentrirten Essentia dulcis.

Die Größe der Gabe dieser belebenden Arzeney ist verschieden nach dem Grade der Krankheit, dem Alter, Geschlecht und den Gewohnheiten des Kranken. Sie kann in allen Fällen statt der gewöhnlichen Ess. dulc. angewendet werden und es bedarf von ihr in gelindern Krankheitszuständen nur einer geringern Dosis, z. B. für Erwachsene im Anfange etwa 10, 15 bis 20 Tropfen alle 2 Stunden, wo man denn, bey längerer Anwendung allmählig mit etlichen Tropfen steigt. Kinder und junge Personen können unter ähnlichen Umständen vom Anfange an 5, 10 bis 15 Tropfen nehmen und in der Folge gleichfalls allmählig steigen. In gefährlichen Umständen aber, wo diese concentrirte Essenz am häufigsten gebraucht zu werden pflegt, muß von Anfang an eine größere Dosis genommen, oder die Zwischenzeit verkürzt, und auf eine halbe ja selbst Viertelstunde beschränkt werden, welches um so sicherer geschehen kann, weil diese Ess. dulcis noch sanfter wirkt als die gewöhnliche. Die Dosis kann dann allmählig bey alten Erwachsenen bis zu 50, bey jüngern Personen bis zu 30, und bey Kindern bis zum achten Jahre auf 20 Tropfen vermehrt werden.

Die Anwendungsart ist dieselbe wie bey der gewöhnlichen. Man giebt sie, wenn sie allein genommen wird, auf Zucker getröpfelt, mit etwas Wein vermischt, oder mit Thee, bey heftigen Husten mit Brustsaft oder dünner abgekochter Hafergrütze, oder als belebenden Zusatz zu irgend einer Medicin. Sie kann auch für sich ganz allein oder auch unter Umständen mit Bier oder Kaffee genommen werden. Am meisten aber pflegt man sie mit irgend einem andern kräftigen Arzeneymittel, z. B. mit einer Dosis vom Vital- oder Solar- oder Polychrest-Pulver, und vorzüglich mit dem Pulvis niger oder schwarzen Lebens-Pulver zu verbinden und zusammen zu rühren, wo man denn zu dieser Verbindung noch etwas Wein, oder eine von den andern angegebenen Flüssigkeiten zur Verdünnung zusetzen und nachtrinken läßt. Doch ist das letzte nicht durchaus nöthig, und muß oft unterbleiben, vorzüglich wenn der Kranke nicht gut schlucken kann und keinen besondern Durst hat.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

I.

Wirkungen der Essentia dulcis concentrata.

Die Essentia dulcis concentrata besitzt alle Eigenschaften der gewöhnlichen Essentia dulcis, und kann daher in allen Krankheitszuständen, in denen diese sich nützlich beweist, gleichfalls, und unter gewissen Umständen, mit noch sichererm Erfolge angewendet werden.

Sie unterscheidet sich nämlich von der gewöhnlichen blos durch ihre weit stärkere Concentration, das heißt, sie enthält in einer weit geringern Menge alle Bestandtheile und die wirksamen Kräfte der gewöhnlichen Essentia dulcis, und weniger von dem geistigen Auflösungsmittel. Daher eignet sich ihre Anwendung im Allgemeinen in allen den Fällen ganz vorzüglich, wo man von ihren wirksamen Bestandtheilen mit Recht einen wohlthätigen Erfolg erwarten kann und größere Dosen geben will und muß, aber gerne weniger von dem spirituösen Vehikel, welches mit der gewöhnlichen verbunden ist, beybringen möchte, z. B. bey Kindern und reizbaren Frauenzimmern, so wie unter solchen Umständen, bey allen Leidenden, in hitzigen Krankheiten, wo man, wegen vorhandener zu großer Reizbarkeit, von dem anhaltenden Gebrauch und der vermehrten Gabe der gewöhnlichen, die die Heftigkeit und Bösartigkeit der Zufälle sonst nothig macht, wenigstens eine vorübergehende Vermehrung der Hitze und daher rührenden Angst und Unruhe befürchtet. So wendet man z. B. statt der gewöhnlichen Essentia dulcis, diese concentrirte Essenz lieber an: bey starken vollblütigen Kindern, wenn sie beym schweren Zahnen Konvulsionen haben, oder bey trockner Haut an irgend einem heftigen Fieber mit großer Hitze, brennenden Händen und heißem Kopfe, leiden, besonders wenn dabey eine hitzige Ausschlags-Krankheit, Pocken, Maasern, Scharlach, Rötheln u. s. w. vorhanden ist, die durch andre Mittel nicht zu einer regelmäßigen Ausbildung und einem ordentlichen Verlauf gebracht werden können. In diesen Fällen pflegt ein allgemeiner wohlthätiger Schweiß oder ein vermehrter Abfluß des Urins die wohlthätige Einwirkung dieser concentrirten Essenz anzuzeigen. Sie erleichtert u. vermehrt die Wirkung des in bösartigen Fällen dieser Art oft unentbehrlichen Pulvis niger oder schwarzen Lebenspulvers, so wie die des Moschus, bey Kindern wie bey Erwachsenen.

Bey Erwachsenen zieht man diese concentrirte Essenz in den Fällen vor, wenn, bey der Anwendung der gewöhnlichen, vermehrter Zufluß des Bluts nach dem Kopf und der Brust erfolgt, z. B. beym Bluthusten, Nasenbluten und Ohnmachten, die unter solchen Umständen leicht entstehen, vorzüglich aber in allen lebensgefährlichen Zuständen, wenn auf die Anwendung der gewöhnlichen nicht so schnell Erleichterung folgt als man wünscht, wenn die Lebenskräfte sinken, und der Kranke bey großer trockner Hitze, oder bey einem klebrigen Schweiße und zitternder Zunge, an stillen Delirien darnieder liegt, und entweder gar nicht oder nur wenig schlucken kann; wenn die Senfpflaster nicht nach der ersten halben Stunde und die spanische Fliege nicht nach den ersten drey Stunden zu wirken angefangen. Da aber unter solchen und ähnlichen gefährlichen Umständen nichts zu versäumen und keine Zeit zu verlieren ist, so werden, außer den genannten, mit Recht noch andre wirksame Mittel mit dieser concentrirten Essenz angewendet, z. B. bey den hitzigen Krankheiten, die solche aufregende und verdeckende, Mittel erfordern, die Vitalpulver, Solar-Pulver u. Polychrest-Pulver, und bey Blutungen und Schlaflosigkeit, Hitze und Unruhe, die schwarzgrauen Pulver. Die Wirksamkeit dieser und andrer Mittel wird unter den passenden Umständen, so wie schon durch die gewöhnliche Essentia dulcis, besonders auch durch diese concentrirte auffallend befördert. Diese letzte wird indeß, wie schon gesagt, dann lieber statt jener genommen, wenn man bey den Kranken das Spirituöse vermeiden will, oder wenn der Kranke einen offenbaren Widerwillen gegen spirituöse Arzeneyen hat. Dies ist nun, außer in den angeführten Krankheitszuständen, nicht selten auch unter Umständen der Fall, wenn die Polychrest- und Solar-Pulver sehr nützlich sind und die Schwäche der Lebenskräfte einen belebenden und reizenden Zusatz verlangt, z. B. in mancher hitzigen sowohl als langwierigen mit Schwäche verbundenen Brustkrankheiten, und in heftigen rheumatischen und gichtischen Schmerzen. Wer hier den nothwendig erhöhten Preiß nicht zu scheuen braucht, kann von der Verbindung dieser concentrirten Essenz mit den genannten Pulvern um so eher Linderung erwarten.


A
Voluntas divina a qua, Actus divinus seu sapientia faciens Voluntatem Patris
Noluntas divina a qua Potentia divina faciens Noluntatem Patris.
B
C
D
E
F
G
Revelans q̃ fundamenta e tenebris æ educens
Iob. 12. 22.
Iehova lux, Salus et vitæ robur:
Sap. 11. 18.
bram lethalem Mundũ ex materia informi effecit
in lucem Vm
DEUS
tamen
unus
DIONYSIUS.
APOLLO.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

Diß Kupffer gehört zum 20. Blat.



BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg



BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BEGLAUBIGTE METALLVERWANDLUNGEN

Aus: Alchymie in älterer und neuerer Zeit
von Hermann Kopp
(Heidelberg 1886)

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg